BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 E
20/7

Digitized by Google

14 · 12 · E · 20

Digitized by Google

14-12-1

INSTITUTIONES
CANONICÆ, CIVILES, ET CRIMINALES
CUM RECENTIORI PRAXI ROMANÆ CURIÆ

Ad eorum Juvenum uſum, qui poſt Theoriam Forenſi Exercitationi ſunt vacaturi.

OPUS IN QUATUOR TOMOS DIVISUM

AUCTORE

PETRO ANTONIO DANIELI ROMANO

IN ARCHIGYMNASIO URBIS JURIS PROFESSORE, ET IN ROMANA CURIA ADVOCATO.

TOMUS QUARTUS

RECENTIOR PRAXIS ROMANÆ CURIÆ

[illegible]

Eñum, & Rñum D. D.

JOACHIMUM FERDINANDUM PORTOCARRERO

S.R.E CARDINALEM EPISCOPUM SABINENSEM, MAGISTRUM EQUIT. HIEROSOL. ET CATHOLICI REGIS APUD S SEDEM LEGATUM, EJUSQUE REGNORUM PROTECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCLIX.

TYPIS JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI.

IN ÆDIBUS DE MAXIMIS

SUPERIORUM PERMISSU

ET SUMMI PONTIFICIS PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Emum , & Rmum D. D.
JOACHIMUM FERDINANDUM
PORTOCARRERO
S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM
EPISCOPUM SABINENSEM &c. &c. &c.

Eme , & Rme Princeps

QUUM poſt editos, evulgatoſque jam Libros, quibus Canonicæ, Imperiales, & Criminales Inſtitutiones continen-

Digitized by Google

tur , editioni quarti hujus Tractatus de Praxi Romanæ Curiæ, quo ſuperiores illi tanquam coronide, ac faſtigio concluderentur, animum adjeciſſem , non levis profecto curæ fuit deliberare, quemnam potiſſimum ejus Patronum, Auſpicem, & Moecenatem eligerem. Tria enim hæc ſtatuebam in eo eſſe oportere: Primùm auctoritatem non mediocrem , ſed magnam , & eximiam contra obtrectationes, & calumnias malevolorum : Deinde ſolidioris præſertim Juriſprudentiæ ſtudia, doctrinam , & munerum functiones ejuſmodi , ut harum rerum tractatio ejus Perſonæ , cui inſcribenda foret, congruere videretur: Poſtremo vel merita erga me aliqua, vel certe benevolentiam , ac benemerendi ſtudium, quo a me, qui aliud rependere non poſſum, hoc ſaltem

offi-

officii, & obſervantiæ genus poſtularet. Jamvero hæc tria, quæ mihi ad capiendum conſilium quærenda eſſe conſtitueram, ſicuti poſita eſſe in multis reperiebam: Ita ſane nullus deliberandi, dubitandique finis futurus fuiſſet, niſi plane animadvertiſſem, eadem longe in Te, Cardinalis ampliſſime, quàm in cæteris, præſtantiora eſſe, atque illuſtriora. Quæ enim major, atque inſignior auctoritas optari poteſt, quam ejus Viri, de cujus eximiis, ac ſingularibus meritis in Eccleſiam, & Rempublicam univerſam paſſim ab omnibus tam multa, tantaque cum laude prædicantur?

Rerum autem, quæ hic diſcutiuntur, indoles, & natura cui nam eſt magis, quàm Tibi accommodata? Agitur de Curia, agitur de Au-

Digitized by Google

Aula. In utraque autem ita es profecto verſatus, ut ingentem ab omnibus Virtuti tuæ certatim plaudentibus laudem reportaris. Quem enim latet, quantæ integritatis, doctrinæ, ac dexteritatis ſpecimen dederis, vel cùm Congregationi Indulgentiarum, ac Sanctorum Reliquiis præfueris, vel cùm inter Suffragatores Congregationis Sacrorum Rituum olim adſcriptus, de Religione, ac cœremoniis, tuos ſenſus expromeris? Quis eſt, qui neſciat, ad varios Cardinalium Congreſſus, quos Congregationes vocant, adſcitus, quanta humanitate, & facilitate omnes ad Te pro cauſis accedentes excipere conſueveris, adeo quidem ut prænobilis, ac generoſæ Nobilitatis tuæ, quæ nulli certe ſecunda eſt in Hiſpaniis, pene oblitus, unus ex illis exiſtima-

mari volueris, qui a primis juventutis annis Romanæ Curiæ fuerit addictus? Et demum ad cujuſnam aures delatum non eſt, quæ Paſtoralis ſollicitudinis exempla non dederis, cùm ad Epiſcopalem Sedem Sabinenſem aſſumptus, nedum editis Sanctiſſimis Legibus Clericorum mores reſtaurare, & ad cenſuram Sacrorum Canonum redigere, ſed ulteriùs profuſis pecuniis, Succeſſorum Tuorum, Eccleſiarumque decori, necnon Pauperum indigentiæ, & levamini opportune voluiſti proſpicere?

Nihil equidem dico de Catholici Regis Procuratione, qua apud Apoſtolicam Sedem es adeo inſigniter perfunctus, actuque perfungeris, adeoque Romanæ Curiæ, & Sacerdotii jura cum Oratoris Regii munere conciliare ſtuduiſti, ut in-

incerta plane res ſit, de quo magis benemerueris, & an plus Hiſpania, quàm Urbs noſtra Tibi debere jure fateatur. Prætermitto etiam Melitenſem Legationem apud Cæſaream Majeſtatem habitam, utriuſque Siciliæ Proregis perinclytum gradum exercitum, Militares alias præeminentias tam pacis, quàm belli tempore Tibi delatas, aliaque plura ſilentio prætereo, quæ etiam in Aula celebratiſſimum Te fuiſſe demonſtrant; quibus omnibus diligenter expenſis, merito Tibi Tractatum de Curia, & Aula offerendum eſſe ſum arbitratus. His autem accedit altera cauſa, ob quam Tibi ſiſtendum, tuoque Patrocinio commendandum, rerum, quæ hic expenduntur, indole inſpecta, opus hoc videbatur. Cùm enim primus Ipſe ſis inter eos, qui a Benedicto

cto XIV. Sanctiſſimo, Sapientiſſimoque Pontifice inter S. R. E. Cardinales fuerint cooptati, cùmque in hoc Romanæ Curiæ Tractatu, in unoquoque titulo inter alias Prædeceſſorum Pontificum Conſtitutiones, illæ ab eodem Pontifice pro Romanæ Curiæ reſtauratione editæ recenſeantur, debitaque laus eidem Pontifici hac occaſione arrepta rependatur; meritò hinc uni ex Cardinalibus opus erat conſecrandum, qui fuiſſet ab eodem Pontifice præelectus, ſummaque exiſtimatione perpetuo habitus, quique eumdem Pontificem, dum viveret, ejuſque poſt obitum memoriam peculiari obſequio fuiſſet invicem proſequutus.

Jam illud reliquum foret, ut de egregia in me voluntate tua aliqua dicerem. Scis tamen Ipſe, at-

que ego plus quam verbo exprimere valeam, expertus ſum, quo animo in me fueris comparatus. Illud etiam beneficii loco pono, quod Te inter eorum, quos in lucem edebam, librorum ſocios accenſeri volueris, quodque alios etiam Litterarios labores meos nondum editos minime improbaris. Utinam ego majori aliqua obſequii ſignificatione teſtari poſſem, quantum me Tibi obſtrictum eſſe ſentiam; Nunc quoniam tantum, quantum cuperem, munus offerre non valeo, hoc ſaltem quantulumcumque eſt Tibi exhibeo, quod licet exiguum eſſe ingenue affirmem, ex quadam tamen non exigua, ſed magna, atque ingenti voluntate teſtandi apud omnes, quanti Te faciam, & quàm me intèlligam Tibi debere, profectum eſſe profiteor.

AP-

APPROBATIONES CENSORUM.

CUM mandante Reverendiſſimo Patre S. P. A. Magiſtro ſedulo recognoverim, imo etiam de verbo ad verbum perluſtraverim *De Romana Curia, ejuſque Tribunalibus* tractatum, quem in lucem editurus eſt Vir. clariſs. D. Petrus Antonius Danieli in Romano Archigymnaſio Juris Profeſſor, & in Curia Avocatus; neque in eo quidquam invenerim, quod bonis moribus, atque ſacrorum Canonum ſtatutis repugnare videatur, eum cenſeo approbandum eſſe, atque etiam laudandum propter utilitatem, quam Juris noſtri, ac Praxis ſtudioſi ex lectura Operis in ſuo genere perfecti percommode, & abſque magno labore percipere poterunt. Datum ex ædibus noſtris hac die 5. Auguſti 1758.

Jacobus Amadorius olim Lamius Sign. Gratiæ Votans; & Sign. Juſtitiæ Decanus.

OMnium fere Tribunalium Almæ Urbis præſentem Praxim erudite luculenterque expoſitam a ter egregio terque emerito Viro D. Advocato Petro Antonio Danieli, tum in Cathedra in ipſius Urbis Rrchigymnaſio, tum in cauſis perorandis illuſtri, attente perlegi; Ea autem, & qui Literis dant operam perfectiſſime erudientur, quique in Foro verſari cupiunt, facilem invenient methodum pro directione cauſarum, declinatis periculis, quæ in curſu earumdem venire obviam aſſolent: Quare publici Juris opus iſtud fieri Reipublicæ intereſſe puto: Dabam Romæ Idibus Januarii anni MDCCLIX.

Laurentius Bondacca J. V. D. in Romana Curia Advocatus, atque in Foro Capitolino ſecundus Collateralis.

Digitized by Google

MAndante Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii attente legi Praxim recentiorem Romanæ Curiæ a clariſſimo,in ArchigymnaſioUrbis Anteceſſore D. Petro Antonio Danieli concinnatam ; atque in ea nihil offendi, quod non eſſet optimis conſonum moribus ; quin etiam ſuſpexi, Virum in Cathedra æque ac in cauſis orandis præſtantiſſimum, Theoriæ in ſuis doctiſſimis Commentariis ad Inſtitutiones Juris cùm Canonici, tum Cæſarei, adeo per incredibilem ſolertiam, accuratiſſimamque inveſtigationem, feliciter noſtram Praxim conjunxiſſe ; ut & omnes locupletiſſimam, atque eruditiſſimam Romanæ Curiæ notitiam aſſequi valeant; & Adoleſcentes cupidi ſeſe Foro addicendi uberrimam nunc habeant methodum cum recentioribus Formulis, ad palæſtram facili, brevique itinere, tuto etiam & ſine alio Duce ingrediendam, hoc quoque nomine Authori bene de Republica merentiſſimo gratias quàm maximas reddituri. Dabam Romæ octavo Idus Maij 1758.

Jacobus Santagata in Romana Curia Cauſarum Patronus.

PRaxis Romanæ Curiæ, ut eam clariſſimus Vir Petrus Antonius Danieli Romanus, Archigymnaſii Urbani Anteceſſor, & cauſſarum Patronus, expoſuit, quoniam Reverendiſſimi P. F. Joſephi Auguſtini Orſi Ordinis Prædicatorum S. Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſu eam recenſuit, non ſolùm ab omnibus inoffenſo pede legi poterit, utpote cujuſcumque erroris tam circa Fidei Catholicæ dogmata, quàm circa morum regulas omnino expers ; verùm etiam & Judicibus, & Advocatis, & Procuratoribus apprime utilis pro illius perſpicuitate, ac ordine, me judice, commodaque eſt futura ; quare typis eam committi poſſe cenſeo. Romæ Idibus Septembris MDCCLIX.

Proſper Petronius S.Theol. Profeſſor & in U. J. Licentiatus.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicatorum, Reverendiſſimi Patris Sac. Pal. Apoſt. Mag. Socius.

IN-

Digitized by Google

INDEX

LIBRORUM, ET TITULORUM.

Ingenuis Adoleſcentibus Juris Prudentiæ ſtudioſis Præfatio. Pag. 1.
Titulus I. *De Curia in genere.* 7
Titulus II. *De Romano Pontifice.* 14
Titulus III. *De Pontificis Conſecratione, Coronatione, & Poſſeſſione.* 34
Titulus IV. *De Primo Miniſtro ſeu Card. Nepote.* 41
Titulus V. *De Secretario Status.* 45
Titulus VI. *De Secretario Brevium, & duobus aliis Secretariis.* 50
Titulus VII. *De Præfecto Sacri Palatii, ſeu Præpoſito Familiæ Pontificiæ.* 51
Titulus VIII. *De Auditore Papæ.* 53
Titulus IX. *De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.* 55
Titulus X. *De Datario.* 59
Titulus XI. *De Vicecancellario.* 79
Titulus XII. *De Camerario.* 90
Titulus XIII. *De Majori Pœnitentiario.* 98
Titulus XIV. *De Cardinali Vicario.* 111
Titulus XV. *De Auditore Cameræ.* 120
Titulus XVI. *De Urbis Gubernatore.* 151
Titulus XVII. *De Urbis Senatore.* 155
Titulus XVIII. *De Theſaurario.* 163
Titulus XIX. *De Præfectis Annonæ, Graſciæ, Viarum, Militiarum, & Zecchæ.* 167
Titulus XX. *De Cardinalibus Archipresbyteris, & Titularibus.* 178

Titulus XXI. *De Poteſtate Legatorum .* 184
Titulus XXII. *De Congregationibus S. R. E. Cardinalium in genere, nec non de S. Rotæ, aliorumque Tribunalium forenſium auctoritate .* 190
Titulus XXIII. *De Congregationibus Viſitationis Apoſtolicæ, & Viſitationis Carceratorum .* 195
Titulus XXIV. *De Sacra Conſulta :* 204
Titulus XXV. *De Congregatione Boni Regiminis .* 207
Titulus XXVI. *De Congregationibus Baronum, Confinium, Gravaminum &c.* 210
Titulus XXVII. *De Conſiſtorio, & Congregatione Conſiſtoriali .* 213
Titulus XXVIII. *De Congregatione Sacræ Inquiſitionis, ſeu S. Officii .* 226
Titulus XXIX. *De Sacra Rituum Congregatione .* 241
Titulus XXX. *De Congregatione Indicis .* 251
Titulus XXXI. *De Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum, ſeu Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita .* 261
Titulus XXXII. *De Congregatione Propagandæ Fidei .* 266
Titulus XXXIII. *De Sacra Congregatione Concilii .* 270
Titulus XXXIV. *De Congregatione Epiſcoporum, & Regularium .* 286
Titulus XXXV. *De Congregatione Diſciplinæ Regularis .* 302
Titulus XXXVI. *De Congregatione Immunitatis .* 307

Titulus XXXVII. *De Congregatione Fabricæ.* 309
Titulus XXXVIII. *De Auditorio Rotæ.* 316
Titulus XXXIX. *De Tribunali Cameræ.* 336
Titulus XL. *De Judicibus Commiſſariis.* 342
Titulus XLI. *De Signaturis Juſtitiæ, & Gratiæ.* 347
Titulus ultimus. *De Procuratoribus, & Advocatis.* 386

INGE-

INGENUIS ADOLESCENTIBUS
JURISPRUDENTIÆ
STUDIOSIS
PETRUS ANTONIUS DANIELI
S. P. D.

QUANTO me opere profiteor (Optimi ADOLESCENTES) optaſſe, ac ſtrenue adlaboraſſe, ut tripartitum Opus Canonicarum, Civilium, & Criminalium Inſtitutionum jam benedicente Domino evulgatarum, permultum Vobis commodi, atque utilitatis afferret, tanta equidem voluptate perfuſus ſum, ubi a Viris probatiſſimis, magnaque in his rebus peritia præditis intellexi, me id quod voluerim, effeciſſe, præſer. tim quia iidem nihil ſe dare gratiæ, aut ulli partium ſtudio, ſed ſoli veritati teſtimonium impertiri con-

Digitized by Google

firmabant, ſeſeque exiſtimare aſſerebant, Inſtitutionibus hiſce ſtratam eſſe Vobis certam, planamque viam ad univerſam Juriſprudentiam cito ac ſolide perdiſcendam. Unum tamen adhuc deſiderari poſſe videbatur, quaſi coronidis loco, quo opus abſque dubio elaboratum, quaſi faſtigio impoſito concluderetur, recentioris videlicet Praxis Romanæ Curiæ accurata tractatio, ut qui Theoriæ Canonicæ, Civili, & Criminali operam navaſſent, impigre poſſent Forenſem in arenam deſcendere, exploratasque habentes facultates Judicum Romanæ Curiæ, quæ domicilium eſt legum, ut inquit Sidonius (*a*), & cæterarum Curiarum Magiſtra, ut ait Gonzalez (*b*), eoſdem libere adirent. Quamobrem e re veſtra futurum ſum arbitratus, ſi eandem Praxim conficerem, vobiſque poſt inſtitutiones Canonicas, Civiles, & Criminales exhiberem.

2. Multa autem ſunt, quæ dubium me, diuque hæſitantem in hoc conſilium, propoſitumque tandem impulerunt. Primum ſcilicet, quod inane, & prorſus inutile futurum ſit *ſpeculative*, ut inquiunt, comprehendiſſe tam multa, quæ hic cumulate tractantur, niſi etiam teneas rationem qua te illis uti oporteat. Id enim commune eſt omnibus diſciplinis, quæ ad actionem quomodolibet referuntur, ut cùm earum præceptis fuerit quiſpiam ſatis imbutus, adjungat eiſdem uſum, cujus gratia præcepta ſunt tradita. Quod in mechanicis artibus, imo in Aſcetarum quoque inſtitutis præcipi, ac fundamenti loco ſtatui non ignoramus, ut ea ſcilicet, quæ mente fuerunt agitata, ad praxim deducantur, atque exerceantur (*c*). Illud autem, quod cuique præceptorum generi commune eſt,

(a) *Lib.* 1. *epiſt.* 6. (b) *Ad reg. Cancell. gloſ.* 1. §. 2. *n.* 12.
(c) *Baſilius concione ad Adoleſcentes.*

eſt, non videbatur Juriſprudentiæ detrahendum.

3. Acceſſit, meque ad hoc opus urgentius incitavit illa cogitatio, quod etſi variæ fuerint hactenus editæ Romanæ Curiæ praxes, eæque vel de univerſa Curia tractantes, Romanamque etiam Aulam complectentes, cujuſmodi ſunt, quas confecerunt Jacobus Cohellius (*a*), Cardinalis de Luca (*b*), & P. Unoldus Plectembergius Soc. Jeſ. Scriptor Germanus (*c*), itemque altera illa praxis, quam edidit Gerardus Gaſtellus (*d*), vel ad certam rerum, Judicumque ſpeciem reſtrictæ, ut ſunt quas exararunt Vaneſpen. (*e*), Gonzalez (*f*), Petrus Ridolphinus, Camillus Cappuccius, Joannes Baptiſta Rigantius (*g*), Amayden. (*h*), aliique; Eæ tamen aliquando ſuſpectæ ſunt, utpote ab hominibus Romanas conſuetudines, aut non ſatis callentibus, aut etiam quandoque ægre ferentibus, & improbantibus compoſitæ; quodque amplius eſt, multa, quæ fiebant cùm ipſi ſcriberent, ſunt deinde Apoſtolicis Conſtitutionibus, atque ea, quæ nunc obtinet, conſuetudine immutata. Quamobrem peropportunum videbatur novam hanc Praxim conficere, ne miſera Juventus in tanta ſupellectile, & mole librorum, ac Varietate Scriptorum de Romanis conſuetudinibus non eadem dicentium, cogatur aut Forum deſerere, aut certe æſtuare, ac jactari incerta via, cui potiſſimum credere debeat ignorans.

4. Nec vero præteribo, illam quoque hujus Praxeos explicandæ mihi cauſam fuiſſe, quod videbam eam uſui futuram Religioſis etiam hominibus, qui ſepoſitis ſæcula-

(a) *In Notitia Cardinalatus.* (b) *In Relat. Rom. Curiæ.* (c) *In Relat. Rom. Curiæ.* (d) *In opere inſcripto Uſage, & Practique de la Cour de Rome.* (e) *Juris Eccleſ. Univerſ. part. 2. tit. 22., & 23.* (f) *In regul. 8. Cancell.* (g) *in Reg. pariter Cancel.* (h) *De Stylo Datariæ.*

cularibus curis intra clauſtra ſe continent, non quod eos velim oblitos ſuæ profeſſionis, decertare in Foro, & rerum civilium fluctibus immiſceri, ſed ut prò religioſæ Familiæ, ac Proximorum bono poſſint Magiſtratus adire, atque illorum auctoritatem, ſi oporteat, implorare, aut alios etiam in peculiaribus Controverſiis, quid facto opus ſit, admonere: Hæc igitur mecum animo reputans, in certam ſpem erectus ſum novum hoc opus æqui, bonique ab omnibus, præſertim vero a Vobis exceptum iri. Cauſis itaque ſcribendi prælibatis jam totius operis partitionem in ipſomet veſtibulo aperiam.

5. Agam videlicet primo de Romano Pontifice, ejuſque electione, conſecratione, & Pontificatus poſſeſſione, quumque inſuper Papa Fiduciarios, magiſque intimos habeat Magiſtratus, quorum opera utitur, eorumque aliqui in Palatio, aliqui extra Palatium morentur, de utriſque tractabitur. Degunt quidem in Palatio Nepos Pontificis, ſi eum forte habeat, Secretarius Status, Secretarius Brevium, Præpoſitus Familiæ Pontificiæ, Auditor, Magiſter Sacri Palatii, & Datarius; Extra Palatium vero morantur Vicecancellarius, Camerarius, Pœnitentiarius, de quibus proinde omnibus primum diſſerendum. Tranſitus deinde fiet ad Judices Ordinarios Urbis, qui cum ad quatuor redigantur, Vicarium nempe, Gubernatorem, Auditorem Cameræ, & Senatorem, de iſtis agetur. Cumque alios etiam Papa Miniſtros, vel Præſides habeat, quorum aliqui Œconomicis rebus præficiuntur, ut Theſaurarius, Præfectus Annonæ, Graſciæ, Militiarum, Viarum, Zecchæ: aliqui vero præſtantiores longe ſunt, & in Cardinalitio Ordine conſtituti, iique vel adminiſtrationi præcipuarum Eccleſiarum deſtinati, cujuſmodi ſunt Archipresbyteri Baſilicarum Urbis, & Titulares,

Digitized by Google

lares, vel Provinciarum Pontificiarum gubernationi Præpoſiti, ut ſunt Legati a latere, de iſtis omnibus pertractabitur.

6. Ad Conſiſtorium mox, & Congregationes progrediemur a Sixto V. provide erectas in conſtitutione 74. quarum aliquæ expedire ſolent negocia, quæ ad Summum Pontificem, ut Epiſcopum pertinent, ut eſt Congregatio Viſitationis, aliæ vero negocia Principis temporalis ad eundem ut pote Principem ſpectantia definiunt, ut ſunt pro Urbe, & in Statu Pontificio etiam extra Urbem Congregationes Conſultæ, Boni Regiminis, Aquarum, Confinium &c. aliæ demum res illas expendunt, quæ ratione Summi Pontificatus pro univerſa Eccleſia ad eumdem Pontificem devolvuntur, ut ſunt Congregationes Conſiſtorialis, Inquiſitionis, Rituum, Indicis, Indulgentiarum, Concilii, Epiſcoporum, Immunitatis, Propagandæ Fidei, & Fabricæ, quæ quidem omnes idcircò ſeorſim attingentur. Cumque demum in iiſdem Congregationibus abſque ſtrepitu, & forma Judicii ſoleant res diſceptari, aliter ac apud alios Magiſtratus, in quibus ſolemni forma hinc inde contenditur, cujus generis ſunt Tribunalia Rotæ, & Cameræ, Judices Commiſſarii, & demum Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ, de iſtis etiam Tribunalibus aliqua proferemus. Poſtremo cum Advocati, & Procuratores partium jura in enunciatis Tribunalibus tueantur, atque defendant, idcircò de his etiam agendo Praxim hanc noſtram abſolvemus, ac coronabimus.

7. Hæc igitur præmittenda judicavi, antequam ſigillatim de iis, quos dixi, Judicibus agere, eorumque facultates explanare aggrediar, ut quiſque veſtrum facile intelligat, quantum expediat tribus jam editis libris pro cumulata Theoria ſimul, & Praxis legalis

galis notitia quartum hunc etiam adnectere, ſibique plane perſuadeat, eò ſpectaſſe hujus operis editionem, eoque omnes induſtriæ meæ nervos fuiſſe intentos, ut benemererer de omnibus, veſtroque præſertim profectui ſervirem. Cum autem antequam de Romana Curia in ſpecie, ejuſque Tribunalibus diſſeratur, ratio ordinis poſtulet, ut quid Curiæ nomine in genere intelligatur, exploretur; nulla interpoſita mora, manum operi admoveamus.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS PRIMUS
DE CURIA IN GENERE.

CUriæ porrò vocabulum plura ſignificat; Aliquando enim pro Decurionatus, vel publici alterius Magiſtratus officio uſurpatur, vel etiam pro quolibet inferiori, imo vili, & abiecto Civitatis miniſterio, quo quidem ſenſu juris cenſura eautum habemus (*a*), Curiales ad Ordines promoveri non poſſe; & merito quidem, ſive enim eſſent, qui ex aliquo delicto pœnæ loco Curialium Collegio mancipabantur, ſeu vilibus Curiæ muneribus ad inſtar Servorum addicebantur, de quibus agitur *in Can. ſtatuimus* 31. 2. *quæſt.* 1. cum aliis relatis a Turriano (*b*), & ſub hac ſane Curiæ intelligentia nimis indecens erat, ut ad Sacros Ordines admitterentur: ſive eſſent alii, qui Decurionatum, vel ſpectabilem alterum Curiæ gradum obibant, & in hoc etiam ſenſu ne ſub dignitatis obtentu Reip. munera impune deſererent, recte ab Eccleſiæ Patribus decretum fuit, ne ante muneris dimiſſionem, ſeu obtentam libertatem Sacris Ordinibus initiarentur, ut late oſtendit inter alios *Albaſpinæus* (*c*). Unde jure Civili Curiæ obnoxius, ſi forte, ut Curiale onus excuteret, Clericus fieret, cogebatur bona ſua in alium transferre, qui in obeundo publico munere, ejus vices impleret, ut eruitur *ex leg.* 49. 99. *cum aliis Cod. Theodoſiani de Decurionibus*; atque *leg.* 3. *Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt* permiſſum Clericis eſt per ſubſtitutum Curiæ deſervire.

2. Id

(a) *In cap. Magnus Epiſcopus, de obligatis ad ratiocinia ordinand. vel non.* (b) *Lib. 2 pro Canon. Apoſtol. cap.* 14.
(c) *Lib.* 1. *Obſerv. cap.* 22.

Digitized by Google

2. Id autem ut melius intelligatur, eſt opportune advertendum, in more Romanorum poſitum fuiſſe, uſuque receptum, in omnibus Imperii Civitatibus *Curiam* conſtituere, adeò, ut ſi vico, aut Oppido *Civitatis* jus conceſſiſſent, ex illa plerumque civitate, aut territorio Curiales eidem Vico, oppidoque aſſignabant, inter quos Primates, ſeu primi Cives Decuriones vocabantur (*a*). Quamvis autem horum plura eſſent privilegia, neque enim cædi, aut quæſtioni ſubjici poterant(*b*), filii item eorum Curiæ oblati legitimabantur(*c*), aliiſque ſimilibus juribus perfruebantur, ut *in Inſtitutionibus Civilibus* adnotavimus: Cum tamen pluribus ſervitutibus eſſent ſimul obnoxii, ex quo omnia Civitatis munera obirent, & magis ſervi, quam nervi Reip. dicerentur (*d*); paſſim hinc Imperatores Pagani Chriſtianos Curiæ ſervituti addicebant, quorum ea erat conditio, ut onera quidem Curialium, privilegia vero minime haberent, ut notat inter alios citatus Turrianus (*e*). Ex quo ſane deſcendit, iſtos Curiales olim ad Ordines promoveri nequiviſſe.

3. Quandoque inſuper *Curiæ* nomen pro *Foro* ſimpliciter *Laico*, & *Sæculari* accipi ſolet, unde Clerici ex commiſſo aliquo ſcelere, degradati, vel degradandi *Curiæ* traditi, aut tradendi dicuntur, ut ſatis eruitur *ex Can. Siquis Sacerdotum* 16. 11. *quæſt.* 1. ubi Pius Papa decrevit, *ut ſi quis Sacerdotum inobediens fuerit Epiſcopo, aut inſidias ei paraverit, aut quid ſimile egerit, de quo fuerit manifeſte convictus, Curiæ tradatur*; idemque repetitur *in Can. Statutum*,

(a) *Ex l. quicunq. 57. C. de Decurionibus lib.* 10. *l. de Creationibus* 27. *Cod. de Epiſcop. aud. cum aliis.* (b) *L. Decurionum Cod. de quæſt.* (c) *L.* 2 *&* 4. *C. de naturalibus liberis.* (d) *L.* 12. *&* 13. *Cod. Theodoſ. de ſuſceptor. lib.* 10. (e) *Pro Can. Apoſt. lib.* 2. *cap.* 14.

tutum, *eadem caus. & quæſt. ibi=Submotus a Clero Curiæ tradatur, cui diebus vitæ ſuæ deſerviat*, conſonatque *Novella* 123. *Juſtiniani*, ex qua, aliiſque juribus præſertim antiquioribus Repetentes meritò aſſerunt, dari Clericum *Curiæ* idem eſſe, ac poteſtati Sæculari tradi puniendum, quia *Curia* ex Juris Canonici phraſi Curiam Sæcularem importat (*a*).

4. Sumitur etiam *Curia*, & quidem frequentius, pro *Principis Aula*, unde qui Principis ſervitio, & obſequiis quomodolibet vacant, *Curiales*, alioque nomine *Aulici*, dici conſueverunt: hi quidem ſi Summi Pontificis ſervitio addicantur, & beneficia Eccleſiaſtica habeant, ex Conſtitutionum Apoſtolicarum cenſura, Apoſtolicæ Sedi eadem reſervantur, ut in Inſtitutionibus Canonicis vidimus (*b*). In hoc autem ſenſu *Curiales* ſunt primo Cardinales, ſecundo Præſules, tertio ii omnes, qui licet Prælatura non decorentur, aliquo tamen magiſtratu funguntur, 4. Advocati, 5. Prucuratores, 6. fori Judicialis actores, ſeu, ut inquiunt, Sollicitatores, 7. Datariæ, vel Cancellariæ Expeditores, 8. Agentes, 9. Notarii, aliique Scriptores, & 10. Aulici in genere, qui Papæ, Cardinalibus, & Prælatis inſerviunt (*c*).

5. Solet inſuper accipi *Curiæ* vocabulum ſtrictius, & proprius pro exercendarum litium loco, atque in hoc ſenſu illud accepimus *in Inſtitutionibus Canonicis* (*d*). In eodemque ſenſu omnes illi, qui *Curiæ*, ſeu foro addicuntur, vigore conſtitutionis *Eugenianæ* ſunt in Romana Curia, & regulariter coram A. C. conveniendi, ut fuſius infra diſcutiemus (*e*). Ita etiam

(a) *Ant. Auguſtinus de emend. Gratiani tit.* 5. *Duaren. de Sacr. lib.* 1. *cap* 3. *aliiq.* (b) *Sub tit. de Collationibus*. (c) *Card. de Luc. in relat. Curiæ diſc.* 1. *n.* 11. (d) *Sub tit. de Judiciis lib.* 3. (e) *Sub tit. de Audit. Cameræ.*

Digitized by Google

etiam *Curia* uſurpatur *in Clementina* 1. *de jurejurando* cum aliis congeſtis ab *Antonio Auguſtino* (*a*). & notarunt pariter Feſtus (*b*), & Gellius (*c*); Iiſdemque Curiis, ſeu agendis in Foro Cauſis addictos *Curiales* dici conſueviſſe novimus *ex l. Curialis Cod. locati*, *l. Si quis Curialis Cod. Epiſcopis*, & *Clericis*, & alibi paſſim.

6. Omiſſis autem his, aliiſque Curiæ ſignificationibus, quas late proferunt Polletus (*d*), Du Cangius (*e*), & Lexicographi (*f*), certum undique eſt a Curis publicis dici, Curiæque nomen derivari, quia locum deſignat, in quo *graviores res*, *vel Religionem*, *vel Politiam reſpicientes*, expediuntur. Dixi *graviores res vel Religionem*, *vel Politiam reſpicientes*: Duæ enim *Curiarum* ſpecies recenſeri, & apud Romanos viguiſſe Marcus Varro teſtatur (*g*), unam ſcilicet, in qua de rebus ſacris & ad Religionem directis, alteram, in qua de rebus publicis, & ad Populum ſpectantibus agebatur, unde eam in genere acceptam merito Cicero appellavit (*h*), *Templum Sanctitatis*, *amplitudinis*, *mentis*, *Conſilii publici*, *Caput orbis*, *Aram Sociorum*, & *Portum omnium gentium*.

7. Quamvis autem temporali Romanorum Imperio extincto, *Curia* etiam *Romana* eidem adnexa ceſſaverit, Apoſtolorum tamen Petri, & Pauli ſanguine in eadem Urbe profuſo, Divini conſilii diſpoſitione factum eſt, ut amplior plane, majorique prædita auctoritate, & juriſdictione revixerit. Unde ad rem Sanctus Leo Magnus (*i*) affirmabat: *Iſti ſunt*

(a) *In Epitome lib. 4. tit. 61.* (b) *Libro 3. verbo Curia.* (c) *Lib. 4. Noctium cap. 7.* (d) *Lib. 1. Hiſtoriæ Fori Romani cap. 4.* (e) *In Gloſſario ad Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis litera C.* (f) *Verbo Curia.* (g) *De lingua latin. lib. 9.* (h) *In Orat. pro Tit. Annio Milone.* (i) *In Natal. Apoſt. Serm. 1.*

Digitized by Google

ſunt (nempe *Petrus* , *&* *Paulus*) , *qui te* (de Urbe loquitur) *ad hanc gloriam provexerunt* , *ut gens Sancta* , *Populus Electus* , *Civitas Sacerdotalis*, *&* *Regia per Petri Sedem effecta* , *latius præſideres Religione Divina* , *quam dominatione terrena* .

8. Locus profecto quilibet, quo ſe Pontifex tranſferat,Curiam conſtituit, cum præcipue a perſona Principis , cujus auctoritate negocia expediuntur , Curia reſultet . Inde tamen non ſequitur , ceſſare *Curiam* in Urbe, ſi Papa inde ad aliquod tempus abiret, aliòque ſeſe conferret , cum nunquam fictione jurisdiſcedere Princeps cenſeatur ab ordinario loco , in quo domicilium habere conſuevit , unde etiam , ubi eſt audientia & Cancellaria , & Cardinales , ac Prælati pro audiendis cauſſis auctoritate Sedis Apoſtolicæ degunt, & per Miniſtros ſuos eaſdem Cauſas abſolvunt , *Curia* vocatur, ut *in Inſtit. Canon.* advertebamus(*a*). Imo hoc ipſum in ſpecie *Curiæ Romanæ* declararunt Paulus tertius *Conſtitutione* 16. , Clemens VII. *Conſtitutione* 23. , Clemens VIII. *Conſtitutione* 54. & Benedictus XIII. dum ab Urbe iidem Pontifices diſceſſerunt. Quod ita eſt intelligendum, ut non quidem duæ Curiæ erectæ cenſeantur , ſed potius , ut unica tantum ſit Curia , unicumque Tribunal ex unica Pontificis auctoritate depromptum , qui in aliam locum commigrando , non dicitur aliò Curiam tranſferre, ſed eam ad locum , in quo ipſe reperitur , extendere , & ampliare (*b*) .

9. Multo autem minus ex Cauſarum diverſitate , quæ *in Curia* forte tractantur , diverſitas Curiarum exoritur , ſive enim aulica , ſive forenſia, ſive alterius cujuſcumque generis extent negocia , immò ſi-

(a) *Sub tit. de Collationibus*. (b) *Barboſa de Epiſc. part.* 3. *Rigant. in Reg. 6. Cancell. tit. de Collat. n.9. & ſeqq.*

ve in qualitate ſimplicis Epiſcopi Urbis, ſive Archiepiſcopi Italiæ, ſive Patriarchæ Occidentis, ſive Capitis Eccleſiæ, ſive Principis temporalis juxta varias qualitates, quæ in Pontifice Romano concurrunt, & fuerunt a nobis attactæ *in Inſtit.Can.* (*a*) eadem expediantur, ab eadem *Curia* dicuntur emanaſſe, prout *Curiales* dicuntur, quicumque iiſdem negociis expediendis quomodolibet operam navant (*b*).

10. Cæterum Romanam *Curiam* matrem, & principem Curiarum omnium eſſe, & nuncupari, immo antonomaſtice, & per excellentiam *Curiæ* nomine abſque ullo addito illam intelligi, egregie oſtendit inter alios Mandoſius (*c*), iique ſoli veritatem hanc in dubium revocant, qui in meridie cæcutiunt. Hunc quippe titulum ſibi merito vindicat, tum ob negociorum, & cauſarum gravitatem, tum ob earum copiam, quæ in materia præſertim Eccleſiaſtica, & Spirituali ex univerſo Orbe ad eam devolvuntur, quibus accedunt aliæ temporales, prophanæque cauſſæ, quæ in temporali Pontificis ditione, Benevento etiam, & Avenione comprehenſis, agitari in eadem Curia ſæpe contingit. Hæc autem materialis negociorum farrago ex diverſis generibus rerum conſtituta, ob quæ olim Clemens V. amplum alveum Romanam Curiam vocabat (*d*), quatenus etiam deficeret, ut noſtris temporibus accidit, adhuc Curiarum princeps foret meritiſſimo jure dicenda, cum ſeorſim quoque a negociis, & Controverſiis, quæ nunc uberiores, nunc minores eſſe conſueverunt, *arctiſſimo, & nunquam interituro nexu, & vinculo, Summo, Supremoque Pontifici inhæreat*. Dixi *arctiſſimo, & nunquam interituro*

(a) *Lib. 1. tit. de Romano Pontifice*, (b) *Ex l. Curialis Cod. de Epiſc. & Clericis, & aliis Juribus allegat.* (c) *Ad Reg. 16. Cancell. q. 2. n. 1.* (d) *In Clement. 2. de Sepult.*

Digitized by Google

turo vinculo inhæreat; Scimus enim, cum primum fuerit quis Epiſcopus ejuſdem Urbis renunciatus, Summum totius Orbis Pontificatum obtinere; aliaſque omnes qualitates ſortiri, quæ cum Supremo Eccleſiæ Imperio junguntur, ut fuſe advertunt Morinus (*a*), Hallier (*b*), & Natalis Alexander (*c*). Unde quamvis aliquommodo dici poſſet, Supremum Pontificatum jure tantum humano Romanæ Sedi & Urbi adnexum exiſtere, quia utriuſque nexus ex facto Petri profluxit, atque deſcendit, qui ex Antiochena Eccleſia ad hanc Urbem ſe tranſtulit, eamque proprio ſanguine decoravit; tamen temeraria plane, & hæreſi proxima illorum ſententia eſt, qui Pontificatus Summi ab Epiſcopo Romano ſeparabilitatem affirmant, & jure ſolum humano utramque qualitatem copulari arbitrantur; Quoties enim Petrus Sedem ſuam ſtabiliter Romæ collocavit, & Romanam Eccleſiam regens obivit; qui Epiſcopus Romanus non ſit, dici profecto non poteſt Petri Succeſſor, ad quem Univerſalis Eccleſiæ cura Petro, ejuſque ſucceſſoribus a Chriſto Domino commiſſa (*d*) fuerit transfuſa, ut ſolide advertit inter alios Benedictus XIV. (*e*)

11. Cum vero univerſæ Juriſdictionis & auctoritatis fons, & principium, a quo in reliquos Magiſtratus & Judices tanquam a mari in rivulos eadem auctoritas diffluit, atque porrigitur, ſit Romanus Pontifex; Quamvis hinc *in Inſtit. Can.* (*f*), & in Criminalibus (*g*), plura de eodem Romano Pontifice congeſſerimus; Tamen cum plura ſcitu undique digna deſiderari adhuc poſſe videantur, ea hic opportune ſubne-

(a) *Exercit. Eccleſ lib.* 12. *exercit.* 6. & 13. (b) *De Sacris Ordination.* 3. *p. cap.* 4. *ſect.* 5. *art.* 3. (c) *Hiſt. Eccleſ. ad Sæculum* 4. *diſſert* 20. *propoſ.* 2. (d) *Matt.* 16. *Joan.* 21. (e) *De Synod. Diœces. lib.* 2. *cap.* 1. (f) *Lib.* 1. *tit.* 4. (g) *Lib.* 1. *tit.* 3.

Digitized by Google

nectenda judicamus, præſertim circa Pontificis electionem, conſecrationem, & poſſeſſionem, quæ quidem licet nec ad *Curiam* ſtricte ſumptam, nec ad ordinem judicialem pertineant, cum tamen vel a jure communi, vel ex Apoſtolicis conſtitutionibus, vel ex antiquiſſima, & laudabili Romanæ Urbis conſuetudine fuerint provide invecta, non incongrue *in hoc Tractat. Rom. Curiæ* proferuntur.

TITULUS II.

De Romano Pontifice.

ROmani porro Pontificis electionem *in Inſtitutionibus Canonicis* ad Cardinalium Collegium ſpectare docuimus, in eaque cenſuram *textus in Cap. quia propter, de Elect.* locum non habere, variaque pariter hujus electionis privilegia protulimus; ut uberior tamen, & amplior ejuſdem Electionis notitia habeatur, eſt hic advertendum, multiplicem ex temporum diverſitate, & variis militantis Eccleſiæ circumſtantiis tam in modo eligendi, quam in Perſonis eligentibus, Deo ſpeciali quadam providentia ſic diſponente, ut notavit Scipio Ammiratus (*a*), electionis Summi Pontificis formam, ſeu rationem, & methodum extitiſſe. Etſi vero Onuphrius Panvinius 18. modos ejuſdem electionis peragendæ recenſeat, in libris 10. quos Sancto Carolo Borromæo tunc Cardinali nuncupavit, ſeptem inſuper referat Mabillonius (*b*), & demum P. Catalanus (*c*) multo plures ex iis, qui Rom. Pontificum vitas ſcripſere, erui poſſe

(a) *Diſſert. polit. lib. 3. cap. 1.* (b) *Tom. 2. Muſæi Italici in Commen. prævio ad Ord. Rom. cap. 17.* (c) *In Com. ad Conc. Later. III. Occum.*

ſe fateatur: Communius tamen tres proferuntur, per Inſtitutionem ſcilicet, Subſtitutionem, & Electionem, ut notavit Jacobus Cohellius (*a*), quæ tamen Electio in varias ſpecies deinde dividitur. Inſtitutionis ſane modum ſemel tantum adhibitum omnes admittunt, cum Chriſtus Dominus Petrum, cui primatum in Univerſa Eccleſia promiſerat, inquiens (*b*): *Tibi dabo claves &c.* Summum Pontificem inſtituit, ac deſignavit, eidem poſt reſurrectionem oves committendo eumque univerſalem Paſtorem nominando per verba *Paſce oves meas* (*c*). Per Subſtitutionem inſuper Divos Clementem, & Linum ad Pontificatum per Sanctum Petrum aſſumptos, aliqui colligunt ex Epiſt. 1. D Clementis ad Jacobum, quæ refertur *in Can. Si Petrus* 8. *q.* 1.; ſed rectius, & probabilibus aſſeritur, factum D. Petri meram, & ſimplicem commendationem Fidelibus factam præſetuliſſe, ut ſcilicet ipſi eoſdem alternatim eligerent, cum *Succeſſoris deſtinatio, & vocatio in Summo præſertim Univerſæ Eccleſiæ Paſtore quovis jure improbata perpetuo fuerit*, ut advertunt inter alios Jul. Lavorus (*d*), Sebaſtian. Cæſar (*e*), Barboſa (*f*), aliique.

2. Dixi *Succeſſoris deſtinationem in Summo præſertim Eccleſiæ Paſtore perpetuo improbatam fuiſſe*: Inde tamen non ſequitur, fuiſſe pari jure interdictum, Pontificem imminente morte de Succeſſore conſulere, *dummodo arbitrio eorum, quibus eligendi jus competebat, reſervaretur in eum conſentire, quem moriturus Pontifex ſuggeſſiſſet, aut nominaſſet*. Scimus enim, ut cætera exempla prætere-

mus,

(a) *In notitia Cardin. cap.* 13. (b) *Matthæi cap.* 16. (c) *Joan.* 21. *&* 22. (d) *Variar. Lucubr. tit. de election. cap.* 3. *per tot.* (e) *De Eccleſiaſtica Hierarchia diſp.* 1. *§.* 5. (f) *De poteſt. Ep. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3.

mus, Victorem III. Beneventanum antea Deſiderium a S. Gregor. VII. Pontificem una cum Abbate Cœnobii Caſſinenſis, atque Epiſcopis Othone Oſtienſi, & Hugone Lugdunenſi fuiſſe Pontificem nominatum, ut in vita S. Gregor. VII. (*a*) habetur; eodemque Gregorio VII. mortuo ab Epiſcopis, & Cardinalibus Deſiderium electum narrat Leo Oſtienſis (*b*). Addidi *dummodo arbitrio eorum, quibus competebat, Electio reſervaretur*; Firmum quippe, & conſtantiſſimum eſt, per Electionem, Divo Petro unice excepto, ad Summum Eccleſiæ regimen alios omnes Pontifices aſſumptos fuiſſe, ſive per Inſpirationem, ſive per Adorationem, ſive per Compromiſſum, ſive demum per Scrutinium eadem Electio contigerit, nullam quippe ſpeciem Electionis neceſſario requiri arbitratur dictus Julius Lavorius (*c*), licet ea, quæ per Scrutinium agitur, frequentior fuerit, magiſque uſu recepta. Unde inter alios Fabianum Pontificem per Inſpirationem electum, nulloque inter eligentes ſervato ordine, cum columba de ſublimi evolans ejus capiti inſedit, & audita vox ab omnibus fuit: *Tu Romæ Epiſcopus deſignaberis*, referunt Euſeb. (*d*), & Baron. (*e*), quem tamen morem eligendi per inſpirationem Gregorius XV. edita peculiari conſtit. 5. *Octobris* 1621., & Urbanus VIII. *altera* 28 *Jun.* 1625. merito abrogarunt, ne tumultuarie Pontifex eligi videretur. Scimus pariter Clementem VII. anno 1523. Paulum III. anno 1534, Julium III. anno 1550. Marcellum II. anno 1555. Pium IV. anno 1559., & Sanctum Pium V. anno 1566. per adorationem abſque Scrutinio electos fuiſſe; prout etiam refert Azor.

(*a*) Jo-

(a) *Cap.* 109. *inter Scriptor. rer. Italic. t.* 3. *pag.* 347. (b) *Lib.* 3. *Chron. Caſſin. cap.* 72. (c) *De electiōn. cap.* 6. *n.* 59. (d) *Lib.* 6. *Hiſt. cap.* 22. (e) *Ad annum* 238.

(*a*) ; Johannem inſuper XXII. per Compromiſſum electum affirmant D. Antoninus (*b*), & Spondan. poſt Baron. (*c*). Immo Barboſ. (*d*) eundem Johan. ſe ipſum refert elegiſſe, cum unus ex compromiſſariis ad eligendum fuiſſet a Cardinalibus deputatus, quod in Electione Pontificis, præſcindendo a peculiaribus conſtitutionibus, de quibus infra, fieri poſſe ex privilegio defendit, licet in aliis electionibus improbetur. Unde Clemente IV. vita functo per compromiſſum Theobaldum Placentinum Archidiaconum Leodienſem ad Pontificatum evectum fuiſſe narrat Raynald. (*e*). Nunc quibusnam Perſonis multiplex hæc, & varia eligendi ratio fuerit a jure olim tributa, videamus.

3. Porro a primis Eccleſiæ Sæculis, imo poſt Clementis deſtinationem a Petro factam Clerus, & Populus Pontificem eligere conſuevit, ita ut Clericorum ſuffragiis, & populi approbatione, & conſenſu Pontifices fuerint electi, ut teſtatur inter alios D. Cyprianus (*f*) ; eaque Electionis forma diu, & uſque ad Schiſma inter Damaſum Pontificem, & Urſicinum ortum anno circiter 418. pacifice perduravit. Cœpit autem tunc nullo cæteroquin juris præſidio, immo per vim, & violentiam ſæcularis auctoritas ſub prætextu ſedandi ſchiſma, primævamque pacem Eccleſiæ reſtituendi, in electione Pontificis immiſceri. Nam Imperator Valentinianus Urſicino rejecto Damaſum confirmavit, ut refert Socrates (*g*). Eademque Schiſmatis occaſione arrepta alii etiam Imperatores eamdem Pontificum confirmationem uſurparunt, im-

(a) *Lib. 4. Inſtit. 2. par. 2. c. 5.* (b) *3 part. tit. 2. cap. 24.* (c) *Anno* 1316. (d) *Lib. 1. Jur. Eccl. univer. cap. 1 n. 97.* (e) *Anno* 1271. (f) *Lib. 4. epiſt. 2.* (g) *Lib. 2. hiſt. cap. 7. & lib. 4. cap. 29.*

immo quamdiu Gothorum Regnum Italiam invaſit, ita Pontifices eligi conſueviſſe teſtatur Pagius (*a*). Gothis autem Italia exactis, audaciores fuerunt Orientis Imperatores; quos inter alii Juſtinianum, quem idcirco de ſumma impietate redarguit S. Gregorius (*b*), alii Juſtinum Secundum, ut exiſtimat P. Joannes Ant. Bianchi ex Min. Obſerv. familia (*c*), primum fuiſſe arbitrantur, qui ne dum nullum ſanxit futurum Pontificem, niſi quem ipſe confirmaſſet, ſed ulterius niſi certa pecuniæ quantitas pro confirmatione fuiſſet perſoluta, ut refert Rouſſelius (*d*); quodque plus eſt, eo temeritatis pervenit Baſilius Urbis Romæ Præfectus, ut decreto ſuo perperam juſſerit, ne Pontifex ipſo inconſulto inauguraretur, cujus Statuti tenor refertur *in Cap. Eccleſia, de Conſtit.* Reddita tamen benedicente Domino fuit, & undique reſtituta Eccleſiæ libertas per Conſtantinum Heraclii Imperatoris pronepotem anno 684., qui Benedicti II. Sanctitate percitus eligendi Pontificem poteſtatem Clero, populoque reſtituit, ut teſtatur Platina (*e*).

4. Quamvis autem aliqui affirment, Adrianum Pontificem a Deſiderio Longobardorum Rege vexatum, Carolum Magnum in auxilium advocaſſe, eique jus eligendi Pontificem conceſſiſſe, cui poſtea Ludovicus ejus filius renunciavit, cujus renunciationis mentio habetur *in Canone Adrianus, & Can. Ego diſtinct. 63.* fabulam tamen hanc a Sigiberto hiſtorico Schiſmatico primum inventam, & a Gratiano nimia credulitate adoptatam, ſuæque collectioni

(a) *In Critic. ad ann. 526. n.8.* (b) *In Pſalm. 7. & lib. 4. ep. 4.* (c) *Della podeſtà, e polizia della Chieſa tom. 6. lib. 4. cap. 3 n. 4. §. 2.* (d) *Lib. 2. Hiſt. Pontific. Juriſdic. cap. 9.* (e) *in Vita ipſius Benedicti.*

ni inſertam ad inſtar aliarum apocrypharum rerum, vel hiſtoriarum, quas in Decreto appoſitas a Gratiano, vel Palea ejus Diſcipulo notavimus *in Inſtitutionibus Canonicis*, evincunt inter alios Suarez (*a*), Cabaſſutius (*b*), aliique.

5. Cohærenter vero ad libertatem hanc, quæ a S. Petri tempore, ut ſupra diximus, Eccleſiæ competierat, fueratque, ut pariter innuimus, poſt varias uſurpationes, & viciſſitudines reſtituta, Nicolaus II. Concilio 113. Epiſcoporum anno 1059. Romæ coacto, cujus Sanctionis exemplar habetur apud Labbæum (*c*), ſolemniter ſanxit, ut is tantum Pontifex foret, qui a Cardinalibus Epiſcopus fuiſſet electus, & in quem reliquus Clerus, & Populus conſenſiſſet; Sed cum provida hæc conſtitutio adhuc tranquillitati Romanæ Eccleſiæ, quæ paſſim per Schiſmata perturbabatur, proſpicere nequiviſſet, tandem Alexander III. plura a quatuor falſis Pontificibus, nimirum Victore II. Paſchali III. Calliſto III. Innocen. III. nec non ab Henrico II. Anglorum Rege, & Friderico I. Romanorum Imperatore, vulgo Barbaroſſa paſſus, in Concilio Lateranenſi III., quod fuit Œcumenicum XI. anno 1179. convocato, tandem edixit, ut a ſolis Cardinalibus Pontifex eligeretur, iſque foret, in quem ex tribus duæ partes conſpirarent, vel quem per Scrutinium, ut fieri ſolet, eligerent, ut refertur *in Cap. Licet, de Electione*; Eoque jure nunc utimur, & ſolis Cardinalibus, ſeu duabus ex tribus partibus eorum, qui Electioni præſentes ſunt, jus eligendi reſervatur.

6. Porro licet antiquitus, nempe primis Eccleſiæ

C 2 Sæ-

(a) *Adverſus Regem Angliæ cap. 29.* (b) *In notitia Conciliorum in Lugdun. Concilio fol. 613.* (c) *tom. 12. Concil. Edit. Venet. col. 50. litt. B.*

Digitized by Google

Sæculis Comitia pro Electione Pontificis in cryptis, ſubterraneiſque locis, ubi Fideles ad evadendam Paganorum tyrannidem morabantur, celebrarentur, ut notat Panvinius (*a*); poſt redditam vero a Conſtantino pacem, ſi Romæ Sedes vacaſſet, aut in Eccleſia Lateranenſi, aut in Vaticana, aut altera æde Sacra, ſi autem extra Urbem, in Cathedrali illius Civitatis eadem Comitia haberentur, ita, ut dimiſſis Comitiis domos ſuas Cardinales repeterent, eaque ſequenti die reaſſumerent (*b*); Ad expediendam tamen Pontificis electionem B. Gregorius X. in Concilio Lugd. anno 1274. lege expreſſa conſtituit, ut in Conclavi Cardinales clauderentur (*c*). Quamviſque idem Decretum variis fuerit deinde mutationibus obnoxium, nec ſemper exequutioni mandatum; S. Cæleſtinus tamen V., deindeque Clemens V. in Concil. Viennæ celebrato, quod fuit Œcumenicum 15. Gregorianam Conſtitutionem, etiam circa Conclavis erectionem confirmavit, ejuſque Pontificis conſtitutio refertur *in Clementina Ne Romani, de Electione*, circa cujus directionem vetuſtioribus Conſtit. prætermiſſis, præcipue vero Clemen. VI. Pii IV, & Gregorii XV., ultima extat Clemen. XII., quam in *Inſt. Can.* innuimus (*d*), & fuſius infra exponemus, præſertim cum de Card. Camerario erit pertractandum. Cum vero ſuper Conclavis clauſura dubia ſæpe orirentur, ex quibus electionis validitas in diſcrimen vocabatur, Urbanus VIII. (*e*) edixit, *ut ſtatim poſt clauſum Conclave diligens fiat inquiſitio ſuper ipſa clauſura, eaque in effectu reperta, publicum fiat documen-*

(a) *De ritibus ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos cap. II.* (b) *Panvin. in notis ad Platin. in vita Gregor. X.* (c) *Raynaldus ad annum 1276.* (d) *Sub tit. de Rom. Pontif.* (e) *In confirm. conſtit. Greg. XV.*

mentum per Cæremoniarum Magiſtrum, quo peracto, etiam ſi poſtea in totum, vel in parte apertum defacto reperiatur, Conclave ſemper tamen clauſum, & pro clauſo eſſe cenſendum, quoad electionis validitatem, donec de conſenſu duarum partium Cardinalium præſentium per ſecreta ſuffragia apertum eſſe declaretur. Neque eſt prætereundum, omnes indiſtincte Cardinales ad eligendum Pontificem admitti, etſi forſan excommunicatione irretiantur, ut *in iiſdem inſtit. Can* (*a*) adnotavimus; niſi tamen ejus indolis exceptiones ſint contra Cardinales objectæ, quæ Electionis ſubſtantiam inficiant, ut hæreſis, ſimonia, metus ad electionem incuſſus, aliæque hujuſmodi relatæ a Lavorio (*b*). Electus vero cum Pontifex a Cardinalibus fuerit, ejuſdem conſenſus electioni accedere debet, qui donec præſtitus non fuerit, Sedes Apoſtolica vacat, perinde ac ſi electio eadem non fuiſſet ſequuta; quod ſi conſenſerit, nominis mutatio ſubſequitur, exemplo Principis Apoſtolorum, qui *Simon* antea dicebatur, ac poſtea *Petrus*, nempe Petra, ſuper quam inſtruenda erat Eccleſia, vocari promeruit. Quoniam vero, ut diximus, per Scrutinium Pontifices ad præſens plerumque eliguntur, *ex cap. licet, de electione*, præſtat, ut hunc eligendi ritum practice exponamus.

7. Exequiis igitur novendialibus prædefuncti Pontif. opportune peractis, die undecima, ut ſtatutum fuit in Concilio Lugdunenſi II. Œcumenico XIV. anno 1274. coacto, & confirmavit Pius IV. (*c*), nec non Gregor XV. in ſuo Cæremoniali, Cardinalis Decanus, eoque impedito, Cardinalis antiquior, Sacrum ſolemniter celebrat ad implorandam Divin. Spiritus opem; Tum

(a) *Tit. de Electione*. (b) *Loco cit cap. 6. n.* 38. (c) *In Conſtit. edita die 9. Octobris* 1562.

Tum oratio de eligendo Summo Pontifice ad Purporatos viros habetur; Inde ſupplicatio ad Conclave, quæ ſequenti ordine agitur. Præeunt ſcilicet Epiſcopi, poſtea ſequuntur Presbyteri, hinc Diaconi Cardinales Cáppis violaceis induti, poſtremo omnes Romanæ Curiæ Præſulum Ordines. Crucem vero, quam tertius Magiſter Cæremoniarum defert, præcedunt ii, qui in nobilem Cardinalium familiam adſcripti ſunt, nec non Cantores Pontificii hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantes. Quum vero omnes ad Sacellum Conclavis pervenerint, orationem *Deus, qui corda Fidelium &c.* Cardinalis Decanus, vel antiquior recitat, tum a Magiſtris Cæremoniarum leguntur Apoſtolicæ Conſtitutiones Pontificiam electionem reſpicientes, quas Cardinales juriſjurandi religione ſervaturos promittunt. Mox Cardinalis Decanus, eoque, ut repetimus, abſente, vel impedito, Cardinalis antiquior Cardinales una ſimul collectos vehementer hortatur, ut ſepoſitis humanis reſpectibus, ſolaque Dei præ oculis habita gloria, graviſſimum Pontificiæ Electionis negocium quantocius abſolvant, eaque allocutione ſequuta, omnes ad Cellas adeunt tenui inſtructas ſupellectili, ac forte pridie, quam ingrediantur Conclave, ſelectas, ut expreſſe Pius IV. (*a*) decrevit. Poſt prandium inſuper Cardinales ad Sacellum, quod a Sixto IV. Pontifice Sixtinum vocatur, accedunt, ibique Miniſtri Conclavis, aliique jus habentes juramenta edunt de Conſtitutionibus Apoſtolicis exequendis, eademque die nobilibus viris maxime Prælatis liberum eſt Conclave ingredi, debitaque obſequia Cardinalibus exhibere, donec hora prima noctis noviſſimus Cæremoniarum magiſter, pulſato ære, eodem-

(a) *Dicta Conſtit. die 9. Octobris ann. 1562.*

demque ſonitu repetito hora ſecunda, ac tertia, ſignum egrediendi deConclavi omnibus præbet, deindeque comitatus a duobus Curſoribus, & perluſtrato Conclavi, *Extra omnes* exclamat; Unde ſub horam tertiam noctis omnes egrediuntur. Conclave autem interius ex mandato Cardinalis Sanctæ Romanæ EccleſiæCamerariiMagiſter Cæremoniarum, exterius vero Mareſchallus ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ claudit, cujus Mareſchalli munus etiam eſt Cuſtodiæ Comitiorum Cardinalium præſidere.

8. Demum clauſo Conclavi, tres numero Cardinales, quos Capita ordinum vocant, ut pote ex tribus Eccleſiaſticis ordinibus ſelecti, videlicet Epiſcopali, Presbyterali, & Diaconali, necnon Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, & Magiſter Cæremoniarum Conclave circumeunt, ne ullus ad id alicui aditus pateat, ejuſque Clauſuræ idem Magiſter Cæremoniarum documentum publicum conficit, neque ulterius cuiquam fas eſt, ſub anathematis pœna, aut e Conclavi egredi, aut illud intrare, niſi cauſſa a majori Cardinalium parte per ſecreta ſuffragia approbata, ex Conſtitut. Pii IV. *edita 9. Octobris* 1562, qua etiam conſtitutione cavetur, Prælatos ad cuſtodiam Conclavis deſtinatos ſub pœna perjurii, & ſuſpenſionis a Sacris, maxima, & exquiſita diligentia uti debere in inſpiciendis epulis, aliiſque rebus per Rotas, ut ajunt, ad Cardinales delatis, aut Perſonis Conclave forſan intrantibus, & inde exeuntibus, ne ſub earum rerum velamine litteræ, aut notæ, aut ſigna aliqua tranſmittantur, quæ Electionem reſpiciant; Quod ſi tale quid forte fuerit inventum, Familiares Cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitationis ad obtenta, & obtinenda ſta-

ſtatim incurrunt, & ulterius per Gubernatorem carceribus mancipantur, non niſi de mandato novi Pontificis relaxandi, omnique facultate Collegio Cardinalium in favorem quorumcumque, qui in præmiſſis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino ſublata.

9. Octo autem ſunt Rotæ Conclavis in quatuor locis binario numero pro unoquoque loco diſtributæ. In una adeſt unus Epiſcopus, & in alia prope unus Protonotarius Apoſtolicus; In altera unus ex Conſervatoribus, & in alia unus Præſul, ſive Signaturæ ſuffragator; in aliis duabus duo Apoſtol. Cameræ Clerici; ac demum in aliis duabus duo Sacræ Rotæ Auditores. Plures vero diſtributi per ſingulas Rotas Curſores pro occurrentibus neceſſitatibus adſiſtunt. Præſules quidem die quolibet, mane ſcilicet ac veſpere (ſub quorum nomine Patriarchæ etiam, & Archiepiſcopi comprehenduntur) a Curſoribus, habita ordinis & præeminentiæ ratione advocantur. Quamvis autem omnes olim convivio exciperentur a Præſule ad cuſtodiam Conclavis deputato, qui Gubernator ejuſdem dicebatur, cujus auctoritas ſe protendebat in totam Civitatem Leoninam a Leone IV. Pontifice dictam, qui ne Sancti Petri templum incurſionibus Saracenorum eſſet obnoxium Vaticanum Collem mœniis circumdedit, quæ idcirco Leonina vocantur; Noſtris tamen temporibus per Conſtitutionem Clementis XII. 4. Nonas Octobris anno 1732. quam innuimus ſupra, eo ſublato, ad Cuſtodiam conclavis adſidet Palatio Apoſtolico Præfectus, quem Præfectum Domus nuncupare mos eſt, isque eoſdem Pralatos ad menſam excipere ſolet.

10. Clauſo igitur Conclavi, die clauſuram immediate ſequenti propius Cardinales ad Electionem diſponuntur; Unde ad ſonum Campanæ omnes e Cellis

Cellis ſuis prodeuntes ad Sacellum Sixtinum ſeſe recipiunt induti longis veſtibus, quas croceas appellant. Illic ad divini Spiritus opem implorandam Cardinalis Decanus, vel ſenior, ſi is impediatur, ſolemniter ad aram operatur; Inde Cardinales antiquiores ordine accedunt ad altare deferentes Stolas albi coloris pendentes ante pectus, ſi fuerint Sacerdotes, ſi Diaconi, pendentes ab humero dextero ad pectus, atque Chriſti Corpore reficiuntur, & mox Comitia inchoantur. Fit autem Electio per ſcrutinium, & acceſſum miniſterio Schedularum, abolitis antiquioribus Electionis modis, quos ſupra tetigimus, & hoc modo ſuffragia laturi Cardinales bis in dies ſingulos, mane poſt ſacrum, ac veſpere poſt hymnum *Veni Creator Spiritus*, una ſimul in memorata Cappella conveniunt.

II. Tribus autem ſeſſionibus ratio electionis abſolvitur, primam ante Scrutinium, alteram Scrutinium, tertiam poſt Scrutinium appellant. In prima quidem Seſſione, ſeu antequam Cardinales ſuffragentur, quinque præmittuntur; Nimirum præparatio Schedularum Scrutinii, & Acceſſus, quæ per Cæremoniarum Magiſtrum expletur: Extractio item trium Scrutatorum, ac trium Infirmariorum, quæ pertinet ad ultimum Cardinalem Diaconum: Scriptio pariter Schedularum, quam ſinguli Cardinales ſervato dignitatis ordine non in Cella, ſed in Sacello in menſa ſcriptioni aptata his verbis efficiunt, *Ego Cardinalis N. eligo in Summum Pontificem Reverendiſſimum Dominum meum Cardinalem N.* Accedunt Schedularum Complicatio, quæ ſic fieri debet, ut nomen eligentis, ac Signa occultentur; & earum demum obſignatio, quæ ita peragitur, ut ſub ſigno nomen eligentis ex una parte, ex altera ſignum abſcondatur, quod, ut facilius, & ſecurius fiat,

non proprium Cardinalis, ſed diverſum eſſe debebit, ac ſecreto ſervatum, & adeo ſimplex, ut facile imprimi poſſit, veluti ſi in eo tres numeri, ſeu tres literæ, aut una tantum, vel duplex imago ſculpantur, atque hoc ordine prima ſeſſio ſolet expleri.

12. Altera autem, ſcilicet Scrutinii, octo actibus conſtat; Hi ſane ſunt Schedulæ delatio; præſtatio juramenti; poſitio Schedulæ in Calicem; Schedularum commixtio; earum numeratio; Scrutinii publicatio; Schedularum in filum inſertio; earumque demum deorſum facta projectio, ſeu depoſitio. Id verò practice, præſertim circa primos tres actus, in hunc fere modum abſolvitur. Cardinalis ſcilicet complicatam, ac duobus primis digitis exceptam manu Schedulam præfert ſublatam ad altare, penes quod Scabellis præfati tres Scrutatores ſedent, & in quo Calix eſt ad Schedulas recipiendas paratus, ibique provolutus in genua pauliſper orat, tum ſurgens in hanc formam, quæ in Tabella ſuper altari poſita habetur deſcripta, elata voce jurat: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me judicaturus eſt, me eligere, quem ſecundum Deum judico eligi debere, idemq. in acceſſu præſtabo.* Iiſque verbis prolatis, ponit Schedulam ſupra patenam, eamque per patenam in Calicem conjicit mox proſternit ſe ad altare, & locum ſuum, ex quo diſceſſerat, repetit.

13. Cæterum ſi quiſpiam adeo imbecillis foret, vel ſenex, ut licet præſens in Sacello, ad altare non poſſet accedere, tertius Scrutator, aſſumpto diſco, vulgo *Baxile*, Schedulis repleto, eum adibit, unam is Schedulam capiet, cui ſecreto ſuffragium ſuum inſcribet, ſuoque muniet Sigillo, ac Scrutatori porriget jurejurando (ut ſemper fieri ſolet) emiſſo. Hinc ſcrutator ſchedulam ad altare palam & publice defert, & in

Ca-

Calicem conjicit. Ad eos item Cardinales,qui correpti morbo decumbunt lecto,InfirmariiCardinales accedunt,illorum vota accepturi. Hi ſcilicet a ſcrutatoribus argenteam Capſulam ad id paratam accipiunt coram omnibus, tum oſtendunt vacuam eſſe, mox eam claudunt, & clavem ſuper altare reponunt, deinde cum Capſula, & diſco, in quo tot ſunt Schedulæ, quot Cardinales infirmi, ad eos ſe conferunt, & eorum quilibet unam depromens Schedulam, in ea ſuffragium ſuum inſcribit, eamque obſignatam præſtito jurejurando in Capſulam per rimulam conjicit. Infirmarii vero poſt Cardinalem Decanum præſtant ſua vota, & dum Cardinales cæteri id perficiunt, ipſi Suffragia infirmorum colligunt. Si quis vere adverſa adeo valetudine affectus ſit, ut iſta agero nequeat, quem vult eligere poterit, qui ſuas vices adimpleat.Iſte autem tenetur ſervare ſecretum, ac ſi Sacerdos ſit, tacto pectore more Sacerdotum jurabit. Si autem non ſit Sacerdos, tactis Evángeliis, ſeu ex conſuetudine tangendo aliquam Scripturam, quod juramento æquipollet. Quibus expletis Cardinales Infirmarii ad Sacellum pergunt, & Capſulam Cardinalibus Scrutatoribus tradunt, qui illam coram omnibus aperiunt, Schedulas numerantes, eaſque ſigillatim per patenam conjicientes; iiſque omnibus abſolutis, ſubſequuntur Schedularum permixtio, & numeratio.

14. Permixtio ſane per primum ſcrutatorem agitur Calice patena cooperto pluries agitato. Numeratio vero fit per tertium Scrutatorem eas ſigillatim ſumendo ex Calice, atque in alium ad id paratum conjiciendo. Earum numerus ſi excedat, ſeu deficiat, omnes comburuntur, & iterum ad ſuffragia devenicndum; ſi recto numero reſpondeant,alii actus

ſuccedunt, nimirum ſchedularum publicatio, earum in filum inſertio, ac demum Schedularum depoſitio, ſive projectio.

15. Sextus igitur actus Scrutinii eſt Schedularum publicatio, quæ per Scrutatores juxta Rituale, ſeu Cæremoniale Gregorii XV. ſequenti ordine peragi ſolet. Scrutatores ſcilicet ad menſam ante altare poſitam ſedent; primus autem Scrutator unam Schedulam accipit, eamque intactis Sigillis explicat, & viſo Electi nomine, ſecundo Scrutatori tradit, qui pariter eodem Electi nomine perſpecto, eam tertio porrigit, qui illam voce alta, & intelligibili legit, ut omnes Cardinales præſentes ſuffragium in folio impreſſo, quod penes ſe habent, cum nominibus omnium Cardinalium, adnotent, atque deſcribant, quod de cæteris Schedulis in Calice poſitis ad ultimam erit æquo jure faciendum, ex prædicto Cæremoniali, & Bulla Gregor. XV. ubi etiam cavetur, quod ſi in Scrutinii publicatione ſcrutatores duas Schedulas ita complicatas forſan inveniant, ut ab uno tantum datas appareat, ex quo unus, & idem in utraque fuerit forſan electus, Schedulæ prædictæ pro uno ſuffragio erunt habendæ, atque notandæ. Si vero diverſi fuerint nominati, neutrorum ſubſiſtet, prout in ead. Bulla Gregoriana ſtatuitur de illa Schedula, in qua plures nominentur; Scrutinium tamen neutro caſu vitiatur. Cæterum ſuffragia prædicta abſoluta Scrutinii publicatione juxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam ſummam redigi, vel in ſeparato folio notari conſueverunt, ne Cardinales cogantur ſemper numerare ſuffragia, quæ juxta nomina Cardinalium deſcripſerunt.

16. Septimus Scrutinii actus eſt Schedularum in filum inſertio, quæ ut ipſæ cautius ſerventur, fuit pro-

provide inventa. Ea autem fit per tertium Scrutatorem inſerendo Schedulam unamquamque, cum eam perlegerit, acu cum filo ſerico in loco, ubi eſt verbum *eligo*; Filum vero ſericum rubri coloris eſt in ſcrutinio, violacei in acceſſu adhibendum.

17. Octavus denique Scrutinii actus eſt depoſitio Schedularum, ſeu deorſum facta projectio, quæ item per tertium Scrutatorem explicatur, qui finita inſertione Schedularum omnium in filum, capita fili nodo conjungit, & Schedulas omnes ita colligatas, vel in menſa ſeorſum, vel in alium Calicem vacuum ponit. Supereſt nunc, ut de tertia Seſſione, quæ poſt Scrutinium ſupereſt, aliqua proferamus.

18. Tertia igitur, ac poſtrema Seſſio, ſcilicet poſt Scrutinii, juxta rituale Gregorianum ita peragitur; Si ſequuta ſit Electio in Scrutinio, tres tantum actus complectitur, atque hi ſunt numeratio Schedularum, recognitio ſuffragiorum, & Schedularum combuſtio; Si vero non ſit ſequuta Electio, ea quidem ſeptem actibus conſtat, & ſunt Acceſſus, Sigillorum, & ſignorum aperitio, eorum adnotatio, ſuffragiorum examen, ſuffragiorum Scrutinii, & Acceſſus numeratio, eorumque recognitio, Schedularum demum omnium combuſtio.

19. Porro quum peculiare ſit Pontificiæ Electionis, ut ea novis ſuffragiis identidem confirmetur, merito Scrutinium acceſſus ſubſequitur, qui etiam miniſterio Schedularum peragitur. In Acceſſu vero ea omnia ſervari debent a Cardinalibus, quæ in Scrutinio peraguntur, his unice exceptis a Rituali Romano alias allegato; primo nempe Cardinales Schedulas pro acceſſu aſſumere debent ex diſco Schedularum acceſſus; in Schedula inſuper acceſſus, loco verbi Eli-

go

go dicitur Accedo = *EgoCardinalis N. accedo Reverendiſſimo Domino CardinaliN.* & ſi Cardinales nemini velint accedere, ſcribunt: *Nemini*. Hæc tamen Schedula iiſdem Sigillis, & ſignis Schedulæ Scrutinii ſub pœna nullitatis ſuffragii acceſſus inſcribenda eſt, & obſignanda. Quum inſuper acceſſus ſit iterata ſuffragatio, nequit hinc ſuffragium dari niſi Cardinali, qui in Scrutinio unum ſaltem habuerit, illud tamen per Cardinalem, qui jam dedit in Scrutinio, dari non poteſt. In acceſſu item non præſtatur juramentum, quod jam fuit præſtitum in Scrutinio per illa verba: *Idemque in acceſſu præſtabo*.

20. Ad hæc Infirmarii debent deferre ad ſingulos Cardinales ægrotos Schedulas Acceſſus, ut plane noſcant procedi Canonice in Electione, necnon impreſſum folium palam recognitum, in quoCardinalium nomina expreſſa leguntur, & in quo ſuffragia cuilibet illorum data adnectuntur. Nemo autem ſibi ſuffragium dare poteſt, neque in Scrutinio, neque in acceſſu, id enim exploratiſſimum eſt etiam ex juris communis cenſura, quam in Inſtit. Canon. expoſuimus (*a*). Præſtat vero hic animadvertere, Scrutinium ut quid principale, acceſſum ut quid acceſſorium reputari; Unde ſi aliquis Cardinalis deliquium paſſus nequeat in Scrutinio ſuffragium ferre, licet poſtea paululum convaluerit, & capax factus ſuffragrandi tempore acceſſus videatur, adhuc ſuffragium ferre nequibit. Cum enim Scrutinium, & acceſſus per modum unius actus ſpectentur, hinc qui incapax eſt principalis, acceſſorii quoque incapax eſſe cenſetur;& de facto cum in Conclavi Benedicti XIII. Cardinalis Vallemani deliquium paſſus nullo pacto potuerit ſuffragium ferre in Scrutinio, licet tempore acceſ-

(a) *In tit. de Elect.*

acceſſus convaluiſſet, ejusVotum non fuit exquiſitum ita decernente Sacro Collegio; Nunc reliquos poſt ſcrutinii actus proſequamur.

21. Igitur ſecundus, tertius, & quartus actus poſt ſcrutinii ſunt Signorum aperitio, eorum adnotatio, & ſuffragiorum examen, qui tamen tunc ſolum adhibentur, cum per Scrutinium, & acceſſum electio ſequuta eſt, eoque caſu primus Scrutator Schedulas acceſſus, quas obtinuit Electus, in ea parte ſolum, quæ ſigna continet, aperit, & diligenter inſpectis earum Sigillis, & ſignis, apertas, ac in filo, ut erant, inſertas alteri Scrutatori communicat, qui eadem inſpectione facta porrigit tertio, elataque is voce Sigilla, & Signa prædictarum Schedularum enunciat, & in latere ſiniſtro folii impreſſi ad hunc effectum parati ſub verbis Sigilla, & Signa acceſſus inſimul adnotat, eandemque adnotationem cæteri Cardinales ſimili folio impreſſo, ſi voluerint, faciunt. Diligenter autem eſt, opportuneque cavendum, num Schedula Scrutinii, & Schedula acceſſus in ſigillo, ſignis, ac perſona electa conveniant, & an conveniendo in ſigillo, & ſignis, in perſona electa diſcordent; Si enim diſtincti ſint, qui nominavit Electum, & qui eidem acceſſit, ſuffragium acceſſus ſuſtinebitur; alias vero nullius roboris erit.

22. Quintus poſtſcrutinii actus eſt ſuffragiorum enumeratio, vel Scrutinii tantum, vel Scrutinii, & acceſſus, quæ fit per Scrutatores ſemper & indiſtincte ſive ſequuta ſit Electio, ſive non fuerit ſequuta. Numeratio autem hoc modo fieri ſolet. Scrutatores in unam ſummam ſuffragia ſingula redigunt, quæ quilibet nominatus in Pontificem habuit ſive in Scrutinio, ſive in Scrutinio & acceſſu, & ſi nullum ex nominatis duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe de-

pre-

prehenderint, nec in Scrutinio,nec in ſcrutinio & acceſſu, ne gocium Electionis conſummatum non habebitur, quod eo dumtaxat caſu poteſt abſolvi, quo duas ex tribus partibus Cardinalium in aliquem conſenſiſſe ex Schedulis pateat; Unde ut aliquem ex nominatis duas partes ſuffragiorum obtinuiſſe Scrutatores agnoſcant, aperiant oportet Electi Schedulam etiam in ea parte, in qua eſt nomen eligentis,& ſi apparuerit Electum aliis ſuffragatum fuiſſe,Electio ejus erit Canonica; Econtra ſi conſtiterit eum ſibi ſuffragium dediſſe,illius Electio ex GregorianaConſtitutione ex defectu unius ſuffragii vitiabitur. Proſtremo ſi plures duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe conſtiterit, vel etiam ultra duas tertias partes, tunc in ſuffragiorum paritate nullus erit Electus.

23. UltimusPoſtſcrutinii actus eſt combuſtio Schedularum, quæ ſemper, & palam per Scrutatores expletur, ac ſtatim poſt recognitionem, ſive ſequuta ſive non fuerit Electio. Ad hæc Commiſſarii numero tres ſorte lecti accuratum Schedularum Scrutinii, & acceſſus examen inſtituunt, qui ea de cauſſa *Recognitores* vocantur.

24. Electum vero Pontificem Cardinalis Decanus, Cardinalis primus Presbyter, & Cardinalis primus Diaconus, adſtantibus primo Magiſtro Cæremoniarum tamquam Notario, nec non Secretario Conclavis, aliiſque Cæremoniarum Magiſtris, interrogant, num delatam ſibi ad præſcripta Sacrorum Canonum dignitatem accipiat. Ad integritatem enim Electionis debet ut innuimus accedere conſenſusElecti, ita ut eo forſan abſente, donec conſenſum non dederit, Sedes Apoſtolica vacare dicatur. Annuens vero, nomen plerumque novum aſſumit, tum quia æquum eſſe cenſetur,ut Papa,qui omnibus præeſt,nomi-

mine, quo appellabatur, dum aliis ſuberat, a Fidelibus amplius non deſignetur, tum quia laudabile eſt eum Principis Apoſtolorum, cujus ſit ſucceſſor, exemplum imitari, qui Simon antea dicebatur, ac poſtea Petrus a Chriſto vocari promeruit, hoc eſt Petra, ſupra quam ædificanda erat Eccleſia, ut ſupra animadvertimus. Meritoque dixi *plerumque*, non deſunt enim exempla eorum, qui poſt aſſumptionem, noluerunt proprium nomen immutare.

25. Poſtquam vero Pontifex conſenſum electioni præſtitit, ac nomen aſſumpſit, eandem Electionem literis mandat Magiſter Cæremoniarum Tabellionis partes adimplens, ut publico, ſolemnique actu negocium omnium maximum comprobatum remaneat.

26. Succedit mox Pontificiæ Electionis notitia, quam univerſo populo Cardinalium Diaconorum prior e ſuperiori Baſilicæ Vaticanæ porticu hiſce verbis annunciat: *Annuncio vobis gaudium magnum: Papam habemus Eminentiſſimum Cardinalem N., tituli Sancti N. qui ſibi nomen impoſuit N.* quibus prolatis Schedulam ea continentem in populum projicit. Denique inter plaudentis populi acclamationes, quum diei veſper eſt, pontificalibus ornatus indumentis geſtatoria Sella ad præfatam Baſilicam Vaticanam Electus Pontifex ducitur, præeuntibus Cardinalibus, & Cruce ab uno ex Sacræ Rotæ Auditoribus de more prælata. Poſtea denunciatus Pontifex ter adoratur ad genu, manuſque oſculum, & amplexum Cardinales admittendo, juxta Cæremonialis præſcriptum, ſedens ſuper Altare, & quidem in ejus medio, nempe ſemel, atque iterum intus Conclave in Sacello Sixtino, tertium, & poſtremo in Vaticana Baſilica, ſicque nogociorum omnium maximum, viſibilis nempe Eccleſiæ Capitis deſtinatio perficitur,

tur, atque completur. Qui plura deſiderat adeat Marangonum (*a*), & Ignatium a Sancta Maria (*b*), a quibus plura in hanc rem accepiſſe in veritatis obſequium profitemur.

TITULUS III.

De Pontificis Conſecratione, Coronatione, & Poſſeſſione.

Quemadmodum Epiſcopi prævia Electione, Confirmatione, & Conſecratione ad regimen Eccleſiarum aſſumuntur, ut ampliſſime diximus in Inſt. Can. (*c*); ita cum Romanus Pontifex *proprie confirmari non poſſit*, eligitur tamen, & conſecratur. Dixi, *eundem Pontificem proprie non confirmari*; Nam ſuperior non extat, a quo confirmationis jus in eodem valeat exerceri, ut præclarè inquit Nicolaus Papa (*d*), *quia Sedes Apoſtolica cunctis in Orbe Terrarum præfertur Eccleſiis, atque ideo ſupra ſe Metropolitanum habere non poteſt*. Idcirco autem, licet in aliis Electionibus major, & ſanior vocalium pars eaſdem perficiat, in ea tamen Romani Pontificis duæ ex tribus partibus Cardinalium exiguntur, *ut ex Cap. licet de Electione, & ex Gregoriana Conſtit.* ſupra demonſtravimus; id enim ne dum ex ſpeciali Apoſtolicæ Sedis privilegio factum eſt, ſed forſan ex eo, ut confirmationis defectus majori ſuffragantium numero ſuppleatur; Nec aliud ſane ſuadet locutio Epiſcopi Portuenſis apud Maleſburienſem (*e*), ubi *Electionem Pontificis a Car-*

(a) *In diſſert. Theologico Canonico Hiſtorica Electionis Romani Pontificis.* (b) *In notitia Romanæ Curiæ parte* 1. §. 1. & 2. (c) *Lib.* 1. *tit.* 10. (d) *In Can. in nomine diſt.* 23. (e) *Lib.* 1. *de geſtis Pontificum*.

Cardinalibus factam a ſe aſſerit confirmatam; Nam ultra, quod verba iſta a Schiſmatico homine in gratiam Anacleti contra Innocent. II. intruſi prolata deprehenduntur; etiamſi inſuper eidem Epiſcopo Portuenſi deferamus, adhuc in ſuo ſenſu ejus verba accipi debent, ut cohærenter ad vigentem tunc obſervantiam, qua alii Epiſcopi ab Epiſcopis Provincialibus confirmabantur, idem poſt Electionem Pontificis Romani fieri conſueviſſet a Suburbicariis, & Provincialibus Epiſcopis, qui ejus Electionem ratam habebant, ſcilicet approbatione, ſeu *conſenſu latiſſimo, & abuſivo* eam confirmabant, ut egregie explicat Hallier (*a*). Quum igitur Romanus Pontifex poſt Electio- abſque propria confirmatione conſecretur, & coronetur, deindeque poſſeſſionem Pontificatus obtineat, de his paucis agendum.

2. Porro (ut innuimus in Inſtit. Can. lib. 1. tit. 4.) Epiſcopus Hoſtienſis, ſeu Veliternus, qui eſt S. Collegii Decanus, huic explendæ functioni deſtinatur, Epiſcopis, Portuenſi, & Præneſtino miniſtrantibus; Quem quidem Conſecrationis ritum a tribus Epiſcopis perpetuo adhibitum fuiſſe exemplo conſecrationis Epiſcoporum, cui (niſi aliud neceſſitas poſtulet) tres pariter Epiſcopi debent intervenire, ut in iiſdem Inſtitutionibus adnotavimus, teſtes ſunt Mabillonius (*b*), Pagius (*c*) Muratorius (*d*), aliique plures. Quod ſi Pontifex electus antea Epiſcopus foret, dumtaxat benedicitur (*e*); quamviſque olim donec Conſecratus, vel Benedictus non extitiſſet, Pontificiam auctoritatem exercere non poſſet, & *Ro-*

E 2

(a) *De Sac. Elect. tit. de temp. Conſecr. Epiſcopi* §. 6. (b) *In Commentario prævio ad Ordinem Romanum cap.* 18. *tom.* 2. *Muſei Italici*. (c) *In Critica Baroniana*. (d) *In Annalibus Italiæ*. (e) *Cardinalis Cajetanus in Ordine Romano*.

Digitized by Google

Romanæ Eccleſiæ cura Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio Notariorum ad inſtar Sedis Vacantis concrederetur; Nunc tamen ſtatim poſt Electionem ſe Pontificem ſcribit, atque univerſa juriſdictione perfungitur, ea ſolum antiquitatis umbra ſuperextante, quod non bullis, ſed brevibus utitur in negociorum expeditione (*a*). Brevium vero a Bullis diſcrimen alias retulimus in Inſtit. Can. (*b*). Neque eſt poſtremo prætereundum, quod licet in arbitrio Pontificis ſit, quavis die, & quovis loco poſt Electionem conſecrari, in more tamen poſitum eſt, ut die Dominico, vel alio ſolemniori feſto inauguretur. Itemque ad Vaticanam S. Petri Aram, aut in Sacello, quod Paulinum vocant, conſecratio peragitur, quam immediate Coronatio ſubſequitur, cujus ritum practice exponere non inopportunum nunc judicamus.

3. Ritus igitur Coronationis hic eſt: Pontifex geſtatoria ſella vectus, ſpectantibus, & plaudentibus omnibus, aliquandiu in Porticu Baſilicæ Vaticanæ, in eadem ſella ſiſtere ſolet, ibique oratione Cardinalis Presbyteri præeunte, ad pedis ôſculum, manuſque, atque amplexum ejuſdem Baſilicæ Canonicos admittit. Baſilicam mox ingreſſus primo Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum adorat, inde ad Sacellum S. Gregorii eadem ſede vectus traducitur, ubi ſacras induit veſtes, ac Tertiæ recitationi intereſt, qua abſoluta ad ſepulchrum Apoſtolicum pergit, quod vulgo *Confeſſio Sancti Petri* vocatur, atque a ſacello Gregoriano ad Sepulchrum Apoſtolicum eidem procedenti Stupa comburitur, ut in ſummo dignitatis faſtigio mortalitatis, humanæque con-

(a) *Rigant. in Com. Regul. Cancell. tom. 2. reg. 17.* (b) *Lib. 1. tit. 2.*

Digitized by Google

conditionis, quam non amiſit, viciſſitudinem animo volvat.

4. Quonam vero ritu fiat hæc ſtupæ combuſtio, diſertis verbis tradit Burchardus in ſuo Cæremoniali §. 198., ubi Coronationem Innocentii VIII. Pontificis referens: *Cum primum*, inquit, *Papa fuit extra Capellam Sancti Gregorii, impoſuit parvum manipulum Stupæ in ſummitate Cannæ meæ, & genuflexi cannam ipſam dextera manu erectam tenens, quam Socius meus accendit, me interim ad Pontificem verſo, & alta voce dicente, Pater Sancte, ſic tranſit gloria mundi*; idemque ritus hodie ſervatur. Solemniter deinde miſſam Pontifex celebrat, denique ad ſuperiorem porticum Vaticanæ Baſilicæ accedit, ubi ſecundus Diaconus Cardinalis ei aufert mitram; primus autem coronam, quæ olim ſimplex, nunc triplex exiſtit, eidem imponit dicens: *Accipe Tiaram tribus coronis ornatam, ut ſcias te eſſe patrem Principum, & Regum, rectorem orbis in terra, Vicarium Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor, & gloria in Sæcula Sæculorum. Amen*. Ad hæc emittitur a Pontifice fidei profeſſio, eaque abſoluta, ac recitatis a tribus antiquioribus Cardinalibus orationibus, aſſiſtentibus autem Epiſcopis, pallium eidem prior Diaconus tradit, pronuncians hæc verba: *Accipe Pallium, ſcilicet plenitudinem Pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ejus matris, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*. Quid autem ſit pallium in genere, a quo deferri, & quibus diebus Archiepiſcopi, vel alii ejus uſum habentes eo uti poſſint, aliaque in hanc rem opportune congeſſimus in Inſtit. Canon. (*a*), quæ ne rem

(a) *tit. 11. lib. 1.*

rem actam agamus, conſulto hic prætermittimus.

5. Quoniam vero coronatione peracta ſupereſt adhuc ſolemnis Pontificatus poſſeſſio, de ea, ejuſque ritu reliquum eſt aliqua proferamus. Conſuetis igitur, aptiſque apparatibus abſolutis die ab eodem Pontifice præfixa, inſtituto omnium Romanæ Curiæ ordinum equitatu, Pontifex, aut albo inſidens Equo ex more veteri, aut lectica undequaque aperta vectus Lateranum pergit. Pontifici Equo inſidenti, aut vir Princeps, aut ejus, ſi adſit, ex Fratre Nepos, aut Regis alicujus Orator, aut Conſervatores, aut Prior populi Romani ſtratoris officium exhibent. Ad Capitolium autem accedenti obviam fit Urbis Senator, qui ſceptrum eburneum manu deferens juxta Palatium *Principis*, uti vocant, ei ſalutem, ac felicitatem genibus flexis auguratur. Porro Pontificibus Romano ſanguine genitis Senatus Populuſque Romanus triumphalem arcum in Capitolio ſtatuere ſolet; In Romano autem Foro, quod Bovarium appellant ad Palatinos hortos Parmæ, ac Placentiæ Dux Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Feudatarius triumphalem arcum pariter erigit.

6. Illuc ubi venerit Pontifex, ſe ad pedes ejus proſtrat Ducis Ablegatus, qui gratulatione præmiſſa paucis obedientiam, atque obſervantiam Ducis erga Sedem Apoſtolicam memorat. Et demum ad Lateranenſem Eccleſiam pervento inter lætas, ac fauſtas acclamantis populi voces Cardinalis Baſilicæ Lateranenſis Archipresbyter, & Clerus univerſus occurrunt, Archipresbyter vero in propylæo præfatæ Baſilicæ Jeſu Chriſti Crucifixi imaginem offert, quam deoſculatur, tum ſolio inſidet indutus Sacris albis pretioſis veſtibus, & aurea redimitus mitra, atque Archipresbyterum gratulantem audit, dum binas

ei

ei claves porrigit, alteram auream, argenteam alteram in auro ſcypho per Baſilicæ Vicarium, eoq. abſente, vel præpedito, per antiquiorem Canonicum latas, ſubinde ad pedis oſculum, manuſque, atque amplexum Cardinalem Archipresbyterum, & Canonicos admittit,& mox deſcendens e ſolio,Cardinalium, & cæterorum Patrem comitatu ſtipatus Baſilicam intrat, ante cujus fores accipit aſperſorium a dicto Cardinali Archipresbytero oblatum, quo luſtrali aqua ſe, ac circumſtantes ad ſpergit, nec non ſemel, iterum, ac tertio ab eodem Cardinali Archipresbytero thurificatur. Poſtea conſcendit geſtatoriam Sellam, atque ſub umbella, ſeu *Baldacchino*, cujus haſtas deferunt Baſilicæ Canonici, cum flabellis PapaliCruce prælata ab juniore ex duodecim Rotæ Auditoribus, qui medius inter duosTribunalis Signaturæ ſuffragatores, vulgo Votantes, incedit, candelabra geſtantes, atque concinentibus hymnum *Te Deum laudamus* Cantoribus Pontificii Sacelli, primo ad adorandum Euchariſtiæ Sacramentum, quod ea de cauſſa publicæ venerationi exponitur; Inde ad Apoſtolorum Petri, & Pauli Capita, quæ argenteis thecis ab UrbanoV.Pontifice incluſa in Baſilica Lateranenſi religioſiſſime ſervantur, demum ad aram maximam pergit. Hæc autem ut agat, ſemper deſilit e Sella geſtatoria, quam dimittit perrecturus ad ſolium ſub Abſide erectum.

7. Solio autem inſidens, Cardinalibus eo prorſus modo, quo ad obedientiam, ut ajunt, ſolent accedere, ſtata dona di ſtribuit; videlicet numiſma unum aureum valoris quinque circiter Ducatorum auri de Camera, & unum argenteum pondus quinque non excedens, eorumque numiſmatum participes Theſaurarius Generalis ejuſdem

dem Pontificis nomine (non tamen publice) facit omnes Romanæ Curiæ ordines, Populique Romani adminiſtros, qui in Catalogis Apoſtolicæ Cameræ adnotantur; ſubinde Pontifex ſe ad aram maximam confert, Populoque illinc ſolemniter benedicto, deponit ſuper menſam, pretioſam crumenam cum oblatione 200. Scutorum monetæ argenteæ recens procuſæ; miniſtrante Theſaurario, poſtea Tiara coronatur, mox iterum geſtatoriam Sellam aſcendit, atque ſub umbella, cum flabellis, quæ triumphi ſpeciem referunt, ad ſuperiorem porticum ducitur, unde populo plaudenti benedictionem impertitur. Adhæc duo Cardinales Diaconi antiquiores, qui Pontifici adſtant, Indulgentiam Plenariam, quam Summi Pontifices occaſione ſolemnis poſſeſſionis elargiri ſolent, alter Itala, Latina Lingua alter evulgat, & demum in thalamo Paramentorum ſacris exutus veſtibus gratias Cardinalibus agit, & more minus ſolemni Palatium Apoſtolicum repetit.

8. Cum vero inter primas Pontificis curas ſit ſibi de idoneis miniſtris providere, quibus univerſæ Eccleſiæ gubernium valeat explere, iique omnes, vel in Palatio Apoſtolico morentur, ut propius eidem adſiſtant, cujuſmodi ſunt Nepos Pontificis, ſi forte adſit, Secretarius Status, Secretarius Brevium, Præpoſitus familiæ Pontificiæ, Auditor, Magiſter Sacri Palatii, & Datarius: vel extra Palatium degere ſoleant, cujusmodi ſunt Vice Cancellarius, Camerarius, Pœnitentiarius, primum de miniſtris intra palatium degentibus, mox de aliis pertractabimus. Cumque principalior Miniſter, quem in Pontificatus inauguratione Pontifices ſibi in partem imperii, & in curarum levamen adſciſcere ſolent, ſit Nepos, ſi eum forte habeant, quem Primum mini-

miniſtrum vocare conſuevimus, hinc de primo miniſtro ſeu Nepote, vulgo Cardinali Patrono, ſi Cardinalis ſit, primum agendum.

TITULUS IV.

De Primo Miniſtro.

QUamquam obviæ nimis ſint querimoniæ, & convicia Etherodoxorum, neque etiam defuerint ex Catholicis, qui ægre nimis tulerunt à Summis Pontificibus aliquem in primum Miniſtrum, ſeu, ut barbare dicunt, Cardinalem, ſi Cardinalis ſit, Patronum aſſumi, qui vel ſanguine eidem conjunctior, vel in propriam familiam adlectus exiſtat; cum tamen aliquando contingat, magis publicum bonum, & Regnantis Pontificis gloriam ab eo promoveri, quam ab Extraneis, qui familiæ ampliandæ, locupletandæque ſæpiſſime vacant; conſueverunt hinc Pontifices, ſi forte habeant, omnibus indiſtincte negociis Nepotem ex utroque latere junctum, vel in propriam familiam adlectum, inter Cardinales plerumque cooptatum præficere, eumque primum Miniſtrum, ſeu generalem Superintendentem declarare. Hujus autem munus eſt præcipue invigilare ſuper recto Principatus Temporalis regimine, niſi aliud Pontifici videatur; cumque maxima ſit negociorum, quæ Pontifici per ſupplices libellos deferuntur, cum munere iſto connexio, ſolet etiam is ſupplicibus libellis eidem Pontifici porrectis deputari, prout noſtra ætate contigiſſe vidimus in perſona clar. mem. Cardinalis Ruſpoli, & Eminentiſſimi Nerei Corſini, quorum primus Innocentio XIII. ſecundum carnem jungebatur, alter vero Cle-

menti XII. erat ex germano fratre Nepos, prout etiam eſt Clementi XIII. felicibus auſpiciis Regnanti S. R. E. Card. Carolus Rezzonico, quem idcirco ejuſdem Pontificis providentia a ſecretis libellorum adſcivit.

2. Ob ſummam vero fiduciam, quam de hoc Miniſtro Pontifex habet, non ſolum Oratores Principum poſt, aut ante audientiam Papæ immediate ad illum accedunt, ut Pontificis ſenſus eidem communicent, vel preces Pontifici porrigendas præventive proponant; verum etiam ſupplicationes illæ, quæ ex Pontificis manu forent obſignandæ, ab hoc primo miniſtro nomine Papæ, & de ejuſdem ſpeciali mandato, quod *per conceſſum* dicitur, ſubſcribuntur, ut advertit Cardinalis De Luca (*a*):

3. Verum ne finis aſſumendi in partemImperii veros, vel adlectos Nepotes eo tendere videretur, ut de Sancti Petri patrimonio, vel Eccleſiæ redditibus plus æquo locupletarentur, utque omnis ad id agendum præcluderetur occaſio, cæteris omiſſis, *S. Pius V. in ſua conſtitutione* 35. provide ſtatuit, utCivitates, & loca S. Romanæ Eccleſiæ ad Sedem Apoſtolicam quomodolibet devoluta, eo ipſo abſque alia declaratione Cameræ Apoſtolicæ incorporata cenſeantur, nec in Nepotes Pontificis, vel alios alienentur; cumque Gregorii XIV. tempore, gravis orta eſſet controverſia, an ſub dicta conſtitutione S.PiiV.comprenderetur Feudum nondum Sanctæ Sedi devolutum, idemque Pontifex in negativam Sententiam inclinaſſet, & ſaltem pro caſu evidentis utilitatis, ac neceſſitatis Eccleſiæ, alienationem ſuſtineri decreviſſet, ejus Sententiam deinde Innocentius IX. revocavit (*b*); defunctoque Innocentio IX.Clemens VIII.

(a) *In hoc tit.* (b) *Conſtitutione prima inBullario novo to.* 2.

Digitized by Google

VIII. (*a*), PaulusV. (*b*), Vrbanus VIII. (*c*), Innoc. X. (*d*), & Alexander VII. (*e*) ſimilem revocationem confirmarunt, ſtatuentes, neque ſub prætextu veræ neceſſitatis, vel evidentis utilitatis, alienationes ſive favore Nepotum, ſive alterius cujuslibet, ſuſtineri. Quæ vero ſub dictis omnibus Conſtitutionibus comprehenſa intelligantur, quæque excepta, late expendit Rigantius (*f*), ad quem Lectorem remittimus.

4. Quamvis autem Card. De Luca (*g*) diligenter inquirat, an ſi infeudationes, vel alienationes contra formam Pianæ Bullæ a Pontificibus fierent, in puncto juris ſubſiſterent, nec ne? Egregie tamen inter negativa alia, illud momentum inſinuat, quod cum non agatur de materia ad ſpiritualem poteſtatem, uſumque clavium directa, ſed de re ad Principatum temporalem ſpectante, necnon ſub ea lege profana Reſpubl. per Collegium Cardlnalium, tamquam per temporalem Senatum repræſentata, in electum Pontificem Principatum transfundat, ut nihil ſcilicet ad patrimoniumStatus pertinens alienet; cumque idem Pontifex ad id ſe iteratis juramentis tam in Conclavi, quam extra illud emiſſis adſtrinxerit: ex lege hinc contractus alienare non poteſt, & conſequenter alienatio quævis tamquam a juſtitiæ legibus abſona foret reſcindenda; Quod tamen innuiſſe ſat eſt, ne in articulo ampliorem indaginem promerente, immorari videamur.

(a) *In conſtit. 1. Bullarii novi tom. 3.* (b) *Conſtit. 13. tom. 4.* (c) *Conſtit. 4. tom. 5.* (d) *Conſtit. 3. eod. tom. 5.* (e) *In Conſtit. non. kal. Novemb. 1660. impreſſ. poſt Ceremonial. Election. Pontific. pag.* 104. (f) *In. Regul. 64. Cancell. to. 4. n. 99. & ſeq.* (g) *In Relat. Romana Curia diſc. 2. n. 21.*

5. Illud inſuper adcoercendam Pontificum in Nepotes veros, vel adlectos liberalitatem, inſolitamque munificentiam adjecit Innocentius XII. (a), eoſdem ſcilicet ultra ſummam duodecim mille ſcutorum de beneficiis, vel penſionibus Eccleſiaſticis provideri non poſſe, & ſi ſupplicationes Pontifice impedito ab iis ſint ſubſcribendæ, non aliter fieri oportere, niſi fuerint adhibiti duo ejuſdem S. R. E. Cardinales, qui una cum Signatore præfato coram ipſomet Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante earumdem gratiarum minutas ſubſcribant, ſub pœna nullitatis in caſu contraventionis, aliiſque pœnis ab ipſo Pontifice ſanitati reſtituto, vel ejus ſucceſſoribus infligendis, ad ejuſque Conſtitutionis obſervantiam novos Cardinales, nec non in Conclavi, ipſumque electum Pontificem cum primum Petri Cathedram aſcendit, jurisjurandi religione aſſumpta voluit adſtringi, eo prorſus modo, quo tres aliæ Conſtitutiones, una Julii Papæ II. *ſuper Electiou. Roman. Pontificis*, alia S. Pii V. *ne Civitates, & loca S. R. E. infeudentur*, tertia Sixti V. *de pecuniis in arce Sancti Angeli poſitis non amovendis*, aliæque ſimiles Apoſtolicæ conſtitutiones ſervari edito juramento promittuntur. Hinc cum ad anguſtias pene mortis redacto Benedicto XIV. eo quidem aſſentiente, ſed expreſſe in ſcriptis non derogante huic Conſtitutioni, a cl. m. Card. Millo Prodatario variæ gratiarum expeditiones non ſervata Innocentiana hac Conſtitutione ſubſcriptæ fuiſſent, oportuit eas ab eodem Benedicto XIV. valetudini reſtituto ſanari, & confirmari. Quoniam vero poſt primum Miniſtrum, ſive Nepotem Pontificis, Secretarius Status deſtinatur, ad illum incunctanter progredimur.

TITU-

(a) *Conſtit. incip. Rom. decet Pontif., quæ eſt in ejus Bull. la XI.*

TITULUS V.
De Secretario Status.

Porro ſive adſit Nepos Pontificis, cui quædam veluti Præfectura univerſi Status concreditur, ſive iſte non adſit, Secretarius Status, ut mox innuebamus, ſemper aſſumitur, cujus ampliſſima auctoritas eſt in univerſis negociis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, Politicis, & Œconomicis, quæ ad Papam pertineant, quare is ſubſcribit literis ad Nuncios, alioſque Miniſtros, aliæque res omnes, quæ per organum miniſtrorum inferius exponendorum expediuntur, coram hoc præventive tractari conſueverunt, unde poſtquam miniſtri Papæ, vel exterorum Principum Nepotem, ſi adſit, adiverint, ad hunc immediate ſe conferunt, ut negocia occurrentia communicent. Olim quidem minor extitiſſe creditur Secretarii Status juriſdictio, ut pote quæ a Cardinalibus Nepotibus pene univerſim abſorbebatur. Verum tractu temporis Cardinalium Nepotum auctoritate imminuta, fuit ea in Secretarios Status translata, neque in ordinariis tantum totius Pontificatus negociis ſeſe immiſcere conſueverunt, (quæ quidem mediante opera adjutorum ſubalternorum expediuntur, quorum aliqui literarum minutas componunt, alii vero ſimpliciter Scriptores, vel tranſcriptores vocantur) ſed ulterius ſpecialis præfectura Status Avenionenſis, Principatus Firmani, & Sacræ Domus Lauretanæ eiſdem conceſſa reperitur, quorum quidem locorum negociis, aſſumptis etiam Prælatis a Papa deputatis, aliiſq. miniſtris præficiuntur. Quoniam vero tres iſtas ſpeciales præfecturas nominavimus, præſtat, ut quid jure novo circa eaſdem ſtatutum ſit, in medium paucis proferamus.

2, Cum

2. Cum igitur ſuaſu S. Catharinæ Senenſis, cui nedum ob præclara virtutum exempla, quæ præſtitit, ſed ex hoc etiam capite multum debemus, Gregorius XI. Avenione diſceſſiſſet, ſeſeque ad Urbem tranſtuliſſet, ne præclariſſimam illam urbem, & Statum ſine Rectore relinquerent, cui per ſe ipſos Pontifices, qui in Urbe Roma Sedem fixerant, præeſſe nequibant, ſpecialem ejus præfecturam primum quidem Nepotibus, mox Secretariis Status una cum particulari Congregatione commiſerunt, ita tamen, ut per Prælatum a Papa deputatum, (cui Vicelegati nomen tribuitur, licet omnia jura, & facultates Legatorum exerceat) eadem juriſdictio exerceretur, a quo ad ipſum Cardinalem, qui Legatus dicitur, vel ad Congregationem deputatam appellatio, vel recurſus interponitur, ut advertit Card. de Luca (*a*); Quæ autem in ſpecie ſint hujuſmodi Vicelegatorum Avenionenſium facultates, amplius exponit inter alios Rigantius (*b*).

3. Ne dum vero Urbem ipſam Avenionenſem, & Statum Venaiſin. ampliſſimis privilegiis Rom. Pontif. decorarunt, verum etiam inſignem univerſitatem ſtudii generalis inibi a Bonifacio VIII. erectam novis favoribus auxerunt, & ſignanter privilegio fori, ejus Primicerio, Magiſtris, Doctoribus, Scholaribus, aliiſque miniſtris conceſſo, & Conſervatoribus, ſeu Defenſoribus privilegiorum aſſignatis, ut conſtat ex literis Apoſtolicis Joannis XXIII., quas alii Pontifices confirmarunt; circa cujus privilegii interpretationem, cum acres olim inſurrexiſſent controverſiæ, eæque denuo Benedicti XIV. tempore fuiſſent excitatæ, fuerunt per tranſactionem ab eodem

(a) *Diſc. 6. n. 11 Rel. Rom. Cur.* (b) *Ad Regul. 14. Cancell. tom. 2. n. 46. & ſequent.*

Digitized by Google

dem Benedicto XIV. confirmatam ſopitæ, & prorſus abolitæ, *ut ex conſtitutione incipien. Bonarum artium, quæ eſt* 122, *Bull. ejuſdem Pontificis tom.* 2. Ejus verò hæc ſumma ſunt capita: Admittitur nempe privilegium fori pro profeſſoribus, ſcholaribus, & ſalariatis: decernitur idem competere etiam aliis Doctoribus Avenione commorantibus, idque in cauſſis Civilibus paſſivis in prima inſtantia, actiones vero pro reintegratione Spolii, aut refectione damnorum pro cauſis iiſdem paſſivis habentur: item in cauſis Criminalibus levioribus activis, & paſſivis; Graviores reſervantur Vicelegato, ejuſque Congregationi; ſi agitur de cauſis paſſivis privilegiati, Conſervator intereſſe debet Congreg. cum voto conſultivo; Juriſdictio Primicerii, & conſervatoris in præmiſſis declaratur; ſecunda inſtantia Auditori generali privative attribuitur; cauſſæ demum Fiſcales, & aliæ præter præmiſſas a Juriſdictione Primicerii, & conſervatorum, nominatim excipiuntur. Nunc ad Principatum Firmanum progrediamur.

4. Gubernium porro Firmanum Cardinali Patrono privative conceſſit Gregorius IV. ſubindeque Innoc. XII. cùm Cardinalis Patroni titulum, & auctoritatem ſuſtuliſſet, pro ejuſdem Civitatis, Comitatuſque negociis ſpecialem Congregationem, quæ ex Cardinali a ſecretis Status, & aliquot Romanæ Curiæ Prælatis conſtabat, inſtituit, cum iiſdem facultatibus, quibus Congregatio pro Conſultationibus Civitatum, Terrarum, & locorum Status Eccleſiaſtici munitur, atque perfruitur; revocatis tamen, abolitiſque anteactis Prælatorum deputationibus. Benedictus XIV. (*a*) novam

(a) *Conſtit. incip. Nemo eſt, edit. die* 29. *Decembris* 1740. *in Bullar. tom* 4.

vam Congregationem erexit, compoſitam ex Cardinali Secretario Status, Auditore Papæ, uno Auditore Rotæ, uno Clerico Cameræ, uno Votante Signaturæ Juſtitiæ, Secretario, Fiſcale generali, & uno cauſſarum relatore; cumque ex provida hac conſtitutione vetus quædam Controverſia ſuper cognitione negociorum Œconomicorum tum ipſius Civitatis, tum Communitatum ab ea dependentium adhuc extincta non eſſet, hinc ad Congregationem Boni Regiminis, illinc ad Congregationem Firmanam controverſias Œconomicas ſpectare contendentibus, idem Benedictus XIV. (*a*), tam politicum, quam Œconomicum Civitatis, & Caſtrorum Firmi Gubernium ad Congregationem erectam privative ſpectare decrevit, atque ut negocia facilius, & utilius expediantur, præfatam Congregationem Firmanam ſemel ſingulis menſibus in ædibus Card. Præfecti, nempe Secretarii Status, congregandam eſſe ſancivit. Reſtat, ut de Congr. Lauret. loquamur.

5. Poſtquam igitur Sixtus V. Caſtrum Lauretanum in Civitatem, ac Collegiatam Eccleſiam, ſanctamque Domum in Cathedralem erexiſſet, Paulus Papa V. (*b*) eandem Sanctam Domum, & pertinentia ab Epiſcopo exemit, ac Territorium nullius Diœceſis declaravit, eique Cardinalem Protectorem præfecit; Innocentius vero XII. (*c*) confirmata exemptione S. Domus a juriſdictione Ordinarii, Protectoris officium ſuppreſſit, & Congregationi Lauretanæ noviter erectæ juridiſctionem, quam Protectores exercebant, competere declaravit, ſæcularem in Gubernatorem deputando, eique facultates ſtatuta condendi

(a) *Conſtit. incip. Paterni edita 8. Idus Septembris* 1746. (b) *In Conſtit. incipien. Divina diſponente, de anno* 1620. (c) *In Conſtit. Sacroſancta Redemptionis, de anno* 1698.

dendi conceſſit in aliis, quæ ad S. Domus, & Civitatis regimen in temporalibus pertinerent, reſervatis dumtaxat Epiſcopo facultatibus quoad ſpiritualia ut S. Sedis Delegato; in eademque Conſtitutione Epiſcopi, & Gubernatoris qui Prælatus eſſe ſolet, facultates expreſſit, & tandem futuras controverſias Congregationi Lauretanæ decidendas reliquit. Sed quoniam his ita diſpoſitis non obſtantibus novæ quæſtiones inter Epiſcopum, & Gubernatorem irrepſerant, ad eas tandem, earumq. occaſiones præcidendas, Bened. XIV.(a) varias reſolutiones a dicta Congregatione Lauretana emanatas in unum colligi curavit, & dubia materiam juriſdictionalem pertinentia in Congregatione de anno 1732. non deciſa Apoſtolico oraculo definivit, privilegia item conceſſa a ſuis Anteceſſoribus Paulo V, & Innocentio XII. confirmavit, decrevitque habere vim legis, & demum controverſias omnes, quæ deinde orirentur, a Congregatione Lauretana reſolvendas (b) edixit. Editæ vero Reſolutiones extant in appendice tom. 2. ejus Bullarii n. 3.

6. Hactenus de præeminentia, & auctoritate Secretarii Status, ſive ſeorſim ſumpti, ſive in peculiaribus præfecturis eidem concreditis Status Avenionis, Principatus Firmani, & Domus ac Civitatis Lauretanæ, tractatum eſt. Verum quia præter Secretarium hunc, qui merito Status dicitur, alter etiam miniſter aſſumitur, vel inter Cardinales adſcriptus, vel ex numero Præſulum ſelectus, qui Brevium Secretarius vocatur; De hoc etiam aliqua ſunt innuenda.

(a) *In Conſtit. Humilitatis noſtræ la 72. in Bull. tom. 1.*
(b) *Conſtit. editâ 7. Januar. 1743.*

Digitized by Google

TITULUS VI.

De Secretario Brevium, & duobus aliis Secretariis.

HUjus ſane cura eſt negocia illa, quæ in forma Brevis expediuntur, Pontifici referre, deindeque ſubſcribere, cujuſmodi ſignanter ſunt diſpenſationes ſuper ætate, vel ſuper interſtitiis, aut ſuper defectû Natalium, prout etiam omnia ea, quæ per Bullas non expediuntur, & idcirco in Dataria, de qua infra, expediri non conſueverunt. Quæ vero ſit inter Brevia, & Bullas differentia, alibi attigimus (*a*), unde, ne rem jam actam agamus, hic conſulto prætermittimus.

2. Duo autem alii Secretarii in Palatio manent, & ſervitio Papæ item addicti ſunt; iique, vel inter Præſules, vel etiam inter Togatos, ſi ita Pontifici videatur, plerumque aſſumuntur. Horum unus Secretarius Brevium ad Principes dicitur, quia nomine Papæ Principibus ſcribit, vel reſpondet; alter vero eſt, qui Cifrarum interpretationi, ac compoſitioni præficitur. Quoniam vero in eodem Palatio cæteris prætermiſſis, quatuor etiam Perſonæ degunt in præclaro ordine, ac gradu conſtitutæ, atque hinc animadverſione undique dignæ, ſcilicet Major Domus, Auditor Papæ, Datarius, & Palatii Apoſtolici Magiſter, ad iſtos progrediendum.

TI-

(a) *Inſtit. Canon. lib. 1. tit. 2.*

TITULUS VII.

De Præfecto Sacri Palatii, ſeu Præpoſito Familiæ Pontificiæ.

QUemadmodum ſane ſupremus Princeps ſingulis, vel nobilibus, vel vulgaribus hominibus præeſt, ita quadam ſupra eos præeminentia decorati videntur, qui eidem Principi in ejus aula inſerviunt, eidemq. quandam veluti coronam efformant. Ii ſane Comites Sacri a Principis ſanctitate, vel Palatini a Palatio Principis, in quo plerumque verſantur, dici conſueverunt; & merito quidem Comites, quia ſive in Cubiculis, ſive alibi Principem comitantur, atque ſequuntur, cum Comes in jure ille ſit, qui alium ſequitur, & comitatur (*a*).

2. Plures vero perſonæ apud Romanos hunc comitatum conſtituebant, aderat enim Comes horreorum, cui ſubjecta erant mancipia purgandis horreis, & coquendo pani in uſum Principis deſtinata, ut notat Perez (*b*). Extabat etiam Comes Palatinus, cujus munus erat a provincialibus tributa recipere (*c*). Accedebat his Comes Sacri Patrimonii, qui Principis patrimonium, domeſticamque ſupellectilem adminiſtrabat (*d*). Hiſque omnibus præfuiſse creditur Comes Domorum Principis, qui principem in familia Principis locum obtinebat, & cui reliqui ſubjiciebantur, ut notat Suetonius (*e*).

3. Hujus ergo antiquitatis veſtigia calcantes Ro-

G 2 ma-

[a] *Ad textum in leg. Item apud tit. 15. §. ſiquis ff. de injuriis.* [b] *In tit. Cod. de præpoſitis Sacri Cubiculi.* [c] *In tit. Cod. de offic. Rector. provinc.* [d] *Ut ex tit. Cod. de Offic. Com. rer. privat.* [e] *In Domitiano cap. 16.*

Digitized by Google

maniPontifices ratione tam ſpiritualis, quam temporalis ampliſſimæ & ſupremæ poteſtatis, qua perfruuntur,emeritum quendamPræſulem ex præclariſſimo ut plurimum ſanguine ortum, & quandoque in Archiepiſcopali ordine conſtitutum, nec tam in forenſibus ſtudiis verſatum, quam rerum agendarum peritia præditum deputare conſueverunt, cui Apoſtolici Palatii procurationem concrederent, ac demandarent, quem proinde Præfectum Sacri Palatii nuncupare mos eſt. Ejus vero Juriſdictio non ſolum ſiſtit in cauſſis civilibus, ſed etiam in Criminalibus quorumcunque Aulicorum Papæ, immo perſonarum omnium etiam inferioris ſubſellii, & ordinis, quæ ſervitio Papæ quomodolibet addicuntur, ut ſunt venditores comeſtibilium, aliarumque rerum in uſum Papæ deſtinatarum.

4 Pro iſtarum autem omnium cauſſarum cognitione, ſive Civiles, ſeu Criminales ſint (prout etiam pro cauſſis arcis Gandulphi, ubi Papa ruſticari ſolet, quæque idcirco unum corpus cum Palatio Apoſtolico conſtituere videtur, atque idcirco ibi Gubernatores, & Cancellarios Præfectus Sacri Palatii eligere ſolet) idem Præſul duplicem Auditorem domeſticum retinet, quorum primus Civiles, alter Criminales cauſas diſcutit, licet ſententiæ deinde a ſubalternis miniſtris,ſeu officialibus aliorum Judicum executioni mandentur ob defectum familiæ armatæ,quam idem Præfectus familiæ Pontificiæ non habet. Ratio autem,ob quam privativa iſta cognitio cauſſarum eidem concredita eſt, tota fundatur in quadam congruentia, quod nempe non deceat addictos ſervitio Papæ huc, illucque per varia Tribunalium ſubſellia vagari, quæ quidem ratio ſi in aliis regnis, & dominiis promeruit præpoſito regiæ familiæ eamdem facul-

facultatem, ſeu privativam cauſſarum cognitionem committi, ut de Hiſpaniarum Regno teſtatur Domin. Aguirre (*a*), & de aliis ſimilibus regnis eſt æque exploratum; hinc ne Pontifex, ejuſque Familiæ caput deterioris conditionis exiſterent, ſimili huic certe erat privilegio decorandus. Neque eſt prætereundum, alia nuper edita a Benedicto XIV. conſtitutione *incipien. Ad ſummi*, *edita* XII. *Kalendas Martii* 1757. curam fuiſſe demandatam Apoſtolici Palatii Præfecto reficiendi quatenus oporteat, conſervandique fabricam antiqui Urbis Pantheon, ſeu Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres Urbis, eximendo ab eodem onere Conſervatores ejuſdem Urbis, qui eidem fabricæ ad inſtar aliorum veterum Urbis ædificiorum intendere conſueverant, ut fuſius in ead. conſtitutione continetur.

TITULUS VIII.
De Auditore Papæ.

QUanquam inter Romanæ Curiæ Officiales munus Auditoris Pontificis ſit undique incognitum, ut ad rem notavit Card. de Luca (*b*), primiſque temporibus veriſimiliter credatur, vel a Pontificis Pœnitentiario, ſeu Confeſſario, vel ab altero religioſo in Conſiliarium, & Theologum aſſumpto, vel a Magiſtro Sacri Palatii, cujus erat Pontificem ipſum, ante erectam præſertim Inquiſitionis Congregationem, conſulere, munus hoc Auditoris fuiſſe peractum. Cum tamen in Regularibus imminui, nimiumque tepeſcere cœpiſſet Sacrorum Canonum ſtudium, quod cæteroquin baſis, & funda-

(a) *In opere edito Vindobonæ an.* 1725. *cui titulus Trattato Iſtorico Legal del Real palacio, y de los officios de ſus Alcaydes.*
(b) *Diſcur.* 9. *Relat. Rom. Curiæ.*

damentum exſtat ſolidioris Theologiæ, ut alibi advertimus (*a*); debuerunt hinc Romani Pontifices Juriſconſultum aliquem, ſive in ordine Prælatorum, ſive Advocatorum conſtitutum pro ſtudio cauſarum, ſeu controverſiarum quomodolibet coram ipſis actarum ſeligere, atque præferre, quem Auditorem nuncuparunt ad inſtar Cardinalium, vel Prælatorum juriſdictione fungentium, qui nomine Auditorum eos deſignarunt, quos habent a ſtudiis.

2. Hujus vero muneris præſtantia ampliſſima eſt, quia non ſolum Auditor Papæ exquirere ex officio tenetur merita Perſonarum, quæ ad Epiſcopatus vacantes ſunt aſſumendæ, vel de una in alteram Eccleſiam transferendæ, idque præſertim poſt erectam a Benedicto XIV. particularem Congregat. *Super promovendis ad Archiepiſcopatus, & Epiſc. in conſtit. incip. Ad Apoſtolicæ, quæ eſt 5. in Bull ejuſdem Pontificis tom.* 1. in qua ultra quinque Cardinales Congregationem eamdem componentes Auditor Pontificis tamquam Secretarius deputatur; Verum etiam omnibus gravioribus Principatus Curis, aut præfici ſolet, aut ſaltem immiſceri.

3. Accedit his eundemAuditorem pro cauſſis inSignaturaGratiæ, de qua infra tractabitur, proponendis Pontificem adjuvare, cumque Principem ipſum in materiaJuſtitiæ repræſentet, ſæpe hinc a Sententiis aliorumJudicum, immo etiam Congregationum Cardinalium ad eum recurſus interponuntur, ut vel iiſdem, aut aliis Judicibus remittantur, vel ex integro revideantur, vel alia quævis proviſio deſuper opportune capiatur, quibus quidem inſtantiis ejus eſt, vel facto verbo cum Pontifice, vel ex officio, prout in Domino crediderit, providere. Quoniam vero, ut

(a) *Ad calcem Introductionis ad Inſtit. noſtras Canonicas.*

Digitized by Google

ut diximus, inveriſimile non eſt antiquitus a Magiſtro Sacri Palatii munus hocAuditoris fuiſſe exequutum, atque Magiſter iſte in Palatio quoque in ſervitio Pontificis commoratur, præſtat, ut de eo aliqua proferamus.

TITULUS IX.

De Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

QUod aliquando uſuvenire ſolet in publicis præſertim muneribus, ut retento veteri nomine officium mutetur, id ſane in præclariſſimo munere Magiſtri S.Palatii contigiſſe videtur. Primis quippe temporibus Magiſter iſte fuit in Palatio Apoſtolico deſtinatus, ut familiares, addictique ſervitio Papæ tempore Sacrarum functionum, vel aliarum occupationum, quibus Pontifiex detinebatur, otioſi non remanerent, unde ſuadente S. Dominico, munus erudiendi Palatinos fuit inſtitutum, & Magiſtro Sacri Palatii ab Honorio III. eodem S. Dominico renunciato, ad alios ejuſdem Ordinis Alumnos fuit idem magiſterium extenſum, ut teſtatur inter alios Malvenda (*a*), teſtimonio fultus Flaminii auctoris coævi in hæc verba concepto: *Sanctæ Sabinæ Monaſterium vicinum erat Pontificis Maximi ædibus. Quare cum B. Dominicus cerneret quotidie occupatis cum Pontifice Cardinalibus, eorum miniſtros in aula variis deambulationibus, & nugis tempus terere, indoluit, & Pontificem adiit, ac dixit: Turpe, & damnoſum eſſe tempus a tanta multitudine incaſſum teri, ſibique videri utile futurum, ſi tantiſper dumCardinales cum eo in negociis occupantur, quiſpiam doctus aliquid publice interpretaretur,*

(a) *In annal. Ordinis Prædicatorum ad annum* 1218.

tur. Placuit admodum Honorio Papæ ſcilicet III. ejus hominis conſilium, & ipſi, qui conſulaerat, nam magnus in ſacris Literis vir erat, id negotium dedit, quod libenter ſuſcepit ille, & quotidie Pauli Apoſtoli magno auditorum conſeſſu, & attentione interpretari Epiſtolas cœpit, atque adeo res placuit, ut deinceps inſtitutum ſit, ut ex Ordine Prædicatorum ad hujuſmodi munus aliquis ſemper eligeretur, & dignitatis illo titulo, qui delectus fuiſſet inſigniretur, & Magiſter Palatii diceretur. Codex autem ille, quo uſus eſt B. Dominicus Epiſtolarum Pauli, Toloſæ in S. Romano ſervatur. Idque confirmant S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus (a), Vincentius Fontana in libro, qui inſcribitur Syllabus Magiſtrorum Sacri Palatii, Pater Joſephus Carafa olim Cler. Reg. Theatinus, nunc Epiſcopus Melitenſis (b), aliique.

2. Quamvis autem ultra munus docendi eoſdem Palatinos, idem Magiſter ex Inſtituto Concionatorem Sacri Palatii, ſeu Familiæ Pontificis ageret, ut eruitur ex Auguſtino Patricio in Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cæremoniali libro 3. cap. 23. Utrumque tamen munus tractu temporis in eodem evanuit, cum non amplius Palatini lectionem Sacræ Theologiæ a Palatii Magiſtro excipere ſoleant, nec alii, quam Cappucini ex privilegio Benedicti XIV. quod refertur *in ejus Conſtitut. 75. incipien. Inclytum tom. 1. Bull.* munere concionandi in Palatio Apoſtolico donentur, quamvis in memoriam antiqui juris Magiſtri Sacri Palatii, ejuſdem Socius Cardinalium Familiares tempore quo Cappucinus coram Pontifice, & Cardinalibus concionatur, alloqui ſoleat.

3. Merito tamen antiquum nomen Magiſtri Sacri

(a) *Part. 3. hiſt tit. 22. c. 1.* (b) *De Gymn. Rom. c. 6. ſ. 8.*

cri Palatii adhuc retinetur, tum quia quaſi Theologum Pontificis idem Religioſus repræſentat, tum quia ejus cura ad præſens etiam eſt diligenter inquirere, an ea, quæ coram Pontifice in Palatio recitantur, Fidei regulis, ſanæque doctrinæ undequaque cohæreant, unde non ſolum ad eum ſpectat concionaturos in nonnullis ſolemnitatibus deſtinare, ſed etiam conciones eaſdem revidere, ut habetur in conſtitutionibus Eugenii IV. aliorumque Summ. Pontificum, quæ referuntur in Bullario Ordinis Prædidicat. tom. 3. pagina 81.; idque ut commodius peragere valeat, Socium alterum, quem ſupra diximus ad familiares Cardinalium conciones habere, ex eadem Dominicana Familia retinere conſuevit, qui tamen nec locum in Cappella habet, de quo infra, nec aliis privilegiis perfruitur, eidem Magiſtro competentibus. Præterea non ſolum ex privilegio Eugenii IV. mox allegato, ſed ex altero Sixti IV. quod refertur in citato Bullario tom. 2. Magiſtro Sacri Palatii indultum eſt, in Univerſitate Studiorum Urbis doctoratum in Philoſophia, & Theologia, ſeu conjunctim, ſeu diviſim cum aliis diverſorum Ordinum Religioſis conferre, poſtquam is ex Collegio Theologorum ibi erecto, duos, qui contra promovendum ad Lauream arguant, elegerit, aliaque juxta ſtylum ſervanda fuerint præmiſſa, de qua quidem facultate, ampliſſime agit P. Carafa (*a*).

4. Iiſque omnibus accedit altera Juriſdictio illa, qua idem Magiſter perfruitur in Urbe, & Diſtrictu circa impreſſionem Librorum, vel in Urbem introductionem, vel ab Urbe dimiſſionem, quæ inconſulto ipſo, aut Vicariis ad eo deputatis, fieri non poteſt juxta Decretum Leon. X. in Conc. Lat. Seſſ. 10.

Tom. IV. H cujus

(a) *In Opere de Gymn. Rom. libro 4. in fine.*

Digitized by Google

cujus ſermo redibit, cùm de Congregatione Indicis diſſeremus, extantque in præciſis terminis Magiſtri Sacri Palatii, & facultatis eidem attributæ invigilandi ſuper impreſſione, extractione, & introductione Librorum, expreſſa, & literalia Decreta Pauli V. & Urbani VIII relata apud Fontanam in ſyllabo Magiſtrorum Sacri Palatii pag. 11. & 16. quæ confirmantur in ultimo Benedicti XIV. dato die prima Septembris 1744. & typis edito a Cl. P. Catalano (*a*).

5. Ut autem aliquomodo compenſetur incommodum in reviſione librorum, vel in conceſſione facultatis evulgandi ab eodem Magiſtro ſublatum, uſus invaluit, ut quoties libri imprimantur, quatuor exemplaria ab unoquoque tradantur, unum pro ipſo, alium pro Socio, tertium pro Viceſgerente, ut teſtatur Cardinal. De Luca *in relat. Curiæ diſcurſu* 7. quibus quartum additum pro Bibliotheca Vaticana fuiſſe affirmat Catalanus in Opere, ſeu tractatu de Magiſtro Sacri Palatii (*b*). Quumque privativus Judex ordinarius in materia eorundem librorum credatur, ratione hujus Juriſdictionis non ſolum eidem permittitur legere volentibus libros vetitos facultatem concedere ex Decreto Greg. XV. ab Urbano VIII. confirmato die 30. Octobris 1631. verum etiam in Eccleſia Sanctæ Barbaræ Bibliopolarum Urbis præeminentia perfruitur, in qua adinſtar Primicerii præter Cardinalem Protectorem deputatur. Quibus omnibus juribus accedit qualitas Conſultoris, quam in Congregationibus Inquiſitionis, Indicis, Indulgentiarum, & Rituum habet, necnon officium Examinatoris in Congregatione Examinis Epiſcoporum, & in altera, quæ coram Cardinali Vicario pro

(a) *In opere de Magiſtro Sac. Palatii nuper conſcripto.*
(b) *Lib. 1. cap. 7. in fin.*

pro concurſu ParochorumUrbis habetur,ut advertit citatus Fontana (*a*). Neque eſt prætereundum, ut hujus muneris præſtantia exteriori etiam ſigno intelligeretur, merito locum in Pontificia Cappella, & ubicumque, immediate poſt Sacræ Rotæ Decanum ex indulto Eugenii IV. eidem Magiſtro fuiſſe tributum, licet deinde poſt reformationem Alexandri VII. anno 1655. ſequutam poſt ultimum Auditorem ſedere conſueverit; cum quo etiam Auditore, Cuſtodiæ Conclavis ad Rotam adſiſtit; unoque verbo tamquam unus ex Auditoribus Rotæ tam vivens, quam in funere reputatur, ut oſtendit citatus Catalanus (*b*), qui etiam advertit, abolito veteri uſu præbendam, ſeu Canonicatum in Baſilica Vaticana pro ſuſtentatione ejuſdem Magiſtri deſtinandi, Sixtum V. anno 1580. penſionem tercentum Scutorum ſuper Abbatia Monaſterii B. Mariæ de Ferreto Ordinis Sancti Baſilii Rheginen. Diœceſis Magiſtris Sacri Palatii in perpetuum conceſſiſſe. Nunc ad Datarium, qui pariter in Palatio Apoſtolico degit, progrediamur.

TITULUS X.

De Datario.

QUanquam antiquitus Datarii facultas, & juriſdictio in datando conſiſteret, ſeu in apponenda data gratiis Pontificiis, diem deſignando, quo illæ emanarunt, ne alias ex multiplicitate petentium confuſiones facile orirentur, ideoque cum ad hoc munus non tanta requireretur Juris Canonici,

(a) *In dict. Syllab. pag.* 33. (b) *In d. opere de Magiſtro Sacri Palatii.*

Digitized by Google

nici, præſertim vero materiæ Beneficialis peritia, unus ex ProtonotariisPrimicerius dictus Datarii munus obiret, ut ex conſtitutionibus Martini II, & Stephani II notatCorradus(*a*); excreta tamen, adauctaque noſtris temporibus longe eſt auctoritas, & juriſdictio Datarii: ad eum quippe ſpectat ſummam pecuniæ, quæ juxta taxam Datariæ in aliquibus gratiis ſolet perſolvi, remittere, & condonare, Perſonarum merita Summo Pontifici referre, earumque Supplicationes ſignandas porrigere, immo etiam nonnulla Beneficia in modica ſumma conſiſtentia, per *Conceſſum*, ut inquiunt,& ordinaria pœne facultate conferre, unde Datarii nomen non ſolum inde profluxiſſe communiter cenſent, quod in omnibus Supplicationibus datam diei, menſis, & anni Pontificatus Papæ Regnantis apponat, cum nomine, & cognomine proprio, ſed magis vel æque quia Beneficia (ut aſſeruit (*b*) Cardinal.de Luca) vel habito verbo cum Papa, vel ſi de levioribus agatur, propria auctoritate impertitur; Oraculum vero Papæ cum ſit in materia beneficiaria, dictoillius circa eorumdem beneficiorum collationes, aliaſque Gratias in Dataria Apoſtolica expediri conſuetas, durante ejus munere adeo defertur, ut probatio in contrarium minime admittatur, ut cæteris omiſſis firmant Amayden. (*c*), Rigantius (*d*), & citatus Card. De Luca (*e*).

2. Supra diximus, Datas a Datario in ſupplicationibus apponi, ſeu tempus, quo Gratiæ prodierunt, deſignari. Quamvis enim ex ſola ſubſcriptione Pontificis, quam ſignaturam vocant, gratia ſit undique ex cenſura juris perfecta,immo ab ipſo momento,

(a) *In praxi Beneficiaria lib. 3. cap. 8. n. 27.* (b) *In relat. Curiæ ſub hoc titulo.* (c) *Tom. 1. cap. 3. de Stylo Datariæ.* (d) *Ad Regul. Cancell. tom.3. in Regul. 34. 56.* (e) *Loco cit.*

Digitized by Google

to, quo Pontifex voluntatem aperuit de conferendo, ex late deductis apud Gomez. (*a*), a die tamen datæ, & ſignaturæ abſolvitur, & conſummatur; Pontifex enim probe ſciens gratiam fore a Datario datandam, virtualiter, ut inquiunt, & indirecte declarat, a die datæ, ejus ſubſcriptionem vires ſortiri, unde practici aſſerunt, ſubſcriptionem Papæ a die datæ a Datario appoſitæ retrotrahi, ut notat Rigantius (*b*), qui etiam advertit, aliud eſſe affirmandum, ſi non ad effectum exequendi gratiam, ſed ad deſumendam affectionem *data* fuerit appoſita; Tunc enim per ſimplicem Signaturam, & Subſcriptionem Papæ gratia completur.

3. Non eſt tamen prætereundum, a Datario datam apponi, qui ubi ſit Cardinalis, Prodatarius vocatur, forſan ex eo, quod dignitati, & amplitudini Cardinalatus parum reſpondere videatur inferius Datarii munus aſſumere, quæ quidem indecentia cenſetur abeſſe, ſi per modum proviſionis hoc miniſterium retineat, & donec Pontifex alium ſibi Datarium adſciſcat, ut cenſet Card. de Luca (*c*). Cæterum ſive Cardinalis fuerit, ſive non, Vacante Sede Apoſtolica, cum expiret Datarii munus, nequit is datas ante mortem Pontificis extendere, ſed ſupplicationes omnes gratiarum, etiamſi præcedenter datatæ fuerint, Collegio Cardinalium præſentabit, ut futuro Pontifici Beneficiorum collationes integre reſerventur, ex Conſtitut. Pii IV. 63. incipien. *In eligendis*.

4. Porro plures ſunt Datarii Miniſtri, & Officiales:

(a) *In Reg. de non judicando juxta formam ſupplicationis q. 16. §. eſt in primis cum aliis relatis in Hyporegien. Commendæ ſeu Præceptoriæ 12. Mart 1723. cor. Ratto*. (b) *Tom. 2. ad Regul. Cancell. regul. 25. n. 29. tom. 2.* (c) *In hoc tit. de Datar.*

les: duo quidem primi, & majores, Subdatarius nempe, & Officialis alter Perobitum dictus, quia vacationibus per obitum præeſt, nam duæ datarum ſpecies recenſentur, una ſcilicet magna, quæ per Datarium inſcribitur, altera parva, quæ ab officiali Datarum parvis characteribus in extrema ſupplicationis parte, ſeu margine abſque clauſula *datum* apponitur. Itaque poſterior data, quia nullam ſibi in Judicio fidem adſciſcit, abbreviate apponi ab eodem Officiali conſuevit, cum cæteroquin data magna per Datarium in beneficialibus, ſi eſt ſolvenda compoſitio, atque per Præfectum vacationibus per obitum in matrimonialibus (de quibus infra) per ſyllabas, & literas integre extenditur, v.gr. Datum Romæ apud S Mariam Majorem 3. Kalendas Septembris anno 1. Atque hæc quidem data probationem gratiæ conficit, & gratiam conſummat, ut advertit cit. Rigantius(*a*), qui tamen alibi(*b*) adnotat, parvam datam ex recentiori ſtylo fuiſſe ſublatam, atque in ſolis Beneficiorum reſignationibus adhiberi, immutata etiam temporis ratione, cum olim ante conſenſum formalem reſignantis, nunc poſt illum apponatur, pluraque alia circa hanc parvæ datæ appoſitionem idem auctor congeſſit (*c*).

5. Majores ſane Officiales, quos ſupra nominavimus, qui Datario in Datariæ negociis proximius adſiſtunt, ſunt Subdatarius, & Officialis Perobitum dictus, ut pariter innuimus, qui quidem una cum Datario Congregationibus quotidianis auditis partium, vel expeditorum inſtantiis, & contradictoriis præſunt, atque negocia omnia Pontifici referenda diſponunt, cum ea differentia, quod Subdata-

(a) *Regul.* 21. *n.* 52. (b) *Tom.* 3. *in regul.* 95. *n.* 4. (c) *Tom.* 1. *ad regul.* 4. *n.* 88.

tarius (qui ſi Datarius ſit ſimplex Prælatus, inter Honorarios Cubicularios Pontificis adſcribitur, & talarem veſtem violaceam defert, ſi vero Datarius ſit Cardinalis, inter Prælatos Domeſticos cooptatur) omnes fere ſupplicationes revidet, Summariis in calce adjectis, antequam Datario tradantur, aditque dietim cum Datario Pontificem; Contra vero Officialis Perobitum eſt unus ex Procuratoribus de Collegio in materia Datariæ apprime verſatus, qui ſi ſupplicationes receperit beneficiorum vacantium per obitum, debet eaſdem Datario referre, aliaque exponere, quæ eorundem Beneficiorum ſtatum concernunt.

6. Succedunt his alii etiam Officiales, ſeu Miniſtri Datariæ ab ipſo Datario conſtituti, quos ſubalternos & inferiores vocamus; quos inter numerantur duo Reviſores, qui Datarium in revidendis ſupplicationibus beneficialibus adjuvant, & ſæpe reſtrictivas apponunt de ſtylo Datariæ apponi conſuetas: Officiales inſuper parvæ datæ, qui eadem die, qua ſupplicatio eſt ſignata, in extremo margine ſupplicationis diem, menſem, & annum Pontificatus parvis characteribus ponunt, ut quando ſupplicans petit expediri a Datario, extendatur, atque interim ab hoc officiali ſupplicationes retinentur. Accedit Reviſor diſpenſationum Matrimonialium, cujus cura eſt revidere diſpenſationes matrimoniales in gradibus vetitis, & excommunicationis ſententias contra eos expeditas, qui ſcienter ſubtractores rerum 50. ducatos excedens Reos non revelaverint. Ulterius Officialis, ſeu Præfectus Componendarum, cui ſolvitur pecunia in eleemoſynam cæteroquin eroganda, quæ pro materia taxatur. Adeſt etiam Subſtitutus Subdatarii, qui Congregationi refert ſupplicationes ad

ad Subdatarii munus ſpectantes. Item Cuſtos Regeſtorum ſecretiorum, cujus eſt gratias magis ſpeciales adnotare, ut ſunt nominationes Penſionum, Reductiones expenſarum, aliaque hujuſmodi, iſque Officialis Miſſarum, ſeu *Miſſis*, dici conſuevit, ex quo ad publicum regeſtum, aut ad ſecretum ſupplicationes regiſtrandas tranſmittit, librumque retinet, qui Vocabulo *Miſſis* deſignatur. Et demum ſubſequuntur viginti Regiſtratores ſupplicationum, qui ſupplicationes ſignatas a Pontifice de verbo ad verbum deſcribunt, ſeu regiſtrant, ad quem effectum duo quolibet menſe extrahuntur, ut ſcilicet materias referendas, ſive regiſtrandas in ſecretiori Regeſto regiſtrent. In quo quidem Regeſto duodecim quoque extant Vacabilia pariter Officia, quæ idcirco emuntur, & venduntur, ut de 20. Regiſtratoribus accidit, & Clerici regiſtri vocantur, qui ſupplicationes regiſtrandas diſtribuunt. Poſtremo quatuor Magiſtri ſupplicationum ſuperadduntur, qui conferunt ſupplicationes cum regeſto, ut videant, & accurate recognoſcant, num cum eo undequaque concordent, iique in tergo ſupplicationum majuſculam R, & in eo nomen etiam ſuum apponere conſueverunt, ut ſignificent gratias *in regeſto* fuiſſe delatas, ſive auſcultatas.

7. Ut vero præſens praxis non ſolum iis inſerviat, qui foro, ſed etiam illis, qui expeditioni literarum Apoſtolicarum ſunt forte vacaturi, illud ſuperaddimus, quod ſupplicationes ante literarum Apoſtolicarum expeditionem Datario, vel Subdatario, aut Officiali Perobitum ſunt porrigendæ, a quorum ſubſtitutis ſummarium rei poſtulatæ deſcribitur, atque in calce ſupplicationum apponitur, deindeque ad Pontificem fertur, ut ſupra innuebamus. Pontifex porro, le-

lectis, vel auditis ſummariis, ſua manu duobus in locis ſubſignat. Primo ſcilicet ſcribendo *Fiat*, *ut petitur*, cum initiali litera proprii nominis in Baptiſmo recepti, quod quidem fit in ſpatio, quod inter petitionem gratiæ, & petitionem formæ, ſub qua literæ ſunt expediendæ, relinquitur. Secundo vero in fronte ſecundæ partis ſcribendo *Fiat*, initiali pariter litera nominis enunciati. Mirum autem non eſt, ſi per duplicem hanc ſubſcriptionem gratiæ ſignentur; cum enim clauſulæ non contineant principaliter gratiam, ſed ordinarie, ſeu juxta ſtylum admittantur, ideo per ſolum verbum *Fiat* ſubſcribuntur, quaſi dicatur, ſtylus ſervetur, ad differentiam primæ ſubſcriptionis, quæ cum reſpiciat petitionem hujus, vel illius beneficii, aut alterius gratiæ, ampliorem ſubſcriptionem expoſtulat, unde per hæc verba formatur, *fiat*, *ut petitur*, ut egregie diſtinguit Amayden (*a*).

8. In hunc autem modum ſignatæ ſupplicationes remittuntur ad Datariam ab Officialibus revidendæ, & primo quidem traduntur Reviſori, tum Officiali parvæ datæ, qui datam diei, menſis, & anni Pontificatus minutis characteribus ponit; Deinde vero ſecundo reviſori, a quo remittuntur ad Subdatarium, a quo ſi ſolvenda ſit compoſitio, ad Præfectum componendarum remittuntur. Poſtea Datarius datam magnam apponit, ut ſupra notavimus, & ad officialem de Miſſis remittit, ut deinde per Magiſtrum Regiſtratorum in regeſtis Datariæ deponantur, & inſcribantur; regiſtratæ autem cum fuerint, a Magiſtris regeſti tranſeunt ad Expeditores, & ad Notarium Cancellariæ, ut minutæ Bullarum, & literæ Apoſtolicæ expediantur, de qua

(a) *De ſtylo Datariæ lib. 1. cap. 32. num. 9.*

qua quidem expeditione amplior infra ſermo redibit.

9. Quamvis autem gratioſum undique ſit Datarii munus, aliquando tamen is Judicis munus, & figuram aſſumit, & ſine ſtrepitu quidem forenſi, ſed cum voto, & aſſiſtentia Subdatarii, & Officialis Perobitum contradictoria partium audit, opportunaque deſuper decreta in ſuis ædibus profert, vel ad Rotam quoque, aut particulares Congregationes cauſſas, ſi earum gravitas exigat, juxta materiarum diverſitatem remittit. Dixi juxta materiarum diverſitatem; hac vero in re plurimum immutata eſt obſervantia. Olim quippe aliqua, quæ nunc per Datariam, a Cardinali Pœnitentiario, vel Secretario Brevium expediebantur, ut fuſius videbimus, cum de Cardinali Pœnitentiario diſſeremus, ſatiſque innuit Cardinalis de Luca (*a*). Hodie vero ſtatuta ſunt materiarum genera, in quibus Secretarius Brevium, vel Datarius, vel cumulative uterque ſe immiſcet, ex conſtit. Bened. XIV. (*b*); illudque in genere circa Datariam in eadem Conſtit. ſtatuitur, conceſſiones ſcil. omnes, in quibus taxa Cancellariæ, vel compoſitio in Dataria ſolet perſolvi, ad Datariam pertinere debere. In ſpecie vero frequentiores materiæ, quæ in eadem Dataria expediuntur, ſunt diſpenſationes Matrimoniales, Beneficiorum S. Sedi reſervatorum collationes, vel penſionum impoſitiones, coadjutoriarum cum futura ſucceſſione deputationes, præeminentialium indumentorum, v. gr. Capparum, quas magnas vocant, conceſſiones, irregularitatum diſpenſationes, aliarumque ſpecialium gratiarum expeditiones.

10. Cir-

(a) *In hoc tit.* (b) *Ex Incip. graviſſimum quæ eſt* 145. *tom.* 1. *Bullar.*

10. Circa hæc vero immerito, & calumnioſè Hæretici, vel qui Romanæ Curiæ infenſi ſunt, obloquuntur; jactitantes per matrimoniales diſpenſationes jus naturale, & divinum everti, per beneficiorum collationes, & penſionum reſervationes, ac impoſitiones, annataſque ea occaſione a Dataria receptas, prout etiam per eorundem præeminentialiumIndumentorum conceſſiones, Ordinariorumjus uſurpari, item per Coadjutorias, quæ a Tridentino fuerunt literaliter vetitæ, anſam captandæ mortis præberi, & demum per alias quaſcumque ſpirituales gratias ſimoniam, ut ipſi dicunt, certo patrari, cum abſque ſimoniæ labe pecunia pro iis recipi, & reſpective ſolvi non poſſit. Facili enim negotio iſta omnia generatim diſſolvuntur, ſi duo, ut par eſt, præmittantur,quæ ad refellendas iſtas, & ſimiles Hæreticorum præſertim calumnias viam patentiſſimam ſternunt. Primum nempe in dubium redigi non poſſe ſupremam illam poteſtatem Romani Pontificis in univerſa Eccleſia, quam quemadmodum Chriſtus Dominus concredidit Petro inquiens (a): *Paſce oves meas*, ita ad Petri ſucceſſores, nempe Romanos Pontifices fuiſſe porrectam ſatis oſtendimus in Inſtitutionibus Canonicis (b);alterum,quod cum idem Romanus Pontifex, ut eandem poteſtatem exerceat, aliorum miniſterio, & opera debeat indiſpenſabiliter uti, prout de facto, ſive per Miniſtros aſſumptos, ſive per Congregationes erectas facere conſuevit, cumque demum nemo militet ſuis ſtipendiis, ut inquit Apoſtol. (c); atque æquum maxime ſit, ut qui ſpiritualia ſeminant, carnalia colligant, ut diſertius idem

I 2 Apo-

(a) *Joannis* 21. (b) *Tit. de Romano Pontifice*. (c) *Ad Corinth.* 1. *cap.* 9.

Apoſtol. repetit (*a*) dicens: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus; Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, de altari vivere debent? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* plane inde deſcendit, aliorum ſubventionibus eoſdem Pontificis Miniſtros, perſonaſque omnes eadem Tribunalia componentes, a Fidelibus univerſi Orbis, quibus inſerviunt, ſeu quibus jus dicunt, fore ſuſtentandos.

11. His autem præmiſſis, facile eſt intelligere, immerito, & nonniſi per ſummam audaciam Matrimoniales diſpenſationes, Beneficiorum reſervatorum collationes, aliaque omnia ſupradeducta reprehendi, quæ a ſuprema ejuſdem Pontificis auctoritate profluunt, atque dependent, cum nemo non videat, ſus, deque omnia ire oportere, niſi a ſummo Eccleſiæ Paſtore eadem fierent, de quibus Hæretici, infenſique Romanæ Curiæ hoſtes conqueruntur: *Hoc enim privilegium*, inquit Sanctus Thomas (*b*), *dedit Chriſtus Romanæ Eccleſiæ, ut omnes ei ſicut Chriſto obediant, ac membra maneamus in Capite noſtro Apoſtolico Throno Romani Pontificis, a quo noſtrum eſt credere, quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes pro omnibus, quia ipſius ſolum eſt, reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſolvere, & in loco illius ligare, qui ipſum ædificat, & nulli alii, quod ſuum eſt plenum, ſed ſoli ipſi, cui omnes jure divino caput inclinant, & Primates Mundi, tamquam ipſi Domino obediunt.* 12. Æqua-

(a) *Loc. cit.* (b) *Opuſ.* 19. *contra impugnantes Religion.*

12. Æqualique claritate innoteſcit, occaſione iſtarum Gratiarum a Sede Apoſtolica conceſſarum rationi eſſe undique conſonum, quod aliquid a Catholicis eidem Pontifici perſolvatur, ut tali ſcilicet medio ſuſtententur Miniſtri Eccleſiæ, & Pontifex ipſe eam Gubernii majeſtatem congrue exhibeat, ad quam a Deo per Chriſtum Dominum fuit provide aſſumptus, ut egregie ratiocinantur inter alios citatus S. Thomas (*a*), Natalis Alexander (*b*), & claræ mem. Card. Gotti (*c*), cæteris Theologis, & Canoniſtis omiſſis.

13. Neque profecto per matrimoniales diſpenſationes (addi etiam poſſunt hæreticorum ſenſu votorum Relaxationes, quæ tamen raro per Datariam expediuntur, ſed potius per Pœnitentiariam, de qua infra tractabimus) jus naturale, & divinum evertitur, ut gratis ſibi iidem hæretici figurant; quod enim ad dictas relaxationes ſpectat, quas ſummis labiis attingere ſatis eſt, licet Catholici omnes admittant eadem vota deliberate, & ab homine ſui juris emiſſa jure naturali, & divino fore exequenda, merito tamen in Summo Eccleſiæ Paſtore poteſtatem agnoſcunt ampliſſimis verbis conceſſam (*d*): *Quodcunque ligaveris &c.* & alibi (*e*): *Paſce oves meas*, in aliqua particulari circumſtantia declarandi, quando votum, ejuſque obligatio non urgeat, ut in genere quaſcumque relaxationes obligationum jure naturali, & divino adſtringentium explicant poſt S. Thomam (*f*) Theologi communiter, & ex Canoniſtis Fagnanus (*g*) cum aliis relatis a Benedicto XIV.

(a) 22. *quæſt. 87. art. 9.* (b) *to. 8. hiſtor. Eccleſiaſt. Sæculi XV. & XVI. diſſert. 9. art. 6.* (c) *to. 1. de vera Eccl. cap. 13. §. 3.* (d) *Matthæi 21.* (e) *Joan. 21.* (f) *In quodlibet 9. artic. 15.* (g) *Cap. ex parte 257, & ſeq. de Clericis non reſiden.*

cto XIV. (*a*). Eademque ratione in matrimonio, ejuſque impedimentis Pontificem diſpenſare poſſe non eſt dubitandum, ut fuſius oſtendimus in Inſtit. Canon. (*b*); Præſertim quia diſpenſationes, quæ a Sede Apoſtolica conceduntur, non quidem impedimenta jure naturali, vel divino conſtituta, ſed jure dumtaxat Eccleſiaſtico inducta reſpiciunt. Quamobrem cum matrimonium ſit contractus ſacer cum prærogativa Sacramenti conjunctus, eo hinc jure, quo ad Eccleſiam, ejuſque caput ſpectat perſonas aliquas impotentes decernere, pertinere æquali Jure debet obicem removere, in quo ſumma diſpenſationis conſiſtit.

14. Diximus, jure dumtaxat Eccleſiaſtico, ſecus autem naturali, vel divino inducta impedimenta diſpenſari. Quotquot enim leguntur Apoſtolicarum diſpenſationum exempla, eæ quidem fines Eccleſiaſtici juris minime excedunt, nec gradus jure naturali, vel divino vetitos tangunt, Lex autem *Levit. cap.* 18, ex qua vetitum eſſe jactant Hæretici in gradibus Eccleſiaſtico jure diſpenſabilibus diſpenſare, tanquam Cæremonialis fuit per Evangelium abrogata, ut fuſius advertimus *in citatis Inſtit. Can.* (*c*), & egregie eadem exempla proferentes, & hæreticorum calumnias refellentes advertunt cit. Cardinalis Gotti (*d*), Franciſcus Schmier (*e*), aliique. Etſi vero in Concilio Tridentino (*f*) cautum fuerit, *raro, aut nunquam diſpenſationes eſſe concedendas, atque in ſecundo gradu nonniſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſſam*; ne dum tamen

(a) *Lib. 7. cap. 1. §. 7. de Synod. Diœc.* (b) *Sub titulo de matrimonio* (c) *Lib. 2. tit. 9. de matrimonio* (d) *Tom. 1. de vera Eccl. cap.13. §.3.* (e) *In jurisprudentia Canon.Civil. lib.4. tract. 3. §. 4. n. 142.* (f) *Seſſ. 24. de reform. cap. 5.*

Digitized by Google

tamen per Conciliarem Sanctionem poteſtas Pontificis, qui ſupra Concilium eſt, ut oſtendimus in iiſdem Inſtit. Canon. (*a*), minui, vel tolli potuit, verum etiam verba ipſa Concilii aliud non præſeferunt, quam conceſſionis arduitatem, & difficultatem, qua tamen non obſtante, neceſſario, nec infrequenter fore a S. Sede diſpenſationem impertiendam notavit Cardinalis Pallavicinus (*b*), & de facto præclarum in hoc genere lenitatis exemplum inter alios Pontifices dedit S. Pius V, qui, quamvis obſtaret Conciliaris prohibitio, ſæpiſſime hujuſmodi matrimoniales diſpenſationes conceſſit, ut teſtatur Benedictus XIV. (*c*)

15. Et merito quidem, oportuit enim juxta temporum viciſſitudines, & mores populorum Leges remittere, vel ampliare, prout fecit etiam Sinagoga, quæ & ipſa in gradum prohibitorum lege variavit, ut notavit Sanctuus Auguſtinus (*d*). Primis ſane Sæculis, Chriſtianos accuratiores, & rigidiores continentiæ amatores auſteriori lege oportuit coercere, atque huc ſpectant Canones omnes veteris diſciplinæ qui paſſim circumferuntur; præclare enim idem S. Doctor (*e*) ſcriptum reliquit de felici illorum temporum uſu, *Neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quoddam naturale, atque laudabile, ut cui debet cauſſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat*. Quemadmodum vero tractu temporis, & poſterioribus ſæculis pietate remiſſa, & continentia tepeſcente, expedire viſum eſt a ſeptimo gradu ad quartum proquinquitatis legem contrahere, ut

(a) *Lib. 1. tit. 2. §. 12. & ſeq.* (b) *In hiſtor. Concil. Tridentini lib. 23. cap. 8. num. 21.* (c) *De Synodo Diœceſana lib. 13. cap. 10. numer. 29.* (d) *Lib. 15. de Civitate Dei cap. 16.* (e) *Loc. cit.*

Digitized by Google

ut *in iiſdem Inſtit. Canon.* animadvertimus; ita rationabile fuit, facilius diſpenſationes concedere, pro quibus exactas a Dataria pecunias cum in pietatis opera erogari experientia plane comprobemus, concluditur hinc nihil ſolidi ab hæreticis contra ſtylum diſpenſandi in matrimonio poſſe in medium obtrudi. Accedit his, non arbitrarie, & inconſulto eaſdem diſpenſationes in Dataria expediri conſueviſſe, ſed eas remittendo Ordinariorum judicio cum clauſula ſalutari, quod ab executione ſe abſtineant, niſi cauſſæ expoſitæ veritati nitantur, ut poſt antiquiores conſtitutiones Romanorum Pontificum, præcipue vero Sancti Pii V. (*a*), noviſſime ſanxit Benedictus XIV. (*b*). Neque eſt prætereundum, pecunias omnes a divitibus perſolvi ſolitas loco mulctæ ſuccedere, & ut alii a contrahendis prohibitis nuptiis retrahantur, ut notavit Card. de Luca (*c*). Pauperibus autem, & miſerabilibus perſonis gratis omnino impertiri conſueviſſe certiſſimum eſt, lege tamen, & conditione ſuperaddita, ut cum in ęre luere nequeant, mechanicum aliquod, & pœnitentiale opus in tribus BaſilicisUrbis exerceant, atq. ita in corpore luant, qua quidem in re extat encylicica S.M Bened.XIV. ad tresCardinales Archipresbyteros Urbis, ubi regulæ a S.Pœnitentiaria, & Dataria ſervandæ, & opera ſervilia a Pœnitentibus obeunda præſcribuntur.

16. Subſequuntur Annatæ, de quibus pariter obloquuntur Hæretici, quas licet in Inſtit. Canon (*c*) tetigerimus, tamen cum plura ſcitu digna ſuperſint, non abs re erit hìc eadem proferre. Porro Annatæ vel

(a) *Conſtitut. incipien. Sicut accepimus* 5. *Decembris* 1666.
(b) *Conſtitut. incip. Ad Apoſtolicæ tit.* 45. *in Bull. tom.* 1.
(c) *In tit de Vicecancellario*. (d) *Sub tit. de Decimis* 19. *lib.* 2. *in fine*.

vel inde dicuntur, quod adnatæ quaſi ſint ſedibus Epiſcopatuum, aliorumque Beneficiorum ex wagnarek (*a*), vel ex Fagnano (*b*), quod ex fructibus primi anni pendantur; ex eodem autem Fagnano (*c*) quatuor annatarum ſpecies aſſignantur. Prima ſcilicet dicitur *in ſpecie*, quæ eſt dimidia pars fructuum Cameræ Apoſtolicæ de omnibus Beneficiis, quæ a Papa extra Conſiſtorium conferuntur, ſi eorum valor, ſive reditus annuus 24. florenos auri, ſive ducatos de Camera excedat perſolvenda, a qua tamen regula Canonicatus Germaniæ, & Hiſpaniæ excipiuntur. Alteram annatæ ſpeciem idem Fagnanus appellat *Servitia minuta*, ſive quinque portiunculas, quæ inter Papæ Miniſtros, & Officiales diſtribui ſolet. Tertiam *quindennium* nuncupat, quę eſt dimidia pars fructuum unius anni Cameræ Apoſtolicæ ſingulis quindecim annis de quibuſdam Beneficiis ſolvenda, propter unionem, vel exemptionem a communi reſervatione; cujuſmodi eſt v. gr. Præpoſitura Cathedralis Auguſtanæ, quæ ex ſpeciali Pontificio Indulto facta eſt Electiva, ut refert P. Franciſcus Schmier (*d*), atque hinc ſuum quindennium, ſive quindenas ſolvere tenetur. Quarta demum *commune ſervitium* nuncupatur, eſtque fructus primi anni, ſeu certa pecuniæ Summa, quæ Cameræ Apoſtolicæ ſecundum ejus librorum taxam perſolvitur a Prælatis, quorum Prælaturæ in Conſiſtorio Cardinalium, rogatis eorum ſententiis, conferuntur (*e*).

17. Unde vero ortum duxerit annatarum origo, hinc

(a) *In exegeſi ad §. placet ſimiliter 4. in Concordat. Germaniæ de fructibus primi anni.* (b) *In cap. præterea ne Prælati vices ſuas num. 8. quæſt. 2.* (c) *num. 9.* (d) *In juriſprudentia Canonic. Civil. lib. 1. tractatu 3.* (e) *Apud cit. Schmier loco allegato n. 533.*

hinc inde diſceptatur. Nonnulli cum Platina (*a*) BonifacioIX. hanc inſtitutionem adſcribunt; indeque Bonifacianæ dicuntur. Verum non omnes Annatæ ſunt Bonifacianæ, cum tempore Joannis XXII, qui ſedit ante Bonifacium IX. annatæ fuerint in uſu(*b*).

18 Originem ſaneAnnatarum repetitCajetan. apud Fagnanum loc. cit. ab ipſis Eccleſiæ primordiis, ex quo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ab Apoſtolorum temporibus Collectæ quædam fuerunt ſolutæ. Ut ut autem ſe res habeat,certum undique eſt annatarum ſolutionem perperam coloratis ab Hæreticis, infenſiſque Romanæ Curiæ coloribus, & ſubterfugiis detrectari. Æquum quippe & rationabile eſt Summum Pontificem ſupremum Eccleſiæ Principem ad recognitionem ſupremæ auctoritatis in Eccleſia ab inferioribus Prælatis, & Clericis aliquid exigere, quemadmodum Supremus Princeps Imperii Vaſſallis ſuis aliquid in recognitionem Supremi Imperii petere poteſt (*c*). Præſertim quia etiam Prælatis inferioribus ſcimus non eſſe prohibitum ſubſidium charitativum in ſua Diœceſi recipere (*d*). Accedit, Levitis fuiſſe in veteri Lege (*e*) præceptum, ut de fructibus Decimas offerrent, eaſque Sacerdotum Maximo Aaroni porrigerent; Cur igitur Sacerdotum Maximo in Lege Gratiæ inhibendum eſt, ne aliquam fructuum partem,non ſingulis annis,ſed 20. ſæpe 30, aut 40. ſemel ſolvendam exigere poſſit in ſubſidium ſuorum Miniſtrorum, in ſtipendium ſuorum legatorum, utque indigentiis ſuis, & Eccleſiæ opportune provideat, ut recte concludunt Cardina-

(a) *In vita Bonif.IX.* (b) *In Extravag. Cum nonnullæ,de præbendis inter Commun.* (c) *L.Unica Cod.de Annon.* & *L.competit 6. Cod. de præſcript. 30. vel 40. Annor.* (d) *Cap. Conquerente 16. de offic. Judic. ord. cum aliis.* (e) *Levit. 3.*

dinalis Pallavicinus (*a*), Fagnanus (*b*), aliique apud Schmier (*c*).

19. Porro quum nihil æquius proferri poſſit, quam quod juſte, & rationabiliter a Pontifice per Datariam annatæ ſolvantur, ad reſervationes Beneficiorum provocant Hæretici, & de uſurpato Ordinariorum jure, ſive in conferendis Beneficiis, ſive in prætenſa facultate immutandi ſtatum Eccleſiarum, & honorificorum indumentorum conceſſione conqueruntur; ſed prorſus gratis. Quod enim ſpectat ad eorumdem Beneficiorum Collationem, animadvertere iterum oportet univerſæ Eccleſiæ Juriſdictionis fontem Romanum Pontificem eſſe, a quo veluti a mari in rivulos in reliquos Ordinarios diffluxit, ut in Inſtit. Canonicis (*d*) notabamus. Mirum ergo non eſt, ſi Apoſtolica Sedes certis limitibus Ordinariorum poteſtatem coercuit. Præſertim quia Beneficiorum reſervatio, & conferendi juris ademptio inferioribus Collatoribus facta ex prævalidis illis momentis inducta eſt, quæ retulimus in iiſdem Inſtit. (*e*); tum ſcilicet quod Ordinarii ſuis juribus abutebantur, tum ut Eccleſiæ inferiores Romanæ Sedis Primatum recognoſcerent, tum demum, ut exteræ etiam nationes ad limina Apoſtolorum facilius ea occaſione confluerent.

20. Neque vero ſubſiſtit, indiſcriminatim, & effrænatim reſervationem hanc favore Sanctæ Sedis inductam fuiſſe. Habent enim Ordinarii ſuos menſes, in quibus Beneficia non reſervata impertiuntur; extant ulterius nonnulla Capitula, quæ æquali privilegio donantur, ut in iiſdem Inſtitut.

 (*a*) vidi-

(a) *Hiſtor. Coucil. Tridentin. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 23. (b) *Ubi ſupra num.* 14. *& ſeqq.* (c) *Loc. cit. num.* 54. (d) *In titul. de Rom. Pontifice*. (e) *Lib.* 1. *titulo* 23. *n.* 17.

(*a*) vidimus,& late advertit Rigantius (*b*); quodque plus eſt, illimitatam illam libertatem ſibi competentem, ſummamque conferendi Beneficia perſonis ſibi quomodolibet beneviſis, dummodo non eſſent indignæ, poteſtatem, noviſſimis hiſce temporibus adeo compeſcuit, atque reſtrinxit Apoſtolica Sedes, ut in Regno Neapolitano Beneficia omnia tam ſimplicia, quam reſidentialia ex Indulto Bened.XIV,quod refert d.Rigantius (*c*), in executionem Concordati initi anno 1741 inter SedemApoſtolicam, & invictiſſimum utriuſque Siciliæ Regem Carolum Borbonium, ſolis Regnicolis conferenda cautum ſit, idemque in omnibus fere ditionibus cum ſumma cæteroquin Pontificiæ juriſdictionis jactura fieri comperimus. Quo ſtante, & præſuppoſita hac Sanctæ Sedis moderatione, eò minus audiendi ſunt, qui de uſurpataOrdinariorum juriſdictione, & de abſoluta Beneficia conferendi poteſtate conqueri ſolent.

Idemque eſt aſſerendum, ſi ad Elevationem unius Eccleſiæ e ſtatu ſimplicis ad qualificatam, ſeu Collegiatam cum conceſſione honorificorum indumentorum, v. gr. Cappæ Magnæ, aut habitus ſimilis,quam immutationem Status Eccleſiarum vocant, oculos convertamus. Pendet enim hujuſmodi rerum conceſſio a qualitate primi Hierarchæ, & Capitis Eccleſiæ, quæ in Romano Pontifice reſidet, ut eruitur etiam ex *leg.2.Cod. de veſtibus boloſericis & auratis, cum aliis congeſtis a Gratiano*(*d*). Quamobrem cum ſolis Pontificibus iſtorum privilegiorum conceſſio reſervetur, & ſit de Regalibus, ex late animadverſis a Nicol. & (*e*), Barboſa (*f*), cum aliis

(a) *Sub tit. de Collation.* (b) *In Reg. 4. Canc. t. 1.* (c) *In regul. 17. Cancell. n. 125.* (d) *Diſcep. forens. ap. 845.* (e) *Lucubrat.Canon tract.2. rubr. 3. tit. 1.* (f) *In Summa Apoſtolic. deciſionum Collect. 127. n. 2. & de Canonicis cap. 2. n. 27.*

aliis apud Rotam (*a*). Nulla hinc fit injuria Ordinariis, ſi poteſtas, quæ illis non competit, a S Sede exerceatur, alias enim facile confuſiones, & perturbationes in Eccleſiaſtica Hierarchia orirentur, ſi de facili per ſimplicem ad Ordinarios factum recurſum, ab eorum arbitrio penderet inſignia & indumenta Canonicis unius Eccleſiæ ob majorem præemi. nentiam debita aliis impertiri, ut ponderavit eadem Rota (*b*) aliæque extant reſolutiones a Canoniſtis congeſtæ (*c*).

22. Rem vero alibi actam ageremus (*d*), ſi ea, quæ contra Coadjutorias objiciuntur, vel etiam ea, quæ contra diſpenſationes irregularitatum, aliorumque ſimilium impedimentorum proferuntur, quæque fuerunt alibi a nobis (*e*) deducta, iterum deduceremus. Ex his enim abunde colligitur, tam perpetuas Coadjutorias, quam hujuſmodi gratiarum conceſſiones privative Sanctæ Sedi reſervari. Eo enim jure, quo ad Summum Pontificem pertinet ratione Primatus, quem in univerſa Eccleſia obtinet, quique uberiori probatione non eget, & tamquam certus ſupponitur, obices, & impedimenta pro Ordinum, vel Beneficiorum ſuſceptione præfigere, ſpectare etiam debet eorumdem diſpenſatio, prout etiam futuras ſucceſſiones in Beneficiis juſta concurrente cauſa impertiri. Quod ſi iterum reponatur, debere hæc omnia gratis concedi, ne Chriſtianus Orbis tali medio pecuniarum exactione emungatur; Nos etiam iterum reſpondemus, non ſo-

(a) *In Theleſina delationis Inſignium 4. Junii 1736. coram Eminentiſ. Creſcentio* (b) *In Burgen. praeminentiarum deciſione 154. n. 2. coram Herrera, & in confirmatoria 7. Martii 1727. cor. Ratto.* (c) *Apud Piton. diſcept. Eccleſ. 49. tom. 2.* (d) *In tit. 14. Inſtit. Canonic.* (e) *Lib. 1. titul. 2. earumdem Inſtit.*

ſolum in tam modica quantitate pecunias in Apoſtolica Dataria iſtarum gratiarum occaſione perſolvi, ut cum manifeſta veritatis injuria exceſſivæ, & exuberantes eædem ſolutiones jactitentur, ut demonſtrative oſtendit, & quaſi per calculos demonſtravit inter alios clar. me. Cardinalis Belluga in libello Inſcripto *Memoriale al Re Filippo Quinto del Dottor Luigi Belluga Veſcovo di Cartagena ſu le pendenze trà la Corte di Roma, e quella di Spagna*, ſemel, iterumque typis mandato; Verum quod plus eſt, indeclinabiliter ſemper urgebit, ſuſtendandum eſſe a Fidelibus Eccleſiæ Caput, debitaque ipſi, & Miniſtris ejus alimenta eſſe præſtanda. Subveniendum item eſſe pauperibus, aliaque pietatis opera promovenda; quod quidem obtineri non poſſet, niſi per iſtas ſolutiones, & obventiones Eccleſiæ neceſſitatibus conſulatur. Nemo autem, niſi qui invidiæ, & æmulationis æſtu in Romanam Sedem abripitur, non videt, nullam Simoniæ labem in ſolutionibus iſtis admiſceri, quum non intuitu, & contemplatione rei ſpiritualis, & Eccleſiaſtici miniſterii, ſed in ſuſtentationem Miniſtrorum pecuniæ ſolvantur.

23. Cæterum præter Datarium alii etiam in Palatio Apoſt. morantur Papæ Miniſtri, nimirum Præfectus Cubiculi, Pincerna, Dapifer, Eleemoſynarius, & alii, qui tamen cum nulla juriſdictione fruantur, nullamque in Hierarchico Ordine Curiæ Romanæ præeminentiam obtineant, conſulto prætermittuntur. Quum vero ſignatæ jam ſupplicationes per Officiales Datariæ, immo etiam Expeditoribus traditæ, debeant in ſolemniori forma per Vicecancellarium, ejuſque Officiales expediri, ut debitum effectum ſortiantur *ex regula Cancellariæ de non judican-*

dicando juxta formam ſupplicationis (unde ad rem advertit Cardinalis de Luca (*a*), Datariam, & Cancellariam eſſe duo organa Papæ, quibus in materia Beneficiaria undequaque defertur, illo inter utramque intercedente diſcrimine, quod ſicuti publicum Inſtrumentum a matrice, ſeu ab originali in formam ampliorem a Notario redigitur, ut probationem conficiat, ita poſtquam per officiales Datariæ Gratiæ tranſierunt, debent in Cancellaria literæ Apoſtolicæ ſolemnius expediri) opportune hinc poſt Datarium ad Vicecancellarium, qui extra Palatium Pontificis moratur, pro ut de aliis Miniſtris affirmandum eſt, de quibus infra tractabitur, eſt tranſeundum.

TITULUS XI.

De Vicecancellario.

CAncellarius is dicitur, qui reſcripta, & privilegia ante quam Sigillo muniantur cancellare ſolet, ut barbare dicunt, ſeu tranſverſis lineis veluti cancellis linire (*b*). Quemadmodum verò in aulis Principum munus hoc antiquiſſimum fuiſſe, demonſtrat Chaſſanæus(*c*); immo in ipſiſmet Eccleſiis Cathedralibus Cancellarii munus extitiſſe advertit Vaneſpen (*d*); Ita a primis fere ſæculis Eccleſiam Romanam Cancellarios retinere conſueviſſe ampliſſime patet ex Elencho, quem refert Cohellius (*e*), eoſque tanta auctoritate, & dignitate præfulſiſſe ex eodem habemus, ut alterum poſt Summum Pontificem

(a) *Diſcurſu 9. relat. Curiæ Romanæ*. (b) *L. Cancellaverunt ff. de iis, quæ in teſtam. delent. leg. Chirographum ff. de probation*. (c) *In Catalogo glor. p. 7. conſ. 7.* (d) *Juris Eccleſ. tit. 3. cap. 1.* (e) *In notitia Cardinalium cap. 8.*

cem locum obtinere videretur; idemque etiam teſtatur Sanctus Bernardus (*a*) inquiens: *Cum nihil ferme fiat in Orbe bonum, quod per manus quodammodo Romani Cancellarii tranſire non habeat, & vix bonum judicetur, quod ejus primum non fuerit examinatum judicio, moderatum conſilio, ſtudio roboratum, & confirmatum adjutorio*. Immo Lucas de Peña (*b*) eam fuiſſe arbitratur hujus Miniſtri auctoritatem, ut etiam circa materias fidei, ſenſus, & reſponſa Pontificum in Provincias, vel Regna traſmitteret, adeoque tredecim Scribas, ſeu Protonotarios habebat, qui vel minutarum curam haberent vel copias conficerent. Quamvis autem de ſumma Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii auctoritate dubitari non poſſit: Certum tamen undique eſt, non ſemper eodem nomine ab iiſdem perſonis hoc munus exercitum. Nam aliquando Bibliothecarii dicti ſunt, ex quo Bullarum, aliorumque librorum Sedis Apoſt. cura iiſdem demandaretur, aliquando Datarii antequam munus hoc ab altero Cancellarii Avenione ſepararetur, ut notat Lunadorus (*c*); prout etiam æque eſt exploratum, non ſemper a Cardinalibus idem munus retentum fuiſſe. Atque iſta quidem eſt ratio, propter quam de origine hujus officii non conſtare comuniter affirmant, licet nihil ſit veroſimilius, quam quod a tempore S Petri hoc munus incœperit, ex quo aliquis fuerit conſtitutus, qui decreta Apoſtolica, & acta Conciliorum excriberet, ipſumque S. Hieron. munus hoc in adjutorium Damaſi Pontif. exercuiſſe ipſe (*d*) teſtatur.

2. Porro Cancellarii nomen diu, & uſque ad Sæculum decimumtertium in Eccleſia Romana duravit; deinde tamen Vice - Cancellarii vocari conſue-

(a) *Epiſt.* 33. (b) *In epiſt. S. Iſidori*. (c) *In relat. ſua della Corte di Roma*. (d) *In Epiſtola ad Gerontiam de Monogamia*.

ſueverunt, qui hoc munere fungerentur, ſive hoc forte contigerit, ex quo de dignitatis amplitudine intumeſcentes cumRomanis Pontificibus contendere auderent, ut aſſerunt Cardinalis Zabarella, aliique antiquiores Canoniſtæ (*a*), ſive, ut verius communiter creditur, quia dum antea Cancellarii officium exercebant Cardinales, Cancellarii, & non Vice-Cancellarii nuncupabantur, cum vero deinde a Cardinalibus ad privatos pertranſiit, Vice-Cancellariorum titulus inolevit, qui etiam permanſit, atque perduravit, dum Cardinales præclarum hoc munus reaſſumere cœperunt, ut teſtatur Panvinius (*b*), quem refert, & ſequitur Mandoſius (*c*); & multo ſane rationabilius Vice-Cancellarii Cardinales dicti ſunt, quaſi interim, & per modum proviſionisCancellariatum obirent, donec Pontifex Prælatum, vel emeritum alterum virum ad hoc munus aſſumeret, ut advertit Cardinalis De Luca (*d*).

3. Quanta porro ſit Vice-Cancellarii ſupra cæteros præeminentia non ſolum plane intelligitur ex fixo titulo, quem habet, Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ, ſive Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo, & ex conſpicuo Palatio, ad ipſum donec vivat ſpectante, quod Cancellariæ dicitur, & in quo tamquam in Palatio publico, ſeu Principatus per ſpeciem Tribunalis Cancellaria ſtatis diebus habetur, item ex quo omnibus functionibus, quæ ab iis, qui ad Auditorum Rotæ, vel advocatorum Conſiſtorialium Collegium promoventur, ſive ex officio, ſive Papæ nomine præeſt; Verum etiam, ex quo graviora S. Sedis nego-

(a) *In Clementina Ne Romani, de Electione*. (b) *In Tractatu de Cardinalibus*. (c) *in gloſ. facultatum Regentis Cancellariæ* §. *volentes pag. 36. a tergo col. 2.* (d) *In rela t. cur. diſc. 10. de Cancell.*

cia, præſertim quæ in Conſiſtorio expediuntur, & de quibus infra tractabitur, aliarumque omnium Apoſtolicarum proviſionum literæ, quæ ſub plumbo expediuntur, ab ipſo, ſive ejus nomine, ſive per ejus officia ſignantur, imo in proviſionibusCathedralium, vel reſervationibus penſionum, quæ ſuper illis motu proprio Pontificis fiunt, ultra Schedulam per Cardinalem Ponentem ſubſcriptam, decreta per officiales ejuſdem Vice-Cancellarii apponuntur, eo prorſus modo, quo aliæ etiam proviſiones extra Conſiſtorium fieri ſolitæ per eoſdem officiales expediuntur, ut advertunt inter alios Amayden. (*a*), Vaneſpen (*b*), & Card. De Luca (*c*). Accedit his poteſtas criminalis, & coercitiva, qua Officiales Cancellariæ, qui plus debito forſan exegerint, vel alio quovis modo fuerint culpabiles, eidem Vice-Cancellario ſubduntur, & ab eo coercentur, ut cautum fuit per Conſtitut. Greg. XV, quam refert Vaneſpen (*d*), aliaſque Conſtitut. Apoſt. relatas a Cohellio (*e*); unde cumulativam is habet cum Datario facultatem procedendi contra eoſdem Officiales, atque Expeditores Literarum Apoſtolicarum, omneſque alios, qui in materia Gratiæ, vel Juſtitiæ in negociis auctoritate Cancellarii, vel Miniſtrorum Cancellariæ quomodolibet confectis delinquunt.

4. Conſtat autem Cancellaria ex multiplici Officialium claſſe, qui omnes Vice Cancellario ſubduntur ex Conſtit. 3. Martini V. *incipien. In Apoſtolicæ*,

(a) *De ſtylo Datariæ lib. 1. cap. 2. & cap. 18. n. 6. & ſequ.* (b) *In jus Eccleſ. Univerſ part. 1. tit. 23. cap. 1. n. 1. & ſequen.* (c) *In relat. Curiæ diſcurſ. 10. per tot., & in lib. vulgari idiomate conſcripto, cui titulus Il Cardinal prattico.* (d) *Loco citato.* (e) *In notitia Cardinalium cap. 17. §. Fundamentum.*

ſtolicæ,omneſque in Cancellaria diſtincta habent ſubſellia ad inſtar Tribunalis, eòque licet olim ter in hebdomada cujuſque menſis, nempe diebus Martis, Jovis, & Sabbathi convenirent, nunc tamen diebus Martis, & Veneris tantum ad Cancellariam accedunt proBullarum expeditione. Inter hos vero numerantur Regens, Abbreviatores Parci Majoris, & Minoris, Jannizzeri, Plumbatores, Regiſtratores, Scriptores Apoſtolici, aliique.

5. Porro Regens tamquam Primarius Officialis,ſeu Locumtenens Vice-Cancellarii inter Abbreviatores, quos dicunt Parci Majoris, per turnum ſupplicationes diſtribuit, ut ab iis minutæ exarentur, deinde vero ab iis repetit, ut ad plumbum remittat, appoſita ad latus prima litera nominis Vice-Cancellarii, & in medio, ſeu ad calcem Bullarum duabus literis L, & C, ut denotetur Lectam, & Correctam Bullam fuiſſe;ulterius is cauſſas appellationis ad Curiam Romanam inter alios Prælatos dividere ſolet, committendo cum clauſula *de Mandato D. M. D. PP. audiat Magiſter M*; & demum tam a novis Epiſcopis, quam ab aliis Dignitatibus juramentum penes ipſum emittitur. Abbreviatores vero ex ſeptuagintaduabus perſonis componuntur, quorum duodecim de Parco majori (Parcus ſignificat ſcamnum, ſeu Sedem, ubi officio funguntur, ſeu ubi juriſdictionem exercent,) ſeu majoris etiam Præſidentiæ dicuntur,unuſquiſque vero ſubſtitutum togatum habet: vigintiduo de Parco Minori, & reliqui ad examinandas litteras in prima viſione deſtinantur. Omnes autem literæ, quæ in Cancellaria expediuntur, ab aliquo ex duodecim Abbreviatoribus ſunt neceſſario ſubſcribendæ, ut ex Conſtitutione Leonis X. advertit Corradus

(*a*); iiſque uſum redimiculi Galeri, vulgo *Cordone* coloris violacei etiam dimiſſo Officio conceſſit Benedictus XIV. Conſtitut. incipien. *Maximo*, edita die 10. Septembris 1740. (*b*) præter ampliſſima privilegia, quæ olim Paulus V. indulſerat in Conſtitutione *Romani Pontifices*, edita anno 1615. quam refert dictus Corradus.

6. Superadduntur ulterius centum & unus Scriptores Apoſtolici, qui pariter conſtituunt Collegium, cui plures ex Cardinalibus, ipſeque Pontifex adſcribi non dedignatur; prout etiam numerantur viginti ſeptem Scriptores minoris Gratiæ, qui literas diſpenſationum Matrimonialium in forma pauperum ex integro taxant, tam pro abſentibus ſcilicet a Curia, quam pro præſentibus, ſed pro præſentibus gratis. Prout etiam Jannizzeri, ſeu publici Sollicitatores centum in eadem Cancellaria adſcribuntur, quorum munus eſt in expeditione Bullarum ſe ingerere. Prætereaque extant Præfectus Sollicitatorum, tres Magiſtri Plumbi, unus præſes Plumbi, centum & quatuor plumbi Collectores, viginti quatuor Regiſtratores Bullarum, ſex Magiſtri ejuſdem Regiſtri, nonaginta unus Scriptores Archivii, Corrector contradictarum unus, Correctores Archivii decem, Cubicularii ſexaginta, Scutiferi centum quadraginta duo, Auditor contradictarum unus, Procuratores contradictarum quatuordecim, Procuratores minoris gratiæ viginti quatuor, Depoſitarius Cubiculariorum, & Scutiferorum unus, qui omnes ex taxis Cancellariæ emolumenta percipiunt, ut fuſius exponit citatus Corradus (*c*), auctor in hoc præſertim rerum genere probatiſſimus.

7. Jam

(a) *In praxi diſpens. lib. 2. cap. 8.* (b) *Eſt in ejus Bull. 3. tom. 1.* (c) *In praxi diſpenſat. Apoſtolicarum lib. 4. cap. 5. n. 19.*

7. Jam vero ubi fuerint ſupplicationes in Dataria ab uno ex ſcriptoribus Apoſt., quorum collegium ex tot Perſonis conſtituitur, ſcriptæ, deindeque regiſtratæ, & ut inquiunt auſcultatæ, a Magiſtris Regiſtri ſupplicationum, in Cancellariam ad Notarium Regentis tranſmittuntur. Per Regentem inter Abbreviatores de Parco Majori diſtribuntur, a quibus, vel eorum ſubſtitutis minutæ conficiuntur Bullarum, ſubindeque a Scriptoribus literæ Apoſtolicæ, ſeu Bullæ in membrana gallico, ſeu bullatico charactere ſcribuntur (forſan quia dum Avenione Pontifices morarabantur, ita Bullæ ſeu literæ Apoſtolicæ ſcribi conſueverunt, idemque mos fuit perpetuo retentus) in quibus brevitatis cauſſa prętermituntur Diphthongi, & nomina Civitatum, ac Diœceſum truncate ſcribuntur, excepta data, quæ ad evitandas fraudes per extenſum inſcribitur; Bulla vero ita conſcripta per reſcribendarium ad Bancum Scriptorum taxatur, expletaque taxa per Computatorem, eadem ſcriptoribus ſolvitur, deinde mittitur ad abbreviatores de Parco Minori, quorum unus literis perlectis adſcribit, acceptaque juxta taxam pecunia Bullam ad Abbreviatores de Parco Majori remittit. Deinde deferuntur literæ ad Sollicitatores literarum Apolicarum, quos Jannizzeros vocant, indeque ad ſedes Abbreviatorum mittuntur, quos de prima Viſione vocant, factaque ſolutione Annatæ, ſi ſolvenda ſit, iterum Bulla una cum ſupplicatione ad Abbrevitatorem de Parco Majori remittitur, qui minutam confecerit, factaque ab eo exacta Collatione cum eadem ſupplicatione, & ſubſcriptione adjecta, eam a ſuo Banco dimittit a Cuſtode Cancellariæ recognoſcendam, an omnes Officiales ſubſcripſerint, idemque Cuſtos circumductis lineis circiter ſcripto-

ptorum & abbreviatorum, Cancellaria finita Plumbatori literas Apoſtolicas tradit, a quo conſueto plumbo muniuntur, & Cordulis alligantur. Prætereundum tamen non eſt, plurimum appoſitionem Plumbi in ſequentibus caſibus differre. Aut enim Bullæ *in forma gratioſa* expediuntur, pro ut contingit, cum Papa undique inſtructus de merito Proviſorum ad ipſos proviſos litteras Apoſtolicas dirigit, eoque caſu plumbum in Cordula ſerica rubei coloris appenditur; aut vero *in forma Dignum* expediuntur, ſive executio inſtante proviſo ad unum, vel alterum in dignitate conſtitutum pro immiſſione proviſi in poſſeſſionem Beneficii conceduntur, & cum Corda Canapis plumbum apponitur.

8. Bullæ porro ita plumbatæ Collectoribus Plumbi traduntur, qui pecuniam juxta taxam a Sollicitatoribus, ſeu expeditoribus exigunt, poſteaque unus Jannizzerorum nomen ſuum intra Bullas adſcribit calculando impenſas in expeditione peractas, inde per aliquem ex Scriptoribus ad regiſtrum Bullarum deferuntur, factaque prima, ut inquiunt, regiſtratura, alteri regiſtratori in libris publicis deſcribendæ traduntur, atque deſcriptæ cum originali auſcultantur, auſcultatiſque Magiſter Regeſti Bullarum de auſcultatione ſequuta fide data deponit, ſicque prævia ſolutione annatæ, ſi ſit ſolvenda, parti, aut expeditoribus dantur.

9. Extat inſuper in Cancellaria aliud Tribunal, quod vulgo Auditorium contradictarum vocant, in quo res, quæ publicari debent, ut ſunt reſignationes Beneficiorum, nec non literæ tam Juſtitiæ, quam mere gratioſæ, aut mixtæ expediuntur, in quibus Judices, vel executores aſſignantur, cum Clauſula *vocatis vocandis*; moſque eſt etiam in Judi-

Judiciis, ut citationes, quæ per edictum publicum decernuntur, in hoc auditorio publice legantur, & deinde in valvis Baſilicæ Sancti Petri affigantur, eæque publicationes, & affixiones citatum ad comparendum adſtringunt, ut ſi non compareat Contumax, & victus judicetur; Imo ſolent Judices Urbis, ſi reum abſentem & contumacem exiſtiment, alteri parti comparenti facultatem concedere citandi contumacem per hoc auditorium, quam quidem facultatem vocant *Proceſſum per audientiam Contradictarum*. Ad hæc Remiſſoriæ, ſeu Extractiones, Commiſſiones, confirmationes privilegiorum, aliaque hujuſmodi ab hoc Auditorio conceduntur, ut notat Veſtrius (*a*). Tribunal vero iſtud variis perſonis conſtituitur, atque componitur, ex Auditore ſcilicet, qui tamquam Judex Ordinarius contradictiones definit, Correctore, qui Bullas corrigit, duobus Lectoribus, qui ex Scriptoribus Apoſtolicis eliguntur, & Lectores audientiæ contradictarum vocantur, duobus Notariis, ac quatuordecim Procuratoribus, ſeu partium patronis, qui litteras dictant, quæ in eo Tribunali expediuntur, eaſque ſupplicibus, vel litigantibus impertiuntur.

10. Quamquam autem regulariter loquendo literæ Beneficiales in Cancellaria expediantur, poſſunt aliquando per Cameram expediri ex Conſtitutione Alexandri VI. 10. incipien. *In eminenti*, confirmata a Sancto Pio V. *in Conſtitutione* 105. incipiente *Pontifice dignum*. Per Cameram vero regulariter expediuntur Coadjutoriæ, & Regreſſus; aliæque omnes gratiæ arbitrio Partium poſſunt per hanc quoque viam expediri, illo duntaxat intercedente diſcrimine, quod ſi per Cancellariam expediantur, li-

teræ

(a) *Lib.* 1. *cap.* 5.

teræ ab Abbreviatoribus, ut ſupra diximus, judicantur, & revidentur; literæ econtra per Cameram expeditæ revidentur, & ſubſcribuntur a Proſummiſta, ſeu Summatore; acceditque quod cum per Cameram expediuntur, uberior quædam taxa Secretariis Cameræ ſolvitur.

11. Extat proinde alterum munus in Curia, quod Summiſtæ, ſeu Summatoris vocatur, ex quo litteras Apoſtolicas, quæ per Cameram expediuntur, ſummarie videt, atque recipit, eidemque Summatori, unus Præſes, qui vices ejus gerit, & quatuor Recognitores litterarum junguntur, qui Bulla recognita ad Officium Plumbi Bullas tranſmittunt ab aliquo mox Notario regiſtrandas. Opportuneque notandum eſt, quod ex Conſtitutione Pii IV. *incipien. Ingens humanis*, cautum eſt, literas Apoſtolicas ſub plumbo, ac in forma Brevis expeditas, quæ intereſſe Cameræ quomodolibet concernant, debere intra tres menſes ſub pœna nullitatis in eademCamera regiſtrari;quod provido ſane conſilio ſtatutum eſſe nemo non videt, ut difficilius ſcilicet negociorum Cameralium intereat memoria, utque omnibus fraudibus, quæ prætimeri poſſent, aditus præcludatur. His accedunt officia Magiſtri Brevium, a quo aliquando Brevia expediuntur, & Præfectura ſollicitatorum, ſeu Novæ Taxæ a Sixto V. inſtituta, munus vulgo Pallottum appellatum, ex quo primus hujus Officii poſſeſſor Cardinalis Pallottus fuiſſe credatur; Annatiſtæ item,qui mediam annatam eorum Beneficiorum exigunt 24. ducatos auri excedentium, quique in ſeptem Collegia vacabilium (prout vacabilia æque ſunt, & pecunia comparata officia alia hactenus recenſita) dividuntur, nempe Equites S.Petri, Equi-

tes

tes S. Pauli, Portionarios, Præſidentes, Cubicularios, Scutiferos, Archiviſtas, & Jannizzeros, ſeu Apoſtolicos Sollicitatores. Item in claſſe Abbreviatorum Parci Minoris officium exſtat Aſſiſtentiæ nuncupatum, cui julius unus proviſura Bullarum perſolvitur; & Scriptores ſuperadduntur Bullarum minoris gratiæ, qui ſcribere, & taxare diſpenſationes tertii ſimplicis, aut tertii & quarti, conſanguinitatis, & affinitatis gradus conſueverunt.

12. Agendum quidem hic ſupereſſet de regulis, quibus Apoſtolica Cancellaria in expeditione Beneficiorum utitur. Item diluendæ forent querimoniæ eorum, qui Romanæ Sedi infenſi ſunt, injuſtaſque eſſe exactiones pecuniarum, quæ a proviſis ſolvuntur, perperam jactitant. Ultimoque loco, ut nihil huic materiæ deſiderandum ſupereſſet, congrua quædam ratio eſſet proferenda, qua ejuſdem Cancellariæ ſtylum rationabiliter, & juſtis de cauſis invectum fuiſſe & conſervari demonſtraretur. Verum de regulis Cancellariæ ampliſſime alibi diſſeruimus (a). Submovimus etiam, atque undequaque diluimus objecta, quæ circa iſtas pecuniarum exactiones obtrudebantur, in præcedenti titulo de Datario; unde ne rem jam actam agamus, ea, quæ jam diximus, abſtinemus repetere, illudque dumtaxat ad proferendam congruam aliquam rationem praxis & ſtyli Cancellariæ ſuperaddendum arbitramur, quod nempe Summi Pontificis dignitas, quo auctorizante negocia præſertim in Cancellaria expediuntur, ſummam actarum rerum ſolemnitatem expoſtulat; Utque hinc nullatenus poſſit de gratiarum ſubſiſtentia, & realitate dubitari, merito ſtylus ſupra memoratus, & jam expoſitus inolevit. Si quis vero ampliorem

(a) *In Inſtitutionibus Canon. tit. de Collationibus.*

alteram rationem, ſeu congruentiam expoſcat; ſecum animo reputet, non omnium ſane eorum, quæ provide inſtituta a Legislatoribus ſunt, rationem poſſe exhiberi. Plurimum enim deferendum eſt eorum auctoritati, quæ etiam præſumere facit, rationabiliter, opportunoque conſilio leges editas, evulgataſque fuiſſe, quibus ſubditorum hominum eſt, abſque ſcrupuloſo examine prompte expediteque obedire, ut diſerte reſpondit Juriſconſultus *in lege non omnibus ff. de Legibus*. Ampliora tamen de Datario, & Vice-Cancellario, eorumque Officialibus profert Cohellius (*a*).

TITULUS XII.

De Camerario.

QUamvis eo modo, quo a Jure Communi conſultum eſt Epiſcopis per Vicarios illos, quos communiter natos vocamus, Archidiaconum nempe, & Archipresbyterum, primus quorum forenſem, contentioſam que Juriſdictionem exercebat, alter vero Spiritualem, & Eccleſiaſticam, ut fuſius habetur in Jure Canonico *ſub titulo de offic. Archidiac.*, *& Archipreſ.*, noſque in Inſtit. Can. (*b*) expoſuimus. Quamvis, inquam, eo prorſus modo Romanus Pontifex, præſertim tamquam Epiſcopus Urbis, duos pariter Auditores habere conſueverit, quorum primus eſt Cardinalis Camerarius, qui in locum Archidiaconi, alter vero eſt Cardinalis Vicarius, vel, ut alii malunt, Pœnitentiarius qui in locum Archipresbyteri ſucceſſit; Revera tamen juxta varias temporum, & circumſtantia

(a) *In not. Cardin. cap.* 17. *& a cap.* 20. *ad* 38. (b) *tit.* 12. *lib.* 1.

Digitized by Google

tiarum viciſſitudines, Juriſdictio Camerarii tam in Civilibus, quam in Criminalibus cauſſis nunc fuit adaucta, nunc imminuta, adeo quidem ut vix Archidiaconalis gradus, quem ipſe repreſentat, veſtigia ſuperſint, ut advertit Cardinalis de Luca (*a*).

2. Primis enim temporibus præcipuum ejus munus fuit Eccleſiaſticos redditus pauperibus erogare, ut notavit Glos. (*b*); ſubinde vero hoc munere, ſeu conſuetudine abolita, certa plane res eſt, in omnibus Urbis, ejuſque diſtrictus prophanis cauſſis immediatam, mediatam vero in toto Statu Eccleſiaſtico juriſdictionem exercuiſſe, ſi ad ejus Tribunal Appellationes interponerentur, prout etiam cauſſas omnes cognoviſſe, quæ ab Ordinariis, & Metropolitanis ad Curiam medio appellationis devolvebantur, ad eumque finem Auditorem pro cauſſis appellationis, Gubernatorem autem Urbis, qui idcirco Vice Cancellarius dici conſuevit, pro adminiſtratione rerum prophanarum in Urbe, & diſtrictu, & Theſaurarium, cui cura concredebatur Ærarii Principis, & inſpectio cauſſarum Cameralium minorum, pro quibus ſuffragium plenæ Cameræ non requirebatur, eligere conſueviſſe, quæ tamen omnia vel fuerunt omnino ſublata, vel imminuta, vel cum ſola auctoritate Pontificis fiunt, ut notant idem Cardinal. de Luca (*c*), & Cohelius (*d*), qui etiam advertit, munus hoc undique honorificum, & ex primariis Urbis anno 1100. in Cardinales fuiſſe translatum.

3. Tota ergo Civilis, & Criminalis Camerarii poteſtas nunc præciſe reducitur in cognoſcendis cumulative cum Tribunali Cameræ cauſſis appaltuum, aliarumque rerum ad Cameram Apoſtolicam per-

 ti-

(a) *In relatione Curiæ in hoc titulo*. (b) *In C.* 1. 18. *q.* 1.
(c) *Loco cit.* (d) *In not. Cardinal. cap.* 18.

tinentium, necnon in cognoſcendis delictis; quæ vel occaſione adminiſtrationis munerum Cameralium aguntur, vel ex quibus Cameræ Apoſtolicæ jura violantur, quod ut facilius præſtet, ultra Præſulem cum titulo Auditoris retentum, duos alios Domeſticos, privatoſque habet Auditores, unum pro Civilibus, alterum pro Criminalibus cauſſis, familiamque ulterius armatam habet pro Camerariatus majeſtate, & criminum punitione, ut eruitur ex Conſtitutione Leonis X. 24. *incipien. Licet*, Pauli III. 41. *incipien. Romanus*, Pii IV. 26. *incipien. Romanum*, Clementis VIII. 65. *Incipien. In Conferendis*, aliiſque ſimilibus.

4. In memoriam tamen venerandæ antiquitatis, qua ampliora erant Camerarii jura, tam vivente, quam mortuo Pontifice, plures præeminentiæ eidem remanſerunt. Nam vivente Pontifice habet præſidentiam, ac interventum pro ejus libitu in Tribunali Cameræ Apoſtolicæ, cujus caput & Præfectus eſſe cenſetur, habet item auctoritatem concedendi uſum aliquorum ſituum publicorum Urbis pro venditione victualium, dummodo inde perpetua occupatio non præſumatur inducta; prout etiam ad Camerarii Tribunal partim abſque alio adjuncto, & partim cum Ædilibus Urbis pertinet cognitio cauſſarum ſuper refectione Viarum, & ſuper materia retractus ad ornatum Urbis, juxta notiſſimam Conſtitutionem Gregorii XIII.; unoque verbo in cauſſis omnibus, quæ ad Clericos Cameræ ſpectant, ſive ſeorſim, ſive unitim decidendæ, Camerarius, ſi velit, ſe ingerere poteſt; unde ratione Primatus & Præfecturæ, quam in Camera habet, convenientes iidem Clerici ſtatis anni temporibus in ejus Ædibus, & præſertim cum pretium carnibus apponendum eſt, vel altera publi-

publica urget occaſiò, laute ad menſam tractantur.

5. Major autem huius Card. Camerarii auctoritas eſſe dignoſcitur Sede Papali vacante, ſeu vacatione imminente, cum iſto tempore repræſentare dicatur imaginem antiqui Camerarii, ſeu Archidiaconi, & Vicarii nati ejuſdem Papæ, quatenus eſt, ut diximus, Urbis Epiſcopus, ratione cujus repreſentantiæ ſtatim ac Papa eſt in mortis articulo conſtitutus, eidem Camerario denegari non poteſt aditus ad ipſiusPapæ cubiculum,ſequuta vero morte Pontificis, coram ipſo, & Tribunali Cameræ fit recognitio Cadaveris, eique traditur Annulus Piſcatoris, qui ab ipſo publice frangitur ad exprimendam negociorum interruptionem,quæ annuloPiſcatoris ſignabantur, quæque Sede Pontificia Vacante quieſcunt. Suſcipit etiam idem Camerarius gubernium, & adminiſtrationem Palatii Apoſtolici, quam diſtribuit inter Cameræ Clericos, uni v. gr. curam Viridarii, alteri Furni, & ſic ſingillatim curam rerum ad Pontificem, & Cameram pertinentium provide variis Clericis demandando. Peculiaris inſuper adminiſtratio, & vigilantia eidem committitur in conſtitutione Conclavis, cujus erectionem pro tempore,quo novendiales exequiæPontificis durant, perfici curat,ſelectos ad hoc Advocatos Conſiſtoriales,alioſque Miniſtros deputando, iiſdemque diebus in ſignum imperii perUrbem incedit more Principis, præcedente ſufficienti numero militum Helveticorum, qui Cuſtodiæ Papæ,dum viveret,deſtinabantur.

6. Inter eaſdemque præeminentias ultimo quidem loco adſcribenda eſt facultas doctorandi, tam vivente, quam mortuo Pontif., qui ſane gradus licet in Urbis Archigymnaſio, vel ab Advocatis Conſiſtorialibus pro utroque Jure, vel a ſelectis non-

nullis

nullis Regularibus pro Sacra Theologia, vel demum a primi ordinis Medicis in catalogum, ut inquiunt, Protomedicorum adſcriptis conferatur; id tamen indiſtincte fit auctoritate Cardinalis Camerarii, ut advertit dictus Cardinalis de Luca (a). Quoniam vero diximus ampliorem eſſe Cardinalis Camerarii juriſdictionem Sede Vacante, & ſequuto Pontificis obitu, præſtat, ut quonam jure in hac circumſtantia temporis procedatur, quod *in Titulo de Romano Pontifice* huic reſervavimus loco, uberius exponamus.

7. Primis porro Eccleſiæ Sæculis Pontifice extincto Romanæ Eccleſiæ procurationem habebant ejuſdem Presbyteri; noſtris tamen temporibus novendio ab interitu Pontificis tribus numero Cardinalibus *Capita Ordinum* appellatis, utpote ex tribus Eccleſiaſticis Ordinibus ſelectis, nimirum Epiſcopali, Presbyterali, & Diaconali, eadem procuratio conceditur, cum quibus aſſidet quoque S. Romanæ Eccleſiæ Camerarius, qui per id tempus in publicum prodit ſtipatus Helueticis Militibus, qui Pontificiæ Cuſtodiæ invigilabant, eorum duce equo inſidente, ut ſupra innuebamus. Ea vero differentia inter Cardinalem Camerarium, & Capita Ordinum prætereunda non eſt, quod ſcilicet hujus auctoritas perpetua, ſit econtra illorum, ultra triduum non protendatur. Iis enim elapſis diebus munus concreditum dimittunt, ut alii eodem perfungantur, ſervata temporis ratione, ut ſanxit Pius IV. *Conſtitut. edita nona Octobris anni* 1562. quam ampliavit Clemens XII. *Conſtit. incip. Ad perpetuam*, evulgata 4. *Nonas Octobris anni* 1732. Has vero Conſtitutiones cum dumtaxat allegaverimus in Inſtitutioni-

(a) *Loco cit.*

tionibus Canonicis (*a*), & in d. Titulo ſuperius expoſito *de Romano Pontifice*, opere prætium eſt, ut ea quæ ibi continentur hic fuſius proferamus.

8. Pius igitur IV. in dicta Conſtitutione provide Cardinalibus Capitibus Ordinum vetuit corrigere, aut delere judicio, ſeu decreto ſuo etiam ſubſidiario, alioque quovis ex titulo ea omnia, quæ a præcedentibus fuerint conſtituta. Id enim privative ad Sacrum Collegium voluit pertinere; quamviſque eoſdem una cum Camerario levioris momenti, ac in dies, ſeu paſſim occurrentia negocia expedire poſſe permiſerit; ſi quid vero gravioris momenti, ac indaginis fuerit, id omne ad idem Collegium Cardinalium deferendum eſſe mandavit. Quamobrem durante Conclavi duplex Congregatio peragitur, una particularis, ut ajunt, quam tres Cardinales Capita Ordinum, & Camerarius conſtituunt, altera generalis, cui omnes Cardinales interſunt. Qualis autem tempore Interpontificii ſit auctoritas Sacri Collegii, declarat præfatus Clemens XII. in d. Conſtitutione *Ad perpetuam edit.* 4. *nonas Octobris* 1732. & in Chirographo edito die 24. Decembris ejuſdem anni, per extenſum relat. apud Ignatium Santamaria (*b*).

9. Olim quidem tempore Novendialium, quibus juſta defuncto Pontifici perſolvuntur, & Conclave paratur, tot, tantæque habebantur Congregationes, ſeu Cardinalium congreſſus, Camerario ſemper præſente, & ſuffragante, ut vix certo numero poſſent præfiniri. In allegato autem Chirographo Clemens XII. earum numerum reſtrinxit decernendo, ut plures, quam decem, fieri non poſſint. In prima autem Congregatione, quæ genera-

(a) *In tit. de Card. quinto lib.* 1. (b) *In tract. Rom. Curiæ* §. 7. *in fine*.

neralis eſt, & habetur in aula paramentorum, is; qui Sacro Collegio a Secretis eſt, legit Conſtitutiones Summorum Pontificum Gregorii X. *incipien. Ubi periculum* Julii II. *de Simoniaca electione* Pii IV., Gregorii XV. Urbani VIII. pariter *de Electione*, & Clementis XII. jam allegatam, præſtito ſub idem tempus a Cardinalibus jurejurando de iis exacte, & religioſe ſervandis. Item in ea annulum piſcatorium nuncupatum, quod imaginem præſefert Sancti Petri Apoſtolorum Principis ſub ſpecie piſcantis e navicula, ac plumbum Camerarius infringit. Datarius, ac Subdatarius, & Secretarius Brevium, aut libellorum ſupplicum capſam Scripturarum præſentant. Confirmatur item, ſeu noviter eligitur Urbis Gubernator; deliguntur Oratores ad habendas Orationes tum in laudem defuncti Pontificis, tum de novi Pontificis Electione; præficiuntur inſuper conſtruendo conclavi Cardinales nonnulli, Camerario nunquam excluſo; & demum mandatur, ut extincti Pontificis Cadaver in Baſilicam Vaticanam, ubi nox appetit, de more efferatur, & poſtquam triduo in Sacello Sanctiſſimi Sacramenti fuerit elatum, veſpere, præſentibus Cardinalibus ab eodem Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem evectis, in tribus loculis, cupreſſino, plumbeo, & ligneo, conditum cum Pontificalibus indumentis, & cum Epigraphe, ſeu inſcriptione diei nativitatis, & obitus tumuletur.

10. In altera Congregatione, quæ habetur in Vaticanæ Baſilicæ Sacrario, Urbis, ac ditionis Eccleſiaſticæ Miniſtri unico urnæ, ſeu buſſolæ gyro confirmantur, Romæ Conſervatores honorifice excipiuntur, necnon a Cardinalibus Deputatis ſtatus Conclavis conſtruendi exhibetur.

11. In

11. In tertia vir unus plerumque ex Ordinibus regularibus ad Sacramentales Confeſſiones in Conclavi deligitur, atque defuncti Pontificis cadaver præſentibus Cardinalibus ab eo renunciatis ſepulchro mandatur, ut mox dicebamus. In quarta duo Medici, & Chirurgus eliguntur. In quinta Aromatarius, ac duo barbitonſores cum duobus adjutoribus deliguntur. In ſexta poſtremus Cardinalis Diaconus Cellarum ſortes extrahit, & Cœremoniarum Magiſtri, quos non participantes vocant, facultates ſuas Cardinalibus exhibent. Quamvis autem olim Cœremoniarum Magiſtri ex Conſtitutione Pii IV. tantum duo, nulla facta mentione famuli, ad Conclave admitterentur, Gregorius, autem XV. iis famulum conceſſiſſet; Hodie ex Conſtitutione Clementis XII. Cœremoniarum Magiſtri Conclave ingreſſuri ſunt ſex, nempe duo participantes, ut ajunt, tres non participantes, & antiquior ex ſupranumerariis, quibus omnibus unus Famulus permittitur; idemque Clemens in enunciato Chirographo decrevit, ut ſi primus Magiſter Cœremoniarum ſit Epiſcopus, Sacerdos una cum illo Conclave ingredi debeat. In ſeptima Congregatione preces pro tertio Cardinalium inſerviente porriguntur, aliique deliguntur famuli. In octava de Conclaviſtarum qualitatibus duo Cardinales ad id deputati, inquirere debent, an ſcilicet iis prærogativis præditi ſint, quæ a Conſtitutionibus Apoſtolicis exiguntur, præcipue vero an per annum Cardinalibus inſervierint. Inter Conclaviſtas autem recenſentur nedum familiares Cardinalium, ſed etiam Sacriſta, Subſacriſta, & Adminiſter Clericus, qui divina operanti ſolet adeſſe, qui omnes creato Pontifice quamplurimis privilegiis cumulantur, quæ ampliſſime re-

fert inter alios Rigantius (*a*) . In nona miniſtério Schedularum Cardinales deſtinantur, qui ad Cuſtodiam Conclavis, & regimen adſiſtere tenentur. In decima, ac poſtrema Congregatione Cardinales Ordinibus Sacris minime initiati Apoſtolicum Breve, quo ſibi ſuffragii in Pontificia creatione ferendi poteſtas facta eſt, aliis Cardinalibus exhibent; in eaque demum Fabri lapidarii, & lignarii eliguntur, eorum omnium ratione habita, quos Cardinalis Camerarius ad conſtructionem Conclavis deputavit. Porro ex hactenus deductis ſatis, ſuperque colligitur, quanta ſit Cardinalis Camerarii tam vivente, quam mortuo Pontifice auctoritas. Nunc ad Pœnitentiarium, qui eſt alter Pontif. Rom. Miniſter extra Palatium, gradum faciamus.

TITULUS XIII.

De Majori Pœnitentiario.

Poteſtas ſane illa, quam Sancto Petro primum datam eſſe conſtanter profitemur a Chriſto Domino eidem dicente: (*b*) *Quodcumque ligaveris ſuper Terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cælis*; æquali certitudine conſtat, ad Summos Pontifices Petri ſucceſſores fuiſſe transfuſam, ne alias ſubſidiis illis, & ſalutaribus remediis poſt D. Petri obitum eadem Eccleſia privata dicatur, quæ ipſemet Chriſtus pretioſo ſuo Sanguine promeruit, ut alias oſtendimus in Inſtitutionibus Canonicis (*c*), atque in Inſtitutionibus Criminalibus (*d*). Eadem vero

(a) *In Reg. 4. Cancell. §. 9. to 1. & in regul. 32. n. to. 3.* (b) *Joannis 21.* (c) *In tit. de Rom. Pontif.* (d) *Sub eod. tit.*

vero poteſtate, quæ proprie poteſtas Clavium appellatur, cum per ſe ipſum non ſemper poſſet immediate Summus Pontifex uti, detentus ſcilicet aliis curis graviſſimis, aut cum in majus vergeret Fidelium emolumentum, quod ab aliis ex delegatione, & commiſſione ejuſdem Pontificis facilius exerceretur; provide hinc cœperant a primis ſæculis iidem Romani Pontifices aptiores quoſdam Sacerdotes in Pœnitentiarios deputare, exemplo forſan Pœnitentiariorum, quos Epiſcopi ex vetuſta Eccleſiæ diſciplina aſſumebant, ut opinatur Van-eſpen (a), qui quidem juxta graviores, vel leviores exceſſus majorem, vel minorem pœnitentiam imponere, & quandoque etiam Eccleſiaſticam legem, impoſita pariter pœnitentia, relaxare conſueverunt.

2. Horum porro Pœnitentiariorum mentio, & inſtitutio præcipue reperitur circa annum Chriſti CCL. quum tempore ſcilicet S. Cypriani, & S. Cornelii Papæ diu diſceptatum eſt, num relapſi ad Idololatriam recipiendi eſſent, nec ne, aliis cum Novatiano negantibus, aliis vero cum majori parte, quorum opinio prævaluit, affirmantibus; cumque aliqui gravius, aliqui levius deliquiſſent, pro qualitate culpæ iidem ſelecti Pœnitentiarii pœnitentiam injungebant; extenſaque deinde eadem diſciplinà ad aliorum quoque delictorum abſolutionem, duo ſignanter legimus Romæ in quavis Parochiali Eccleſia conſtitutos Pœnitentiarios, qui juxta Canones pœnitentiales veniam delinquentibus darent, quorum caput major Pœnitentiarius appellabatur; quod quidem munus tamquam perhonorificum, & ſpe-

(a) *In hoc titulo.*

ſpectabiliſſimum uni ex S. R. E. Cardinalibus, qui ſit Presbyter, & in ſacra Theologia, vel jure Canonico doctor, fuit deinde collatum ex Conſtitutione S. Pii V. 83. §. 6.; quamquam Gravatius (*a*) exGomeſio, aliiſque auctoribus cenſeat, dignitatem, Cardinalis Pœnitentiarii a Benedicto II. conſtitutam, deindeque Eugenii, Sixtique beneficio auctam, & ampliatam a Pio IV. Conſtitutione 53. *incipien. In ſublimi*, a S. Pio V. *Conſtitutione* 83. *incipien. In omnibus*, & ab Urbano VIII. *In Conſtit. incip. Regimini*, quæ licet non habeatur in Bullario, refertur tamen a Nicolio (*b*), veteri amplitudine moderata, ad certos fuiſſe limites opportune redactam, ut notat idem Nicolius; & exploratiſſimum eſt, felicius id, & uberiori profectu adimpletum fuiſſe per poſteriores alias Conſtitutiones Innocentii XII incipien. *Romanus Pontifex* edit. 3. nonas Aprilis anno 1692. Clementis XII. incipien. *Apoſtolatus officium* edit. 4. nonas Octobris anno 1732., & Benedicti XIV. *incipien Paſtor bonus* edit. idibus Aprilis 1744. quæ eſt in Bullario ejuſdem Pontificis *la* 95. *to.* 1.

3. Omiſſis igitur antiquioribus facultatibus ejuſdem Pœnitentiarii, hac Benedicti XIV. Conſtitutione, quæ recentior & poſterior eſt aliis, ſequentes facultates eidem tribuuntur. Habet videlicet facultatem abſolvendi quoſcumque ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam in Cœna Domini, immo Regulares pro utroque foro, & interdum Sæculares quoque, quando ſcilicet agitur de cenſuris publicis latis a jure præſertim Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel latis ab homine, quando Juriſdictio Judicis expiraverit, vel quando per eoſdem Judices abſolutio ad Ro-

(a) *In Annotationibus ſuis ad cap. 2. Praxis Veſtrii*. (b) *Part. 2. lucubrat. lib. 5. tit. 39.*

Romanum Pontificem fuerit remiſſa, & quando ligati legitime impediuntur, quominus hos adeant, a quibus fuerant innodati, dummodo pareant judicato; & ſatisfaciant parti, quarum altera renuente ſatisfactionem, poterit Pœnitentiarius pro ſua prudentia convenientem arbitrari.

4. Advenientes item Romam, ibique ſacra loca viſitantes ad effectum lucrandi Indulgentias in Urbe, cum reincidentia tamen finito tempore viſitationis præſcripto; & ſimiliter revertentes, ac remiſſos ad proprios Judices pro periculo itineris, cum reincidentia itinere confecto Pænit. abſolvere poteſt.

5. Hæreticos pariter occultos, licet intercefferint actus noſcibiles, & ad notitiam deducibiles, dummodo nullus, quem ipſi ſciant, aut credant, notaverit, vel adverterit; publicos vero in foro conſcientiæ tantum, in iis duntaxat caſibus, in quibus neceſſe non eſt complices denunciare, exceptis cenſuris publicis Bullæ Cœnæ, quoad Principes, & Prælatos, quæque ſunt circa electionem Romani Pontificis & contra inquirentes per Aſtrologiam judiciariam de Statu Reip. Chriſt. ſeu vita, & moribus Pontificis, contra publicam violationem Immunitatis, ſeu libertatis Eccleſ. evulgatæ Poteſt. Præterea diſpenſare ſuper quacumque irregularitate, & inhabilitate in occultis, & in foro conſcientiæ tantum excepto homicidio voluntario, vel alio graviſſimo exceſſu in Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis, etiam cum hæreticis, & Apoſtatis a fide, & in publicis cum homicidis, bannitis, aliiſque criminoſis ad effectum ingrediendi Religionem, & cum male promotis in occultis, etiam in caſu Simoniæ cum Epiſcopo commiſſæ.

6. Convalidare pariter titulos in beneficialibus exce-

excepto caſu dilatæ conſecrationis Epiſcopi, & Simoniæ realis ſcienter contractæ, a cujus condonatione abſtinere debebit, prout a compoſitione quoad fructus male perceptos in non occultis, in occultis vero componit, vel condonat, ut Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus: cum reliquis vero, videlicet Italis, Hiſpanis, Luſitanis, & adjacentium Inſularum perſonis, diſcrete procedit in compoſitione, vel condonatione.

7. Remittere itidem poteſt partem aliquam circa onera ſuper male ablatis, ac incertis, muneribus acceptis a Religioſis, ſuper dote cum non Virgine, & cum Virgine ſuper ingreſſu in Monaſterium Convertitarum. Relaxare juramenta, quando non agitur de præjudicio tertii; commutare diſpenſando vota ſimplicia, immò etiam reſervata diſpenſare, commutando horas Canonicas, & alia his ſimilia pietatis opera injungendo.

8. Speciales item habet facultates pro Regular. ſuper irregular. & inhabilitat. tam ex defectu, quam ex delicto, quandocumque perpetrato, & quomodolibet contracta, non tamen habilitandi ad generalatum quando agitur de publico Natalium defectu., etiam in publicis in utroque foro auditis ſuperioribus, & matura circumſpectione, ſuper Apoſtatis, pariter diſpenſandi, ſervata laudabili praxi, quod audito ſuperiore, ſi in Urbe adſit, injungat reditum, & ſuper tranſitum ab uno ad alium Ordinem, non tamen ad eos, in quibus non viget regularis obſervantia, ut plerumque ſunt Hoſpitalares, & Militares, niſi forte ad Ordinem Sancti Joannis de Deo tranſitus poſtuletur; eademque facultate perfruitur, aut ad conſimiles congregationes ſuper ſimili tranſitu Monialium ultra montes, nec non ſupia

pra cenſuris, defectibus, peccatis earumdem, & ſuper publica violatione Clauſuræ, quando intervenit ſupplicatio Epiſcopi, ſeu Ordinarii, & caſus deductus ſit ad Congregationem S. R. E. Cardinalium.

9. Ad hæc in matrimonialibus de contrahendo ſuper impediment. impedien. non tamen dirimen. cognat. carn. vel ſpirit., in contracto tamen abſtinet in primo, & ſecundo etiam occulto; præter quam in ſecundo tantum, ſi per decem annos duraverit, & oratores ſimul publice convixerint, in 3. & 4. occultis contractis item poteſt diſpenſare, & in iiſdem publicis revalidare ex cauſa ſubreptionis, vel obreptionis, præterquam ſi falſitas conſiſtat in narratione præced. copulæ, quæ revera non interceſſerat; revalidatque præterea diſpenſationes Dataria in caſu reticitæ copulæ, & intentionis facilius impetrandi diſpenſ. ſuper affinit. ex copula illicita, ſuper impedimento criminis, non obſtante in prædictis multiplicitate grad. & impediment. nec non prole legitima non tamen in adulterio concepta.

10. Accedunt his facultates, quas pro libito dat minoribus Pœnitentiariis, quos infra innuemus (Cappucinos vero non deputat in iis regionibus, in quibus iidem audiendis Confeſſionibus operam dare non ſolent). Item forum pœnitentiale dubia concernentia declarat, ejuſque commiſſio indiſcriminatim durat etiam ceſſante officio, vel eo impedito, centum pariter dies Indulgentiarum in tactu Virgæ ad ſe pie accedentibus in Hebdomada Sancta, ut dicemus, concedit, habetque exercitium Juriſdictionis ſuæ etiam Sede Vacante, non vero extra Conclave, & abſolvit ab iis etiam cenſuris, a quibus alias vivente Pontifice ei reperitur adempta facultas, cum reinciden-

dentia tamen, niſi adeatur novus Pontifex; eodemque tempore ſimiliter gravi urgente neceſſitate in iis caſibus diſpenſat, in quibus alias diſpenſare non poſſet. Sede autem vacante, in foro externo penitus conquieſcit ejuſdem auctoritas, abſtinetque a quibuſcumque matrimonialibus diſpenſationibus, abſolvit tamen Regulares, præſertim apoſtatas, & fugitivos, & deputat Confeſſarios pro Monialibus, & demum quoad omnes quoad reincidentiam a cenſuris publicis, abſolutionem indulget, præſertim cùm pœnitentes ſibi beneficium abſolutionis ulterius non differri enixe poſtulaverint, ut fuſius in ead.Conſtitutione Benedicti XIV. continetur.

11. Ex hac vero facultatum amplitudine, & diverſitate, plane deſcendit, merito diverſis formulis gratias S. Pœnitentiariæ expediri conſueviſſe, pro caſibus enim occultis, & ſimplicibus abſolutionibus, quæ ad Ordinarios, vel certos Confeſſarios diriguntur, mittuntur eædem clauſulæ ad formam literarum familiarium Sigillo munitæ, & quidem plerumque cum clauſula *:Diſcreto viro Confeſſario Magiſtro in Theologia, vel Decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario per Latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo ſalutem in Domino*, quam ſane clauſulam licet nimis rigide interpretandam eſſe contendat Vaneſpen (*a*), ſupponendo eos literas iſtas exequi non poſſe, qui in aliqua Univerſitate Theologiam, vel Jus Canonicum docent, ſi ad doctoris gradum evecti non fuerint, prout etiam non poſſe per Regulares ad Confeſſiones cæteroquin approbatos has diſpenſationes exerceri, licet in ſuis Ordinibus ad magiſterii gradum promotos, niſi vere in aliqua publica Academia magiſterium acceperint; a pra-

(a) *Juris Eccleſ. Univerſi p. 1. tit. 23.*

Digitized by Google

A praxi tamen, Pœnitentiariæ non eſt recedendum, tum quia Confeſſarii debent ab Ordinariis approbari, unde nulla ſuſpicio fraudis imminet licet Laureati non ſint, tum quia alias Tribunal in animarum ſalutem provide erectum, facile in earum anguſtiam retorqueretur. Prætereundum tamen non eſt, eaſdem obtentas a Pœnitentiaria gratias ad forum internum directas pro ſacramentali tantum Confeſſione ſuffragari, ad differentiam gratiarum, quæ ad forum externum protrahuntur, ut præcipue accidit, quum executiones Ordinariis committuntur, qui Judices publicos præſeferunt, eoque caſu nedum in literis ad eoſdem Ordinarios directis clauſula prætermittitur regulariter a Pœnitentiaria apponi conſueta, *quod in foro judiciario nullatenus ſuffragentur*, verum ulterius eorundem Ordinarorium auctoritas indiſtincte præſervatur, ut conditiones adjiciant, quæ opportuniores videantur, præſertim vero, ut jus tertii fartum, tectumque remaneat; & demum in iiſdem publicis caſibus, tam ad favorem Regularium, quam ſæcularium expediuntur Brevia patentia cum cordula rubra, & ſigillo ex cera ejuſdem coloris incluſo in capſula ovata ſtanno confecta, ut advertit etiam Cardinalis de Luca (*a*).

12. Perperam vero dictus Vaneſpen carpere, & redarguere tentat recentiorem praxim ejuſdem Pœnitentiariæ, ex quo forum internum ab externo diſtinguat, cum cæteroquin antiquitus, & cohærenter ad priſtinam Eccleſiæ diſciplinam forum internum, ut ipſe ait, ab externo non diſtingueretur, nec alio intuitu ſolius fori interni cognitionem recentius Pœnitentiariæ, aſſeruit, reſervatam, quam ut externa negocia ad Datariam ad exigendas pecu-

 nias,

(a) *In relat. Curiæ hoc titulo.*

nias, ut ipſe pariter ait, remittantur; ultraquod enim plures ſunt caſus, in quibus etiam pro foro externo eadem Pœnitentiaria, ut dicebamus, ſe ingerit, abſque Datariæ mixtura, ea ulterius opportune ſunt pro objecti ſolutione reſumenda, quæ ad vindicandos Datariæ ſtylos ſupra congeſſimus. Diximus, indulgentias 100. dierum intra Hebdomadam ſanctam ad eum accedentibus concedere Pœnitentiarium conſueviſſe, ſcitum eſt enim intra eandem Hedomadam ex antiquiſſima, & immemorabili diſciplina ſingulis annis poſt prandium ad tres Urbis Baſilicas Majorem Pœnitentiarium ſeſe conferre, die ſcilicet Dominico Palmarum ad Eccleſiam S. Joannis Lateranenſis, feria 4. ad Baſilicam Liberianam, quinta vero, & ſexta ad S Petrum in Vaticano, ibique ſuper ſolio tribus, vel quatuor gradibus erecto, manu tenendo virgam Pœnitentialem benigne Pœnitentes excipere, eoſque pro caſuum abſolutione ad minores Pœnitentiarios in iiſdem Baſilicis exiſtentes remittere, pro gravioribus autem rebus ad ſuos majores Officiales ibidem pariter præſentes, ut poſtquam iſti rem mature diſcuſſerint, et an gratificandi ſit locus expenderint, ab iiſdem minoribus Pœnitentiariis iidem Pœnitentes abſolvantur, omnibus autem accedentibus, & Pœnitentiali virgæ ab eo detentæ caput humiliter ſubjicientibus 100. dierum indulgentia conceſſa eſt.

13. Majores, & minores Pœnitentiarios nominavimus, cùm enim omnia per ipſum Pœnitentiarium immediate nequeant expleri, duo ſubalternorum Miniſtrorum genera habet, quorum alii Pœnitentiarii Minores, alii Majores vocantur, qui in officio Pœnitentiariæ eumdem coadjuvant. Porro Pœnitentiarii iſti minores in tribus Baſilicis prævio examine,

ab

ab eodem Pœnitentiario deputantur, nimirum in Eccleſia S. Joannis ex Ordine Sancti Franciſci minor: obſervantiæ; In Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris ex Ord. Præd., & in Baſilica Sancti Petri ex Societ. Jeſu, qui quidem omnes eidem Pœnitentiario in iis, quæ munus Pœnitentiariæ reſpiciunt, undique ſubſunt, reſervato jure Prælatorum regularium in iis, quæ regularem diſciplinam attingunt; æqualique jure Pœnitentiario ſubduntur, tam Pœnitentiarii, quos ipſe in alma Domo Lauretana, vel occaſione Jubilæi, vel alia quavis ex cauſſa deputaverit, quam Procuratores, & Scriptores, qui prævio examine ſuper aptitudine ab eodem ſeliguntur; ſpectabiliores vero ſunt officiales eundem Card. Pœnitentiarium adjuvantes, qui, ut innuimus, majores dicuntur, nempe Regens, Datarius, Corrector, duo Conſultores, & Sigillator, qui una cum tribus Procuratoribus, ſeu Secretariis, & tribus Scriptoribus, per Cappellanum Pœnitentiariæ quolibet menſe convocantur; nec dubitari poteſt omnes iſtos Miniſtros officiales cenſeri Sedis Apoſtolicæ, ideoque eorum beneficia, ſi vacant, Sedi Apoſtolicæ reſervantur (a).

14. Primus ſane inter iſtos officiales dicitur Regens, qui eſt unus ex Præſulibus magis qualificatis, & ut plurimum unus ex Auditoribus Rotæ; Is quidem bis in Hebdomada ſupplices libellos a ſe ſignatos inter tres Procuratores, ſeu Secretarios jam nominatos diſtribuit, & opportune decreta Pœnitentiarii vice ſubſcribit, vel cum reſcripto *fiat in forma*, ſi agatur de re facilis expeditionis, vel cum altero *fiat de ſpeciali*, ſi de re agatur diligentius perſcrutanda, vel demum cum formula

 fiat

(a) *Rigant. in Regul. Cancellariæ tom 1. regul. 1. ſ. 4. n. 146.*

ſiat de expreſſo, ſi de re agatur cum Pontifice collata. Ex iiſdem vero Romanæ Curiæ Prælatis eligitur etiam Datarius, cujus officium eſt, in iiſdem ſupplicationibus ſcribere datam diei, menſis, & anni Pontificatus Papæ Regnantis, cum enunciatione Palatii, ubi Pontifex habitet, propriique nominis & cognominis adjectione, vel expreſſione Sedis Vacantis, ſi Sedes Apoſtolica vacet. Acceduntque Corrector, ſeu Reviſor, Canoniſta, ſeu Decretorum Doctor, & Theologus; quorum primus inter Præſules plerumque adſcribitur, alter autem nempe Theologus, eſſe ſolet e Societate Jeſu, & ſicuti ad Correctorem, ſeu Reviſorem ſpectat ſupplicationes a Procuratoribus, ſeu Secretariis exaratas corrigere, & recognoſcere, an juxta Pœnitentiariæ ſtylum, & formulas ſint efformatæ, ita ad alterum ideſt Theologum pertinet in magis arduis caſibus Majorem Pœnitentiarium conſulere. Extatque poſtremo Sigillator inter Præſules quoque cooptatus, qui publicum Pœnitentiariæ Sigillum retinet, & literas ejuſdem Pœnitentiariæ poſt Correctorem ſubſcribit, eaſque Sigillo Pœnitentiariæ obſignatas, & gratis expeditas, Procuratoribus tandem remittit. Quumque in Conſtitutione Sancti Pii V. *incipien. In earum rerum* 17. *Kalen. Junias* 1569. vetera Collegia Scriptorum, ac Procuratorum Pœnitentiariæ ſuppreſſa, ſub novo nomine Scriptorum & Procuratorum minoris gratiæ fuerint ad Pœnitentiariam traducta, ad eumdem Sigillatorem cura pertinet expeditionum, & exactionum, quæ per dicta duo Collegia fieri deberent, nec non complicatio, & aſſervatio regeſtorum Scripturarum ad Pœnitentiariam pertinentium, quod tamen munus a Proſigillatore ſubſtituendo fieri ſolet.

15. Quam-

15. Quamquam autem prædicta munera magis a Papa, quam a majori Pœnitentiario conferantur, a quo dumtaxat præſentantur Rom. Pontifici, non ſic procedit de tribus Secretariis, ſeu Procuratoribus, aut de aliis tribus Scriptoribus, qui vel memorialia conficiunt, vel decreta Pœnitentiariæ juxta ejuſdem ſtylum, ut diximus, ſcribunt. Iſti enim prævio concurſu ab eodem Pœnitentiario immediate eliguntur. Qui vero ulterius praxim deſiderat recurrendi ad Sacram Pœnitentiariam, ejuſque literas intelligendi, & exequendi pro caſibus, quorum abſolutio, aut diſpenſatio ab illa impetratur, adeat Veſtrium (*a*), Cardinalem de Luca (*b*), & Cardinalem Petram (*c*); itidemque legat inſtructionem Parochorum, & Confeſſariorum editam Romæ anno 1689. nec non alias citatum Patrem Unoldum Plettembergium (*d*), qui eandem praxim diligenter exponit. Idem vero Cardinalis Petra mox allegatus peculiarem edidit tractatum *de Pœnitentiaria Apoſtolica* typis editum in Urbe anno 1717. ex typographia Joſephi Nicolai de Martiis, in quo quidem libello diſertiſſime agit de ſuprema Pontificis poteſtate in abſolvendis Fidelibus a peccatis, & cenſuris, nec non de ejuſdem auctoritate in reſervanda ſibi aliquorum caſuum abſolutione, de Pœnitentiariorum item Romanæ Eccleſiæ origine, & progreſſu, de officio S. Pœnitentiariæ, de iis, quæ pertinent ad reliquos ejus officiales de opinionibus ſervandis in Pœnitentiaria, de facultatibus antiquis, ac recentioribus officii ejuſdem S. Pœnitentiariæ, de pluribus pariter ſpectantibus ad facultates M. Pœnitentiarii, atque de

(a) *In hoc tit. n. 5. & ſequen.* (b) *In relat. Curiæ diſc.* 12. (c) *Ad Conſt. Apoſtolicas conſt.* 23. *Sixti IV. tom.* 5. (d) *In relat. Tribunalium Curiæ Rom. cap. 6.*

de minoribus officialibus ſupra explicatis .

16. Cæterum licet tam in Conſtitutione Urbani VIII., quam in noviſſima Innocentii XII. incipien. *Romanus Pontifex* 3. nonas Septembris anno 1690. in Bullario ejuſdem Pontificis in ordine *lu* 12., licet inquam inter alias facultates ex fuerint abolitæ, quæ vivæ vocis oraculo a Pontificibus datæ cenſebantur; nequit tamen in controverſiam revocari, quod ſi forte Pœnitentiarius unam, vel alteram facultatem a Pontifice habuiſſe præter expreſſas aſſereret, ampliſſimam ſibi fidem adſciſceret, nedum quippe id commune eſt ex Juris cenſura cuique qualificato miniſtro, & præſertim Cardinali, ſed diſerte inſuper in eadem Conſtitutione Innocentii XII. præſervatur; idemque repetitur tam in allegata Conſtitutione Benedicti XIV. 95. incipien. *Paſtor bonus* ſupra allegata; quam in altera ejuſdem Pontificis incipien. *In Apoſtolica*, quæ eſt 96. in ejus Bullario tom. 1. ubi de Officialibus hujus Tribunalis fuſius pertractatur.

17. Quum vero inter alias facultates majori Pœnitentiario in enunciata Conſtitutione Benedicti XIV. *Paſtor bonus* 95. attributas, duæ recenſeantur, una nempe permittendi Monialibus tranſitum de uno ad alterum Monaſterium, alteram vero de permittendis matrimoniis, quæ conſcientiæ dicuntur, non incongrue ſuperaddendum arbitramur, utramque facultatem cum ſumma circumſpectione, & cautela adhiberi debere, ut monet idem Benedictus XIV. (*a*). Sane quod ſpectat ad priorem facultatem permittendi tranſitum Monialium de uno ad alterum Monaſterium, quæ conditiones exigendæ ſint, uberius explicabimus in titulo de Congregatione Epiſco-

(a) *In tractatu de Synodo Diœceſana lib.* 13. *cap.* 12.

Epiſcoporum, & Regularium. Quod vero alteram facultatem reſpicit permittendi Matrimonia Conſcientiæ, non aliter id a Tribunali S. Pœnitentiariæ ſolet concedi quam ſervata forma prædictæ Conſtitutionis Benedicti XIV. *Paſtor bonus*.

18. Cæterum edita eſt ab eodem Pontifice in eamdem rem altera Conſtitutio incip. *Satis vobis* 35. tom. 1. ejuſdem Bullarii, ubi ad præcavenda abſurda, & incommoda, quæ ex iiſdem Matrimoniis Conſcientiæ facile oriuntur, utque proles naſcitura rite educetur; & ſive in iis, quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, ſive in probatione legitimorum natalium nullum detrimentum accipiat, quæ cautelæ adhibendæ ſint, opportunis regulis indicatis edicitur. Quamobrem in omnibus hujuſmodi caſibus eadem Conſtitutio, quæ in forma Brevis Epiſtolaris ad omnes Epiſcopos directa eſt, erit religioſe exequenda. Nunc ad Judices Ordinarios Urbis, & Diſtrictus progredi oportet, a Cardinali Vicario exordium facientes.

TITULUS XIV.

De Cardinali Vicario.

DIximus jam in Inſtitutionibus Criminalibus, Vicarium Pontificis ejuſdem Perſonam in ratione Epiſcopi Urbis repræſentare, ideoque in Urbe, & Diſtrictu Ordinaria juriſdictione potiri, & quo ſe extendat criminalis ejus auctoritas, ſatis ibi diſcuſſimus. Quoniam vero ampliſſima etiam iſte perfruitur in Civilibus rebus auctoritate, non incongrue poteſtas iſta Civilis eſt hic attingenda. Non ſolum igitur omnia Urbis negocia, quæ Ec-

cle-

(a) *lib. 1. tit. 6.*

cleſiaſticum forum reſpiciunt, ex vi ordinariæ hujus Juriſdictionis a Vicario expediuntur, ac Perſonarum omnium Eccleſiaſticarum non exemptarum caput Vicarius repræſentat; verum etiam juriſdictionem delegatam a Concilio Tridentino, & ab Apoſtolicis Conſtitutionibus in Eccleſias, & Perſonas exemptas, quam expoſuimus in Inſtitution. Canonicis (*a*), Idem Vicarius libere exercet, exceptis dumtaxat Eccleſiis Patriarchalibus, & uno vel altero Monalium Monaſterio, quæ ex ſpeciali privilegio ab Archipresbyteris, velCardinalibus Protectoribus gubernantur, ut advertit Cardinalis de Luca (*b*).

2. Hinc eo prorſus jure, quo res, & negocia particularium diœceſum Ordinariis earum diriguntur, etiam in Urbe res omnes in ea contingentes a Sede Apoſtolica, & Congregationibus Cardinali Vicario committi conſueverunt; quodque plus eſt, ejus oraculo evulgantur edicta ad injungendam reſidentiam iis, qui cum reſidere debeant in propriisDiœceſibus,in Urbe morantur. Quumque ulterius Pontifex vel Dataria de aptitudine, ac doctrina concurrentium Romæ ad beneficia præſertim Parochialia inſtrui vult, vel ſi ab iis, qui de irrationabili judicioEpiſcoporum conqueruntur,ad Congregationes provocatur, novum examen in Curia coram Vicario, ejuſque Examinatoribus fieri ſolet ex eodem Cardinali de Luca (*c*). Quamvis enim Urbis beneficia ob peculiarem reſervationem Pontificibus, & Datariæ Apoſtolicæ factam Vicarius conferre non poſſit; Concurſus tamen pro Parochialibus ejuſdem Urbis coram ipſo, ejuſque examinato-

(a) *In titulo de Epiſcopis*. (b) *In relat. cur. Rom. diſc.* 13. *num.* 2. (c) *Loco citato*.

Digitized by Google

natoribus debet haberi, eique jus eſt concurrentes prçferre,& Datariæ prçſentare, immo eidem pariter committi ſolet concurſus recognoſcere extraUrbem, &,ut inquiunt, in partibus habitos, antequam Congregationibus Card.exhibeantur,ut ab iis juſte ne, an injuſte recurrentes fuerint ex defectu ſcientiæ a Parochiis per Ordinarios excluſi, judicium proferatur.

3. Habetque ulterius idem Vicarius facultatem ampliſſimam in approbandis Presbyteris tam ſæcularibus, quam regularibus ad confeſſiones, de quo Monacellus (*a*), & Rigantius (*b*); immo etiam extra Urbem ex peculari privilegio, de quo Benedictus XIV. agit (*c*), Capuccinos eligit, approbatque, ut in Pontificiis Triremibus remigum, aliorumque in iis degentium confeſſiones excipiant.

4. Inter cæteras vero præeminentias, quibus idem Cardinalis prçpollet, eſt facultas altera, quæ cæteras ſupereminere videtur, promovendi Clericos non ſolumRomanos,ſed etiam exteros, ipſoſque Orientales,quiRomæ morantur, adeo quidem, ut etiam ſi habeant literas dimiſſorias ſuorum Ordinariorum, nonniſi præeunte licentia Cardinalis Vicarii, & examine in Urbe coram ejus Examinatoribus Synodalibus habendo, valeant ordinibus initiari; qua tamen in re religioſe exequi debet idem Vicarius conſtitutiones Apoſtolicas, ſignanter Clementis VIII. & Alexandri VII. incip. *Apoſtolica*, Urbani VIII. incipien. *A ſecretis*, Innocentii XII.*incipien. Speculatores*, aliaſque per extenſum relatas a D. Romualdo Honorante (*d*).

Tom. IV. P 5. Neque

(a) *Tom. 2. tit. 3. formul. 3. n.* 44. (b) *Tom. 2. in Regul.* 24. *Cancell.* §. 3. (c) *De Synodo Diœceſ. lib.* 1 *cap* 55. (d) *In praxi ſecretariæ Tribunalis ejuſdem Card. edita Romæ anno* 1746.

5. Neque in hac Ordinationum materia prætereundum arbitramur, quod cum P. Hieronymus Andreucci Societatis Jeſu brevem quemdam tractatum edidiſſet anno 1752. de Epiſcopis Cardinalibus Suburbicariis, in quo aſſeruerat, & demonſtraſſe crediderat, poſſe eoſdem Suburbicarios Epiſcopos in Cappellis ſuorum Palatiorum in Urbe ſubditis ſuis Tonſuram, Minoreſque Ordines conferre, non obtenta Cardinalis Vicarii facultate, cumque de hoc a cl. mem. Cardinali Guadagno pro eo, quo Vicariatus jura zelo tuebatur, certior factus fuiſſet Bened. XIV. epiſtolam decretalem ſibi directam obtinuit, qua ex ſolidis fundamentis idem Benedictus XIV. oſtendit, excepta prima Tonſura, alios quoſcumque Ordines ab Epiſcopis Suburbicariis inconſulto Vicario in Palatiis ſuis conferri non poſſe..

6. Inter hæc vero fundamenta principalius eſt decretum Tridentini *Seſſ. 6. cap. 5 de reformat.* ubi literaliter legitur, *Nulli Epiſcopo liceat, cuiuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœceſi explere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia*. Profertur etiam Conſtitutio Alexandri VII. quæ eſt *la* 126. de Epiſcopis Suburbicariis, qui ſuffraganeos non habeant, ubi diſponitur, Clericos pro ordinatione ad Cardinalem Vicarium remittendos; & tandem inconcuſſa adducitur obſervantia, quæ eſt optima legum interpres, vi cujus ab Epiſcopis Suburbicariis licentiam Cardinalis Vicarii requiri perpetuo conſueviſſe ſupponitur, a qua quidem non eſſe recedendum concluditur, ut fuſius videre eſt in eadem Epiſtola Benedicti XIV. edita anno 1755. ex Typographia Camerali.

7. Ex eadem inſuper ordinaria jurisdictione, Vi-

Vicarii deſcendit, quod ne dum etiam Apoſtolica Sede Vacante ejus auctoritas perſeverat, ut obſervat Fagnanus (*a*), verum etiam ex ſpeciali privilegio, quo alii cæteroquin Vicarii Epiſcoporum deſtituuntur, poteſt Diœceſanam Romani Cleri Synodum indicere, & pro libitu congregare, ut conſtat ex decreto relato in conſtitutione Pauli III. 36. §. 10. Bullarii tomo primo, ubi ordinariis facultatibus Cardinalis Vicarii hæc ſuperadditur, *Synodum in Romano Clero pro correctione malorum morum, & pro neceſſitate in Clero occurente, ubi, & quando libuerit celebrandi, congregandi &c.* licet nunquam, aut perraro eadem Synodus congregetur, cùm præſentia Pontificis, & Congregationum Card. vigilantia, opportune illa præcaveantur abſurda, quæ Synodorum convocationem efflagitant, ut notavit Benedictus XIV. (*b*).

8. Varios autem habet idem Vicarius miniſtros, ut expeditius negocia omnia abſolvere poſſit, præſertim vero Prælatos duos, unum in Epiſcopali ordine conſtitutum, ut eo abſente, vel impedito Clericorum ordinationes habeantur, qui Viceſgerens dicitur, alterum vero J. C., & in legali materia verſatum, qui Locumtenens ejuſdem Vicarii vocatur, a quo quidem cauſſæ contentioſæ definiuntur; quibus accedit Togatus Criminaliſta pro cauſſis Criminalibus, qui Locumtenens Criminalis communiter dicitur; a quibus tamen omnibus ad eundem Card. Vicarium in caſu gravaminis rite provocatur. Olim quidem ex Conſtitutione Pauli III. jus quoque erat Vicario viſitandi Eccleſias Urbis, earumque miniſtros mutandi; inſtituta tamen deinde eſt Congregatio

 Viſi-

(*a*) *In cap cum olim num. 69. de majoritate, & obed.*
(*b*) *De Synodo Diœceſana lib. 7. cap. 3.*

Viſitationis, de qua alibi agemus, ex Card., & Præſulibus conſtituta, cujus exequutores ſunt idem Vicarius, & Viceſgerens. Neque eſt prætereundum præeſſe etiam eundem Vicarium Congregationi, quæ Præfectorum dicitur, eorum ſcilicet, qui bonæ diſciplinæ Urbis præficiuntur, quæ quidem ex miniſtris ejuſdem Vicarii, & ex vigintiquatuor Parochis conſtat.

9. Diximus ſupra, a Locumtenente Civili *cauſſas contentioſas definiri*, nam vigore Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſignanter vero Pii IV. (a quo Vicariatus officium Cardinalium Collegio fuit unitum, & incorporatum, licet antiquitus etiam Prælati ſimplices, & quandoque etiam Regulares ad Vicarii munus aſſumerentur) procedere ſolet Cardinalis Vicarius, ſive per ſe, & immediate, ſive mediate, vel ope Viceſgerentis, vel Locumtenentis, vel utriuſque, in omnibus cauſſis, ſummariis ſcilicet, exequutivis, & Ordinariis ad inſtar Tribunalis A. C. omnium locorum piorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, atque indiſtincte quandocumque Eccleſiarum, & Clericorum mixtura concurrit, ita tamen, ut ſi pretium, ſeu valor rei in cauſſam deductæ ſummam Scutorum vigintiquinque forſan excedat, & controverſia ſit inter Laicos, poſſit æquo jure cauſſas eorumdem Laicorum abſolvere, eamque ſummam, ſi res in cauſſam deducta non attigerit, eo ſolum caſu poſſit a Vicario cognoſci, quo, ut diximus, Clericorum, vel Eccleſiarum mixtura concurrat.

10. Eodemque prorſus modo, quo coram A. C. cauſſas agitari infra notabimus, nimirum in caſu gravaminis recurri ab A. C. ad Auditorem Cameræ met, vel ad Signaturam, juxta quantitatem, ſeu valorem rerum controverſarum; ita in caſu gravaminis a Locum-

cumtenente, vel Viceſgerente Cardinalis Vicarii, vel ad eundem Vicarium met, vel ad Signaturam poterit provocari.

11. Quamvis autem aliæ Conſtitutiones favore Cardinalis Vicarii, ejuſque Tribunalis ſuperacceſſerint, ampliorque olim extiterit in foro etiam contentioſo ejuſdem auctoritas; immo vigore Conſtitutionis Clementis X. editæ die 12. Auguſti 1671. quam confirmavit Benedictus XIII. Conſtitutione edita 16. Kalendas Septembris 1724., & Clemens XII. Conſtitutione edita anno 1735., cumulativa conceſſa fuerit eidem Vicario cum omnibus Judicibus ordinariis Urbis poteſtas ac juriſdictio in cauſſis etiam Civilibus, & Criminalibus, necnon in cauſſis Laicalibus, & prophanis: a Benedcto tamen XIV. Conſtitutione incipien. *Quantum* 44. *edita* 15. *Kalendas Marti* 1741. *tom.* 1. fuit eadem revocata, & facultates Vicarii ad eum ſtatum fuerunt redactæ, in quo erant ante reformationem Pauli V., idemque cautum eſt ab eodem Pontifice Benedicto XIV. in altera Conſtitutione incipien. *Romanæ Curiæ, edita die* 21. *Decembris* 1745., *quæ eſt* 15. *eod. tom.* 1. *Bullarii*, de qua uberior infra ſermo redibit.

12. Utraque autem Conſtitutione decernitur privativa juriſdictio Vicarii circa contractus initos etiam in forma Cameræ, quoad loca pia, & perſonas Eccleſiaſticas Urbis; item ſuper matrimoniis, & ſuper inſtitutione beneficii, in cauſis contra Clericos Romanos, & contra loca pia cumulativa cum ſolo Tribun. A C., & locus præventioni decernitur. Si vero ipſi Clerici conveniant, nulla juriſdictio, niſi de paciſcentium expreſſo conſenſu, ſtabilitur; Privativa item tribuitur facultas interpo-

ponendi decreta in contractibus Regularium ; Cauſſas vero mercedis, & ſummam 25. Scutorum non excedentes judicari poſſe decernitur tum a Gubernatore, tum a Vicario, etiamſi ſit obligatio Cameralis; eundemque demum Vicarium admittere poſſe ære alieno gravatos ad Beneficium Cap. *Odoardus de ſolationibus*, in iiſdem Conſtitutionibus ſtabilitur, aliaque opportune ſuperadduntur.

13. Præſcindendo autem ab enunciatis facultatibus, præſertim in dicta Conſtitutione *Quantum* Cardinali Vicario attributis, & in Conſtitutione altera *Romanæ Curiæ* renovatis, reliquæ omnes, quæ vigore antiquarum Conſtitutionum eidem Vicario competebant, fuerunt a Benedicto XIV. in iiſdem duabus Conſtitutionibus abolitæ, & revocatæ, idque cohærenter ad Conſtitutionem alteram Innocentii XII. incipien *Romanus Pontifex*, quæ per extenſum in citata Conſtitutione *Quantum* Benedicti XIV. repetitur, & confirmatur. Inter has vero antiquiores facultates principem ea locum obtinebat, qua Neophytorum cauſſæ privative coram eodem Cardinali Vicario cognoſcebantur. Quamvis autem rationabile videretur hoc privilegium, ne ſcilicet recens ad Fidem converſi, eorumque filii per varia Tribunalium ſubſellia divagarentur, & a propriis occupationibus, quibus victum quærere ſæpe cogebantur, diſtraherentur, nec incongruum etiam videretur, hujuſmodi privilegio alios etiam ad Fidem allicere, eo prorſus modo, quo aliis etiam juribus hujuſmodi Neophyti fuerunt a Sancta Sede decorati; cùm tamen ſenſim, & ſine ſenſu privativa hac jurisdictione Cardinali Vicario conceſſa iidem abuterentur, tam in dicta Conſtitutione *Romanus* ab Innocentio XII., quam in alia *Quantum* a Benedi-

cto

ᴄto XIV. Judicibus ordinariis cauſſæ omnes Neophytorum fuerunt attributæ, ſublato privativo jure, quo Cardinalis Vicarius in illis olim perfruebatur.

14. Diximus, aliis etiam privilegiis Neophytos fuiſſe decoratos; firmum quippe, & conſtantiſſimum eſt, recens adFidem converſos exConſtitutione Pauli III. incipien. *Cupientes*, quæ eſt in Bullario 32. confirmata, & ampliata a Clemente XI. in conſtitutione incipien. *Propagandæ*, cives evadere illius urbis, in qua Baptiſmum accepere, unde Rota Romana (*a*) aſſeruit, eoſdem Nobiles etiam fieri, ſi poſt Baptiſmum, viles mechanicaſque artes non exercuerint, ut notarunt etiam Tonellus (*b*), Seſſa de Judæis(*c*), aliique; certumque inſuper eſt eoſdem ad Eccleſiaſticum ſtatum aſſumptos ad quælibet beneficia habiles eſſe, ut poſt decretalemAlexandriIII. *in cap. Eam te, de reſcriptis*, advertunt Lambertin. (*d*), & Rota (*e*); Itemque ſi regularem ſtatum aſſumant, ad quaslibet dignitates idoneos reputari, ut referendo Conſtitutiones S.Pii V. incipien. *Paſtoralis*, & Gregorii XIII. incipien. *Muneris noſtri* notarunt Confectus (*f*), & Laurentius Peyrinus (*g*); Quibus accedit privilegium exemptionis a patria poteſtate, & conſequutionis paternæ hæreditatis, ſi Chriſtianam Religionem aſſumpſerint (*h*), quod retulimus in noſtris Inſtitutionibus Canonicis (*i*). Nemo autem, qui in jure Canonico non ſit undequaque jejunus, affirmabit, ex adempto jure privativo cau-

(*a*) *Deciſione* 220. *parte* 3. *recent. n.* 3. (*b*) *Manuduct. fidel. ad fidem.* (*c*) *Cap.*21.*pag.* 69. (*d*) *De jurepatronatus parte* 1. *lib.*2. *quaſt.* 7. *articul.* 14. *n.* 7. (*e*) *Deciſ.* 307. *n* 1. *parte* 4. *recent. tom.*1. (*f*) *In libro privileg. ſacr. Ord. Mendicant. & non mendicant. pag.* 208. (*g*) *lib.* 2. *titulo* 3. *n.*81. (*h*) *pag.*291. (*i*) *in tit. de Baptiſmo.*

cauſarum ad Neophytos pertinentium, quo Cardinalis Vicarius fruebatur, hæc pariter, aliaque hujuſmodi privilegia revocata fuiſſe, quum exploratiſſimum ſit juris noſtri principium, privilegia eſſe ſtrictiſſimi juris, & ex ablatione unius, alterum non intelligi revocatum. Idque pari jure erit affirmandum de favoribus, & præeminentiis, aliis quoque Collegiis, vel perſonarum cœtibus attributis; quamvis enim vigore citatæ Conſtitutionis Innocentianæ, & Benedictinæ fuerint ablatæ a Card. Vicario, vel a Cardinalibus Protectoribus facultates eorum cauſſas cognoſcendi, atque omnia ex integro ad Judices ordinarios fuerint remiſſa, ſi quæ tamen privilegia, & jura ipſis fuerunt a Sancta Sede attributa, nec expreſſe, & literaliter revocata leguntur, in ſuo robore manent. Uberiora vero de Card. Vicario profert citatus Cohell. (*a*). Nunc ad Auditorem Cameræ, qui alter eſt, & quidem præcipuus Romanæ Curiæ Judex, operæ pretium eſt, deſcendamus.

TITULUS XV.

De Auditore Cameræ.

Quemadmodum diximus ſupra exemplo Epiſcoporum ultra Archipresbyterum (*b*), qui eſt Cardinalis Vicarius, vel, ut alii malunt, Pœnitentiarius, Archidiaconum quoque Romanos Pontifices in repræſentantia Epiſcopi Urbis aſſumere conſueviſſe, & Camerarium in locum Archidiaconi ſuſcepiſſe, ideoque ad illum antiquitus privative ſpectaſſe cognitionem cauſſarum Forenſium, & con.

(*a*) *In not. Cardinal. cap.* 55. (*b*) *in titulo de Card. Camerario.*

& contentioſarum, quas Summus Pontifex per ſe gravioribus curis præpeditus, aut ope Cardinalium diſcutere, & definire nequibat; Ita ſane cum ſimilis ratio multitudinis curarum, & negociorum eundem Camerarium a cauſſarum earumdem diſcuſſione retraheret, primum quidem Auditorem propria auctoritate aſſumere cœpit, deinde verò deſignari is, & eligi a Pontifice conſuevit ex ſpectabiliſſimo Clericorum Cameræ cœtu, qui olim ſeptem, nunc ad duodecim extenſi ſunt, cui quidem cauſarum earundem Forenſium trutina fuit univerſim demandata, ut advertit inter alios ſæpe laudatus Cardinalis De Luca (*a*).

2. Ex ſumma verò hujus muneris amplitudine, atque præſtantia, nedum Clericus ille, cui talis provincia concreditur, unus eſt ex Prælatis purpuræ proximis, verum etiam, excepto Gubernatore, qui munere Vice Camerarii fungitur, omnes alios Prælatos, ipſoſque Patriarchas præcedit, quorum omnium Judex competens dicitur; cum vero ob negociorum frequentiam, atque farraginem, Auditor iſte omnia per ſe ipſum recognoſcere, & expedire nequeat, tres Locumtenentes, duo ſcilicet Civiles ex Prælatorum albo, & unus Criminalis Togatus à Pontifice pro ejus levamine deputantur, quorum alteruter, quoties alicujus cauſſæ ex partium conſenſu judicium alter incœperit, in alterius materiis ſe ingerere nequit, nec poteſt re non integra a partibus recuſari. Noviſſima verò Conſtitut. Pont. Benedicti XIV duo ſuperadditi ſunt pro criminalibus cauſis Aſſeſſores, iiſdemque gradibus, & honoribus perfruuntur, quibus Ponentes Conſultæ perfrui ſolent, ut fuſius advertimus in Inſtitutionibus Crimi-

(a) *Diſcurſu 34. in relat. Curia Romana.*

nalibus (*a*), ubi criminalem hujus Præſulis auctoritatem expoſuimus. Acceduntque tandem ultra domeſticum, propriumque Auditorem, quinque Notarii, qui in præclariſſimo hoc munere Auditoris Cameræ congregationem componunt, ex conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſignanter Pii IV. conſtitutione 74., ut advertit Ridolphin. (*b*), & præventivè notaverat Gravat. ad Veſtrium (*c*).

3. Eo autem jure, quo Pontifex ipſe non ſolas Urbis, & Diſtrictus cauſſas, ſed totius Orbis poteſt cognoſcere, ſimili privilegio Auditor Cameræ, quaſi ejus Vicarius decoratur, unde ex duplici gladio, ſpirituali nempe, & temporali, quem à Chriſto Domino Pontifex habuit, temporalem quidem pro Urbe, & Diſtrictu Gubernatori datum, de quo infra; Spiritualem vero pro toto Orbe Auditori Cameræ concreditum affirmat citatus Veſtrius (*d*).

4. Diximus, Spiritualem gladium pro toto Orbe Auditori Cameræ fuiſſe concreditum, unde ratione iſtius poteſtatis, & juris, quo Pontifex ipſe in gradu ſaltem appellationis cauſſas omnes cognoſcere poſſet, & gravamina partibus illata reparare, ad eundem Auditorem Cameræ ſententiæ aliorum Judicum totius Orbis devolvuntur. Præſertim quia ſi olim communis Patria Roma dicebatur (*e*), multò magis id eſt affirmandum translato in Summos Pontifices Imperio, vi cujus translationis Romana urbs Orbis magiſtra peculiari quodam Elogio deſignatur

(*a*) *Sub hoc titulo.* (*b*) *in praxi p. 1. cap. 1. n. 19., & 20.* (*c*) *Lib. 2. c. 23.* (*d*) *Libro 2. cap. 4.* (*e*) *ad textum in leg Roma ff. ad municip. leg. 2. Cod. de muneribus, & honoribus, l. 10. leg. in orbe ff. de ſtatu hominum.*

tur (*a*), ut variis SS. Patrum teſtimoniis oſtendunt Baron. Raynaldus (*b*), & Coriolanus (*c*).

5. Æquali autem jure idem Auditor ſe ingerit in contractibus obligatione Camerali munitis, abſque ullo perſonarum etiam Cardinalitia dignitate fulgentium diſcrimine, ex conſtitutione 3. Pii 4. §. 7. & Pauli V. conſtitutione 28. §. 9., in quibus etiam in prima inſtantia manus apponit; prout ex eodem principio cognoſcit cauſſas mercatorum, campſorum, annuarumque penſionum,ubilibet ſint perſolvendæ, earumque omnium obligationum, ad quas partes juramento ſeſe obligaverint; quibus accedunt cauſſæ privilegiatæ, vel virtute *legis unicæ Cod. quando Imperator inter pupillos, & Viduas &c.*, vel quandocumque alterum quodvis privilegium concurrat, ut accidit in familiaribus Papæ, & Curialibus, qui ad formam vulgatæ Conſtitutionis Eugenianæ, de qua latiſſime agit Sabellius (*d*),etiamſi actores ſint,poſſunt reos coram A C. convenire; In quibus omnibus Cauſſis, prout etiam in appellationibus ad eum interpoſitis (Vicario,Gubernatore, & Senatore unice exceptis) cum inhibitiones, & monitoria in introductione cauſſarum, deindè verò Remiſſorias, & Compulſoriales in earumdem cauſſarum proſequutione, itemque pœnas cenſurarum contra tranſgreſſores promulget, atque ad partes remittat, a quibus quidem cenſuris excepto mortis articulo ſolus ipſe abſolvere poteſt ex prædicta Conſtitutione Pauli V., meritò eum Veſtrius (*e*) omnium cenſurarum Vulcanum, & fulminatorem appellat. Q 2 6. Ut

(*a*) *In cap 2. de ſumma Trinit. Cap. antiqua 23. de Privileg. cap. licet,de Foro competente.* (*b*) *in corona aurea Onomaſtici Pontificii verbo Mater.* (*c*) *In ſumma Conciliorum prælud. 9. Coroll. 2.* (*d*) *in Indice materiarum verbo Eugeniana,* (*e*) *Libro 2. cap.4.*

6. Ut autem, quo ſe extendant, & intra quos limites facultates A. C. ejuſque Locumtenentium in civilibus circumſcribantur, facilius percipiatur, tria oportet diſtinguantur cauſſarum genera, quæ intelligentiæ juriſdictionis hujus Judicis planam, obviamque viam aperiunt. Vel igitur cauſſæ ſunt exequutivæ, vel ſummariæ, vel ordinariæ. Exequutivæ ſunt, quæ obligatione Camerali, ſeu pacto aliquo promptam, expeditamque executionem habente roborantur, quæ quidem dicuntur executivæ de facto ad differentiam aliarum, quæ executivæ de jure dici conſueverunt, ut ſunt cauſſæ mercedum, alimentorum, proviſionum, penſionum, ſalariorum, aliarumque rerum ſimilium, quæ meritò executivæ de jure, ut innuimus, nuncupantur, quia quamvis obligatione Camerali in aliquo ſaltem caſu munitæ non ſint, ſunt tamen ex cenſura juris quantocyus, & celeriter expediendæ. Ad ſecundam ulterius cauſſarum claſſem reducuntur cauſſæ poſſeſſoriæ; cumque poſſeſſio, ut in Inſtitutionibus civilibus advertebamus (a), vel ſit retinenda, vel ſit acquirenda, vel ſit recuperanda, meritò hinc hujuſmodi cauſſæ, & judicia, quæ inde reſultant, vel ſunt manutentionis, ſeu poſſeſſionis retinendæ, vel ſunt reintegrationis, ſeu recuperationis, & poſſeſſioni recuperandæ reſpondent. Tertia demum ſpecies cauſſarum illas complectitur, in quibus magis de titulo, & jure, quam de poſſeſſione tractatur, nec aut Cameralis obligatio, aut ullum pactum executivum illis inhæret.

7. Quamquam verò ampliſſima ſit jurisdictio Auditoris Cameræ, ejuſque Locumtenentium in cauſſis, & negociis enunciatis, citationeſque omnes, in-

(a) *In tit. de Interdictis.*

inhibitiones, & proviſiones deſuper editas impedientes graviſſimis pœnis ſubjiciantur in conſtitutione Benedicti XIV. *incipien. Paſtoralis* edita die 30. Martii 1742., *quæ eſt* 47. Bull. ejuſdem Pontificis *tom.I.* non eò tamen ſe extendit, ut in cauſis Cameralibus utriuſque Fiſci ſe ingerere poſſit, aut in illis aliis, quæ apud privativos alteros Judices non ſuppreſſos in Conſtitutione Innocentii XII. incipien. *Romanus Pontifex*, atque in confirmatoria Benedicti XIV. incipien. *Quantum*, edita quintodecimo Kalendas Martii 1741., quæ eſt 44.tom.I. ejuſdem Bullarii, ſunt cognoſcendæ, prout etiam æquali jure impedire nequit A. C. Epiſcopos in executione Concilii Tridentini, juxta conſtitutionem 113. S. Pii V. amplioremque alteram Benedicti XIV. incipien. *Romanæ Curiae præſtantiam* editam duodecimo Kalendas Januarii 1744. confirmatoriam alterius incipien. *Ad militantis* editæ 3. Kalendas Aprilis anno 1742. cujus titulus eſt *de appellat. & inhibit. conced. vel negand.* quarum prima eſt *la* 115., altera vero in ordine *la* 48. utraque tomo 1. *Bullarii*.

8. Inhibitiones porrò, & Monitoria hujus Auditoris cum extra ditionem Pontificiam mittuntur, in pergameno expediri conſueverunt; cum manifeſta tamen veritatis injuria Brevia Apoſtolica inde ab aliquibus appellantur; multoque injuſtius Agentes, & Expeditores ampliorem ſummam unius ſcuti, quæ pro unoquoque monitorio perſolvitur, ſi extra Statum Eccleſiaſticum tranſmittatur, exigere ſolent; atque injuſtiſſimè tandem Ordinarii, aliique Præſules, ad quos eadem monitoria mittuntur, exiſtimant, ſæpe per ea Judices, & Delegatos conſtitui, ideoque formalem cauſſarum cognitionem aſſumunt, cum

cum de cætero nonniſi citationem contineant, cujus vigore cauſſa eſt ad Urbem deferenda.

9. Habet verò Auditor Cameræ, ut præmiſimus, quinque Notarios, quorum munus eſt, non ſolum alternatim quotidie ante, & poſt meridiem, feſtis diebus exceptis, Locumtenentibus adſiſtere, & decreta ab iiſdem, auditis partibus, & Procuratoribus præſentibus, edita deſcribere, verum etiam juxta opportunitatem citationes typis Cameralibus impreſſas (quæ vulgò citationes Camerales appellantur) ad partes transmittendas iiſdem Procuratoribus tradere.

10. Cum autem Benedictus XIV. aliàs decreviſſet, nullam inhibendi vim eaſdem Citationes habere, niſi a Judicibus Romanæ Curiæ ſubſcriberentur; maturiori tamen examine re perpenſa ad formam antiquæ conſuetudinis eaſdem citationes etiam non ſubſcriptas inhibere debere decrevit in d Conſtitut. incipien. *Romanæ Curiæ præſtantiam*, quæ eſt, ut diximus, *la* 115. *tom.I.* Bullarii, cum limitationibus tamen, & clauſulis in eadem Conſtitutione diſertius, & cumulatius expoſitis.

11. Quoniam verò diximus, in tres claſſes judicia omnia diſtribui, ſeu triplex cauſſarum genus reperiri, executivas ſcilicet, ſummarias, & ordinarias, non abs re profectò erit, ut quæ generaliter ſervanda ſint pro unoquoque ex iſtis Judiciis, quove ordine, ſeu methodo cauſſæ ſint inchoandæ, & proſequendæ, videamus.

12. Tres porro nullitates, pro unoquoque ex enunciatis judiciis occurrere poſſunt, quarum prima circa Juriſdictionis defectum, altera citationum, tertia circa Procuratorem, & defectum ejus mandati dirigitur, atque verſatur, ideoque illud

ge-

generatim eſt advertendum, quod citatio, ſeu vocatio Rei ad judicium in quovis actu Judiciali coram Judice competente habeatur; quamviſque Mandatum Procuræ regulariter præſumatur, & niſi alter ex Collitigantibus illud expoſtulet, neceſſe non ſit illud exhibere: ſi tamen contra infantes, & pupillos, qui legitimam non habent perſonam ſtandi in Judicio, nec poſſunt Procuratores deputare, lis fuerit inſtituta, ut judicium legitimum ſit, nullamque exceptionem nullitatis patiatur, citandi erunt proximiores Conſanguinei ad declarandum, an velint eſſe Tutores, & Curatores pupilli, ſin minus, pro deputatione actoris ad lites per quatuor conſimiles citationes inſtabitur; quam quidem declarationem, ſi Conſanguinei proximiores non fecerint, nec actorem ad litem elegerint, Judex eum ex officio deputabit, qui deputatus cum fuerit, tamquam reus convenietur. Quod ſi iidem pupilli, vel aliæ quævis perſonæ ætate majores pro debitis, aliiſque cauſſis conveniantur, quas actor cum eorum defunctis habere prætendat, nec ex alia parte qualitas hæreditaria, quæ neceſſaria omnino eſt in hoc caſu, probari aliquomodo poſſit; prætenſus hæres erit citandus ad declarandum, an ſit, vel velit eſſe hæres, alias quater coram Judice poſtulabitur, ut hæreditati jacenti curatorem aſſignet.

13. Quod ſi hæres de qualitate hæreditaria docuerit, vel de illa aliunde conſtiterit, citabitur hæres ad docendum ſe adiviſſe hæreditatem cum beneficio Legis, & Inventarii, & de bonis in inventario deſcriptis rationem reddidiſſe, alias concedi mandatum executivum etiam contra perſonam, & bona propria. Judex vero quindecim diebus

bus ad exhibendum inventarium præſcriptis, eo non exhibito, Exequatur etiam contra perſonam, ac bona propria expediet, prout e converſo ſi idem Inventarium fuerit in actis productum, eodem producto, atque legaliter recognito, Exequatur ſuſpendet, donec, & quouſque ab hærede ratio reddatur, eaque reddita ſupra bona hæreditaria mandatum erit exequendum.

14. Propius vero nunc, & practice ad prædict. cauſſas accedendo judicium ſane in cauſſis executivis, ſive cauſſa ſit appellabilis, cujuſmodi eſt, ſi ſumma, de qua diſceptatur, in Diſtrictu ſcuta 50., extra Diſtrictum vero ſcuta centum exceſſerit; ſive ſit recurribilis, quoties ſcilicet prædictam ſummam minimè excedat, a citatione, quæ dicitur contra jura, inchoatur, cujus formula habetur ap. Ridolphin. (*a*); quod unice limitatur, ubicumque petenda eſt executio Inſtrumenti rogati a Notario per cujus acta proceditur, tunc enim ſat eſt judicium incipere citando ſolummodo ad ſolvendum ad formam Inſtrumenti rogati a Cauſæ Notario.

15. Ad ſubmovenda tamen æquivoca eſt opportune notandum, quod ſi reus ſit extra Curiam, non a citatione contra jura, neque a citatione ad ſolvendum, ſed per citationem Cameralem, de qua inferius tractabitur, Judicium eſt inſtruendum. Quodcumque autem Judicium poteſt inſtitui, aut coram ipſo A. C. & dicitur in capite Citationis *A C. met*, aut coram altero ex duobus Locumtenentibus, & loco illius verbi *met* in capite citationis cognomen ipſius Locumtenentis apponitur, v. gr. *A. C. Simonetto*, vel *A. C. Zeludo*, dictaque citatio contra jura (quod de aliis etiam citationibus

(a) *In prax. cap. 2. n. 10.*

Digitized by Google

bus eſt intelligendum) data uni ex Papæ Curſoribus qui illam exequitur in domo partis adverſæ, dimiſſa copia, & facta prius per eundem curſorem relatione de executione, veniente prima die juridica in actis reproducitur, eademque die fit productio, & repetitio jurium in Broliardo, de cujus productione Ridolphin. (a) ampliſſime loquitur.

16. Sed in Scripturis, quæ producuntur, eſt diſtinguendum; Aut enim ſunt illæ manu debitoris ſubſcriptæ abſque recognitione Notarii, quæ Apocæ privatæ nuncupantur; eoque caſu poſt dictam citationem contra jura, & productionem, citatur Debitor Adverſarius ad recognoſcendam manum in juribus poſitam, alias videndum pronunciari pro recognita (b), executa vero & reproducta citatione, obtinetur decretum, eoque intra terminum intimato ad ulteriora proceditur; ut autem terminus currat in decreto aſſignatus, decretumque executioni mandetur, neceſſe eſt, niſi decretum cum præſentia partis edatur, ut intimatio fuerit legitime executa (c); aut pars manum ſuam ingenue fatetur, ſeu fuit ſcriptura a Notario recognita, & proceditur ad ulteriora citando ad ſolvendum; & quidem ſive taceat, & acquieſcat ſive mordicus neget, eo tamen diſcrimine, quod aut tacet?, & pariter vigore d. decreti, elapſa prima die juridica poſt executam intimationem ad ulteriora proceditur, aut negat intrepide mediante juramento?, & tunc per teſtes, qui medio juramento deponant manum in Apoca exiſtentem vere fuiſſe illius, qui ſubſcriptus apparet, recognoſcere eamdem ſcripturam neceſſe eſt, deficientibus autem teſtibus per peritos Scriptores ſolet manus re-

(a) *Parte* 1. *cap.* 2. *n.* 11. (b) *Ridolph. in prax. d. part. cap.* 2. *n.* 35. (c) *Rota deciſ.* 124. *n.* 23.

cognoſci, & caracteris identitas, licet experimentum ſit undique periculoſum, comprobatur, eaque altero ex dictis modis recognita ut diximus, in judicio ad ulteriora proceditur.

17. Si vero computa laboreriorum, mercedum, functionum, & hujuſmodi ad examen reducantur, ad horum ſane liquidationem habendam, poſt productionem computorum in termino dictæ citationis contra jura, oportet citare ad videndum mandari eligi peritum ad effectum taxandi eadem computa in judicium deducta, ad eundemque effectum dandam notam, quam liſtam appellant, alias ex officio deputari. Judex autem dari liſtam Peritorum decernit, ideoque intimatur, qualiter Illuſtriſſimus Dominus mandavit dari liſtam Peritorum, ideo ad dandam nam &c. alias deputari ex officio, & in decreto deputatur Peritus, quo deputato citatur ad informandum N. peritum ab Illuſtriſſimo Domino electum die &c. nec non mandari referri, editoque decreto a Judice, quo mandat referri, intimatur qualiter Illuſtriſſimus Dominus mandavit referri, & reproducta dicta intimatione in actis, factaque per Peritum electum relatione in calce computi, ac in actis emiſſa, intimatur qualiter peritus retulit, injunctumque munus implevit.

18. Facta igitur citatione contra jura, ac productione cum aliis præparatoriis ad validitatem Judicii ſupra relatis, citatur Debitor Adverſarius ad ſolvendam ſummam debitam ad formam jurium, de quibus in actis, quæ quidem citatio ad ſolvendum poteſt adjungi in intimatione, qualiter Peritus retulit, quoties de mercedibus a Peritis liquidandis agatur, ideoque citatur idem ad ſolvendum ad formam Peritiæ: Executa vero, & reproducta d. citatio-

tatione, obtinetur decretum, eoque intimato, elapſa prima die juridica poſt executam d. intimationem, ſi nihil ex adverſo oppoſitum fuerit, reproducta in actis intimatione, expeditur mandatum, & executo *oſtendatur*, quod in dictis mandatis, ſi ſint in Curia, ſecus ſi extra Curiam, ſcilicet extra Urbem, ſolet apponi his præciſis verbis = *oſtendatur* per tres, aut duos dies ante =; dictis duobus, aut tribus diebus elapſis, ad executionem d. mandati, de qua inferius, tandem proceditur.

19. Hoc autem raro, immo fere nunquam contingit, ſæpe enim, aut ex inopia debitoris, aut ex aliis rationibus, plures oppoſitiones, ſeu exceptiones ad dilationes habendas proferuntur, atque inter iſtas quidem primum locum regulariter obtinet, ſeu in ipſo Judicii limine apponitur in actis juxta recentiorem praxim = nihil fieri, niſi ſervatis ſervandis &c. de qua Ridolphin. (*a*). Qua ſtante proteſtatione, debet actor omnia in eadem contenta accuratiſſime implere, & ſi forſan oppoſitum fuerit mandatum Procuræ, juramentum calumniæ, electio domicilii, & hujuſmodi, producat oportet Mandatum Procuræ, juret de Calumnia, eligat domicilium, atque ita adimpletis omnibus ex adverſo proteſtatio indicitur, ſive intimatur Reo, proteſtata eadem, fuiſſe adimpleta, ideoque citatur idem ad videndum procedi ad ulteriora in expeditione mandati, cui ſi nihil relevans opponatur, obtinetur decretum, illudque ſi pars præſens non adfuerit, denunciatur.

20. Opponi itidem poſſunt omnes aliæ exceptiones quomodolibet competentes, præcipue vero præſcri-

(a) *In prax. part.* 1. *cap.* 8. *n.* 6. *& ſeq.*

ſcriptionis,præſumptę ſatisfactionis,falſitatis ſolutionis, aliæque his ſimiles; ſi vero actor, pendente ſuperſeſſoria, ſeu dilatione a Judice conceſſa, mandatum exequi fecerit, cum attentatorum, ſpretæque majeſtatis Judicis inhibentis reus evaſerit, citatur ad videndum purgari attentata in ſpretum inhibitionis commiſſa cum omnibus inde ſequutis in expenſis condemnari, obtentoque decreto non poterit actor audiri niſi refectis expenſis.

21. Quoties vero conventio, ſolutio, aut alia ſimilis exceptio per ſcripturas probari non poſſit, ad alia probationum genera erit recurrendum, ideoque ſi exceptio verſetur in facto proprii Adverſarii, aut de quo ipſe eſt undique inſtructus, poterunt fieri poſitiones, ſeu articuli, & Adverſarius ad reſpondendum illis adſtringitur mediante citatione ad dicendum contra poſitiones, videndum illas admitti, & concedi monitorium ad reſpondendum, alias pronunciari pro admiſſis; & ſi Judex poſitionibus acquieſcat, productis iiſdem in actis cum ſpeciali mandato Procuræ ad illas producendas, in termino citationis ad dicendum contra poſitiones citabitur, de quarum forma Ridolphin. (*a*); incumbitque onus reſpondendi, aut in margine poſitionum productarum notare reſponſa, aut accepta earundem poſitionum copia in ea reſponſiones debet emittere cum mandato Procuræ ad illas producendas, & deinde poſitionibus fuiſſe reſponſum intimatur, ideoque procedi ad ulteriora in expeditione, ſeu executione mandati, & quoties ex dictis reſponſionibus nil contrarium reſpondenti reſultet, decretum obtinebitur.

22. Cum autem Reus contrariam ſententiam, ſeu decretum definitivum, aut illius vim habens, fuerit

(a) *In prax part. 1. cap. 10. n. 6.*

rit paſſus, non obſtante alia relevante exceptione forſan obiecta a Judice non admiſſa, aut cauſſa eſt recurribilis, aut appellabilis; ſi recurribilis, Succumbens poterit citare coram Auditore Cameræ met, notando in principio citationis *Illuſtriſſimo Domino A. C. met* per acta Notarii, ubi jam introducta cauſſa reperiebatur ad dicendum contra recurſum in actis petitum, videndum illum admitti, juxta illius formam, & tenorem mandari procedi, & ſi denegetur ab Auditore Cameræ, Reus adire poteſt, & ſolet Auditorem Signaturæ, ut recurſum admittat hoc modo = Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, ſive &c. citatur ad dicendum contra recurſum &c. Hic autem recurſus ab Auditore Signaturæ duobus modis ſolet admitti, aut in ſuſpenſivo, ſcilicet cum ſuccumbens de gravamine decreti definitivi perſpicue docet, quæ quidem clauſula in ſuſpenſivo omnem ſuſpendit mandati executionem; obtentoque recurſu, ac deputato Judice, pars, cujus magis intereſt, citare debet ad dicendum contra jura, cum repetitione in termino d. citationis omnium actorum coram Judice, a quo geſtorum, ac deinde ad videndum mandari exequi Judicatum A. C. N., eoque caſu diſcutitur, an ſit confirmandum, vel infirmandum d. Judicatum, idemque obſervatur ſi poſt unum, vel plura decreta definitiva recurſus petatur.

23. Aut denegat Auditor Signaturæ recurſum, ſive appellationem admittit cum aliqua ex clauſulis appellationem in ſuſpenſivo negantibus, de quibus in Tractatu de Signatura amplius agemus; eoque caſu reus ad executionem mandati aliquatenus differendam poteſt, & ſolet ſuſcipere terminum, qui eſt dilatio quædam debitoribus a Lege miſeratio-

nis

nis gratia conceſſa, idemque terminus unus eſt Statutarius, ſcilicet 10. dierum, & a quibuſcumque Tribunalibus, A.C. excepto tantum obtinetur, alter dicitur terminus A.C. ſcilicet 30. dierum, debet autem alteruter ex dictis terminis pure, & ſimpliciter, & abſque ulla conditione ſuſcipi, in actis ſequentem declarationem emittendo = Pro N. contra N. = In officio &c. Procuratore, prout docuit ex chirographo mandati Procuræ in ejus perſonam facto ad ſuſcipiendum Terminum tenore præſentium, & fatendo debitum ex adverſo petitum ad illud ſolvendum ſuſcepit terminum, aut A.C., aut Statutarium, quo elapſo *conſenſit* &c. deindeque opus eſt deducere hujuſmodi termini ſuſceptionem ad notitiam partis coram illo Judice, & per illa acta, in quibus ſuſceptus eſt terminus hoc modo = Intimetur qualiter inſtans ſuſcepit terminum A. C., ſeu Statutarium, & alias prout in actis, & Illuſtriſſimus Dominus inhibuit in vim termini =; quo quidem termino elapſo, aut Debitor ſolvit, & lis undique evanuit, aut mandatum eo non ſolvente expeditum executioni demandatur. Non eſt tamen prætereundum, ſi terminus ſit Statutarius, neceſſum eſſe, actorem elapſo dicto termino ad ſolvendum ad formam termini adverſarium citare, eoque caſu Judex alterum diem temporis dat, quo elapſo abſque alia interpellatione, aut citatione ad expeditionem, aut executionem proceditur.

24. Diverſimodè inſuper ad executionem proceditur, vel realiter nempe, vel perſonaliter. Si perſonaliter fiat executio, datur mandatum executoribus, qui Reum in carceres ducunt, & donec ſolvat ibidem detinetur. Si verò realiter mandatum exequi debeat, aut ſuper mobilibus, aut ſtabili-

bilibus exequi poteſt ; ſi ſuper mobilibus fiat , exequutor vigore mandati aufert mobilia , & illa Depoſitariæ Urbanæ Officialibus tradit , ut poſſit ad illorum ſubhaſtationem devenire : ſi vero ſuper ſtabilibus , forte quia mobilia non adſunt , vel non ſufficiunt pro Debiti ſatisfactione, & Exequutor una cum Notario cauſſæ cum duobus teſtibus ſuper ſtabilibus mandatum exequitur , ac poſtea id Depoſitariæ Urbanæ Officialibus refert , ut poſſint deinde eadem ſtabilia ſubhaſtari , & deliberari .

25. Poſtquam autem relatio exequtionis ſuper mobilibus ab Exequutore in dicta Depoſitaria fuerit acta , citatur ut infra = A.C.N.&c. citatur &c.ad videndum mandari ſubhaſtari pignora in executione capta,& quodcunique mandatum de ſubhaſtando decerni , & relaxari ad p. d. Inſt. &c. = N. Notarius = Obtentoque decreto abſque intimatione poſt elapſos ſolitos dies dilationis , quos Judex concedit , expeditur mandatum de deliberando , & deliberantur mobilia . Quod ſi bona ſubhaſtanda ſint ſtabilia,affiguntur per Curſores edicta ad valvas Depoſitariæ Urbanæ, & in aliis locis publicis , & conſuetis Urbis,cujus affixionis tenor exponitur a Ridolphin (*a*); & ſi bona ſubhaſtanda ſint forſan in partibus, debent etiam edicta in loco , in quo dd. bona exiſtunt , affigi , & evulgari , alias ſubhaſtatio eſſet undique nulla ex Conſtitutione Pauli Papæ V. de qua infra ſermo redibit , fitque inſuper Cedula ſubhaſtationis per Curſores in qua nomina,& valor ablatorum notantur,& deſcribuntur,de qua CedulaRidolphin (*b*). Sic autem expedita dicta Cedula citatur pars adverſa ad videndum deliberari bona in executione ca-

(*a*) *Part.1. cap. 15. num. 71.* (*b*) *Part.1. d. cap. 15. num. 10.*

capta ultimo, & plus offerenti, & quodcumque mandatum de deliberando in forma concedi decerni, & relaxari ad p. d. Inſt. &c. N. Notarius; eaque Citatione exequuta, & reproducta producitur in actis d. Cedula ſubhaſtationis bonorum, de quibus agitur, prout in folio Tenoris omni &c.; obtentoque decreto deliberari cum intimatione, eoque intimato hoc modo = A C.N.&c.intimatur qualiter Illuſtriſſimus Dominus mandavit deliberari pignora, & alias prout in actis &c. Notarius N. = elapſo que termino abſque alia citatione expeditur mandatum de deliberando, quod datur Curſori, ut bona ſubhaſtata ultimo, & plus offerenti deliberet, & eadem deliberatione ſequuta a Notario Inſtrumentum publicum deliberationis conficitur. Sæpe tamen etiam ſolet ad evitandam executionem ſeu realem, ſeu perſonalem dari Executori tantum pecuniæ loco pignorum pro ſolutione debiti; & depoſita per d. Exequutorem d. ſumma in Depoſitaria Urbana, debet actor omninò citare, ut infra; A.C.N. citetur ad videndum mandari conſignari inſtanti pecunias in executione captas, & mandatum de conſignando concedi decerni, & relaxari ad p. d. Inſt. &c. obtentoque decreto, ac executa intimatione, expeditur mandatum de conſignando, cujus mandati virtute Depoſitaria tradit Creditori pecunias,& quietantiam inſimul recipit.

26 Soluto igitur pretio, cauſſaque diſcuſſa, & derelicta (dummodo appellatio, ſeu recurſus in devolutivo non pendeat; tunc enim cauſſa eſt prius coram Judice in devolutivo expendenda) poteſt victor expenſas repetere, illaſque taxatas, & moderatas victus debet perſolvere, alias citatur ad videndum taxari, & moderari expenſas, illaſque taxatas,

xatas, & moderatas ſolvendum, alias videndum mandari decerni, & relaxari mandatum executivum, & aliud quodcumque reſpective neceſſarium, & opportunum ad p. d. Inſt. &c. exhibitaque notula, ſeu liſta expenſarum, & facta liquidatione a Judice pronunciatur decretum, quo relaxatur, & decernitur mandatum pro dd. expenſis, quo decreto intimato = A.C.N. intimatur &c. qualiter Illuſtriſſimus D. relaxavit mandatum, & alias prout in actis Inſt. = expeditur mandatum, & executioni committitur.

27. Id tamen eſt intelligendum, niſi ex altera parte, aut citatur ad dicendum contra recurſum, ut ſupra, quo caſu dicitur recurſus ab exceſſiva taxa, qui de jure conceditur in ſuſpenſivo, aut interponatur appellatio in actis, quoties cauſſa ſit appellabilis, de cujus ordine, & formula inferius in praxi de Cauſſis Summariis ſermo redibit.

28. Degente autem Reo extra Curiam, opus ſane eſt, ut actor eum interpellet mediante Citatione impreſſa, quæ dicitur Cameralis, & quæ tranſmittitur, ut executioni mandetur in loco, ubi Reus commoratur, ac ita legitimè exequuta, & reverſa, ſeu remiſſa copia d. Citationis Cameralis cum atteſtatione mandatarii, & recognitione Notarii de illius executione, aut Reus comparet in actis conſtituendo Procuratorem, cum ſolito Nihil fieri, & citatur contra jura, in cujus termino reproducitur etiam d. Citatio Cameralis, & deinde proceditur in judicio, ut ſupra dicebamus; aut poſt terminum in citatione conceſſum contumax quoque perſiſtit, eoque Caſu ſit judicium per Contradictas, reproducitur ſcilicet in Broliardo Contradictarum d. Citatio Cameralis una cum documento, ſeu Scri-

ptura, ex qua reſultat creditum, ſeu jus, quod quis habet, & deinde abſque aliis Citationibus expeditur mandatum, & executioni committitur altero ex modis ſupra enunciatis.

29. Hactenus de forma, ſeu methodo ſervandà in judiciis, ſeu cauſis executivis tractatum eſt: Nunc juxta propoſitàm diviſionem cauſſarum in executivas, Summarias, & ordinarias, ad cauſſas Summarias eſt tranſeundum.

30. Judicium igitur Summarium, ſeu poſſeſſorium aut, eſt ut innuimus ſupra, poſſeſſionis adipiſcendæ, aut retinendæ, aut recuperandæ; loquendo autem de poſſeſſione adipiſcenda, multifariam profectò, variiſque modis poſſeſſio comparatur, & primo per clauſulam conſtituti, nam ſi quis contrahendo conſtituerit ſe aliqua bona alterius nomine poſſidere, veram, & realem poſſeſſionem jam quæſitam in eum transferre reputatur, ideoque debet citare partem adverſam ad dicendum contra jura, & reproducta citatione, Inſtrumentum, in quo adeſt clauſula conſtituti, necnon alia jura opportuna, & neceſſaria in actis proferre tenetur, & deinde citare hoc modo = A.C.N. &c. citetur &c. ad videndum Inſtantem aſſociari ad poſſeſſionem bonorum NN in vim Clauſulæ conſtituti in juribus in actis productis appoſitæ, ac mandatum de aſſociando concedi, decerni, & relaxari & dec. &c. Inſt. = N. Notarius; obtentoque decreto illud intimatur, quod tamen ita intelligitur, niſi ſcilicet Inſtrumentum, in quo eſt Clauſula conſtituti, ſit in actis rogatum, eo enim caſu non eſt neceſſe citare ad dicendum contra jura, ut ſuperius advertimus in judiciis executivis, ſed ſufficit citare ad videndum inſtantem aſſociari in vim clauſulæ conſtituti in Inſtrumento in actis roga-

to

to ſub die N. appoſitæ, & mandatum de aſſociando concedi &c., & ſi exceptiones ex adverſo non adducantur, aut deductæ nullius ſint relevantiæ, reproducta Intimatione, & elapſo termino in decreto contento, expeditur mandatum de aſſociando, & hoc mandatum ſic expeditum datur Executoribus, qui actorem ad poſſeſſionem aſſociant, & de hujuſmodi aſſociatione a Notario Actuario publicum Inſtrumentum conficitur. Quoniam verò in poſſeſſione alicujus ſive domus, ſive vineæ ſemper adeſt vel Inquilinus, vel Colonus, vel alter quicumque, neceſſum inſuper eſt citare illum, nimirum ad recognoſcendum in dominum, & videndum mandari confici Inſtrumentum recognitionis, alias gravari in Scutis &c. N. qualibet die, & mandatum de gravando in forma concedi, decerni, & relaxari & dec. &c. ad p. d. Inſt. &c. obtentoque decreto, & intimato, expeditur mandatum de gravando, & niſi accedat ad Notarium cauſſæ, & conficiat Inſtrumentum recognitionis in dominum, gravatur quotidie tot ſcutis, quot in mandato exprimuntur. Poteſt nihilominus Actor loco Citationis ad recognoſcendum in dominum, etiam citare ad videndum mandari expelli, ſeu, ut inquiunt, exfractari a vinea, ſeu &c. poſit. &c., & mandatum de exfractando in forma concedi, decerni, & relaxari, & dec. &c. ad p. d. Inſt., & obtento decreto, ac intimato, expeditur mandatum, datoque mandato executoribus, ipſi reum a d. vinea incunctanter ejiciunt.

31. Alterum præterea eſt adipiſcendæ poſſeſſionis remedium, ſcilicet Salviani interdictum, quod pariter Summarium poſſeſſorium vocatur. Datur autem primo Creditori in bonis ei a Debitore hypotecatis, vel ab ipſo Debitore, ſive a tertio poſſeſſis,

 ut

ut de ejus credito ex eorumdem bonorum fructibus, & poſſeſſione realiter obtenta, mediante formula judicii, de qua inferius, ſibi ſatisfaciant; ſed quia ſi de eorundem bonorum fructibus intra decennium Creditori ſatisfieri non potuerit, juxta legem Salviani interdicti competit jus ſubhaſtandi dicta bona, ideò aditur Signatura gratiæ, ſeu ad Auditorem Papæ recurritur, a quo & facile obtinetur commiſſio, & reſcriptum, de cujus formula Ridolphin.(a), quæ quidem commiſſio ſignata, & allata ad Bancum Curſoris, & incapſata, Judici, cui directa eſt, præſentatur, & citatur, ut infra = A. C. N. ad dicendum contra Commiſſionem in actis exhibitam, nec non videndum illam admitti, & juxta illius formam, & tenorem mandari, procedi ad p. d. Inſt. deindeque iterum citatur = ad videndum ſibi præfigi terminum ad probandum, & reluendum bona, de quibus agitur juxta formam Commiſſionis, & decretum &c. ad p. d. Inſt. N. &c. præfixoque aliquo termino a Judice, intimatur parti adverſæ, & elapſis paucis diebus in præfixione termini conceſſis, citatur ad videndum ſubhaſtari bona, de quibus agitur, juxta formam commiſſionis, & quodcumque mandatum de ſubhaſtando deſuper neceſſarium, & opportunum decerni, & relaxari, obtentoque decreto *niſi per totam* eadem die, ſucceſſivè die elapſa expeditur mandatum de ſubhaſtando curſori directum, & producta in actis cedula ſubhaſtationis, citatur pars ad videndum deliberari, & tandem ad deliberationem bonorum proceditur.

32. Datur item adipiſcendæ poſſeſſionis remedium etiam Legatario, & Fideicommiſſario, vel alteri, cui competit actio hypotecaria pro conſecutione rei

(a) *In prax. part. 2. cap. 1. num. 42.*

rei legatæ, vel per Fideicommiſſum relictæ, vel aliàs ſibi quomodolibet debitæ, omnibuſque hiſce caſibus Salviani Interdicti monitorium hoc modo expediri conſuevit, facta ſcilicet a Procuratore cauſſæ brevi narrativa Inſtantiæ, quam vult intentare, datur alteri ex Notariis A. C. ad arbitrium, qui monitorium cum clauſulis neceſſariis extendit una cum Sigillo, & Monitorium acceptum a Notario uni ex Papæ Curſoribus datur, qui illud exequitur in pede ſeu calce Monitorii relatione exequutionis adjecta, deindeque producitur in actis hoc modo = Pro NN. contra N. coram D. meque comparuit unus ex SSmi D nostri Papæ Curſoribus, retulit ſe ad inſtantiam N. monuiſſe N. prout in folio tenoris &c., deindeque mediante Citatione ad dicendum contra jura producuntur in actis, & in ejuſdem Citationis termino Inſtrumenta, & jura ad cauſſam facien. & ex quibus jura reſultant, factaque deinde informatione in ſcriptis, altera Judici, & altera Notario cauſſæ datur, ut parti adverſæ communicet, & intimatur hoc modo = A. C. N. intimetur qualiter fuit relicta Scriptura in manibus ſubſtituti, ideo citatur idem ad informandum die &c. hora ſolita Informationis, alias &c. Inſt. &c. = Notarius = & adventa die Informationis in liſta = communicari jura decernitur, utque pars ſpatium temporis habeat ad reſpondendum, cum venerit altera dies Informationis dicitur = ad aliam = hoc eſt ad aliam ſequentem Informationem, qua pariter adventa, ut adſtringatur pars adverſa ad reſpondendum, apponitur in liſta, ſeu nota Cauſſarum proponendarum = pro ſervato = & emiſſa prius Citatione ad terminos ſubſtantiales cum repetitione in termino citatur ad ſententiam. Expreſſio autem pro ſervato a Judice in di-

dictis Citationibus edita durat per 10. dies, in quorum termino poteſt Judex cauſſam expedire, quamquam, ut maturius cauſſæ decidantur, antequam expediantur, reſponſio ab altera parte expectatur, & deinde auditis per Judicem Informationibus in voce, ſenſus propalatur dicendo in liſta *pro ſervato ad favorem alterius ex dd. partibus*, in eoque ſenſu Judices perſiſtere ſolent, donec momentis ab altera parte productis in contrarium ſenſum iidem trahantur, vel cauſſa expediatur.

33. Quod ſi in hoc, vel alio Judicio poſſeſſorio reus citet contra jura, & poſſeſſorium cum petitorio quomodocumque voluerit immiſcere, ſive confundere, poterit actor ſuſpendere petitorium ſequenti proteſtatione in actis = pro N. C. N. in officio &c. proteſtatus fuit, quod ſi quid in præſenti Judicio fieri contigerit, quod aliquo modo concernat petitorium, illud tantum fuit ad colorandum poſſeſſorium, ideo ſuſpendendo petitorium nihil fieri in petitorio, niſi abſoluto poſſeſſorio.

34. Diximus, a Judice *pro ſervato* reſcribi; Pars igitur illa, quæ dictum *pro ſervato* ad ſui favorem obtinuit, poſt factam citationem ad terminos ſubſtantiales, interpellare etiam debet adverſarium ad libellandum ad primam, articulandum ad octavam, dicendum contra articulos, producendum omnia, dicendum contra producta in terminis ſubſtantialibus ad p. d. Inſt. &c. N. Notarius. In quo quidem termino repetuntur jura pro N. C.N. in officio &c. eaque repetitio ſequenti formula exprimitur: *& facto repetiit omnia & ſingula jura, & acta geſta in cauſſa*, &, ſi voluerit, poteſt etiam documentum aliquod ad cauſſam faciens proferre,

cum

cum clauſula *in parte, & partibus &c. petens &c. omni &c.* Eaque citatione D. & productione debet actor ad ſententiam citare, eaque citatio ita concipitur = *A. C. N. citatur ad videndum reiterari omnes, & ſingulos ſubſtantiales terminos male forſitan, nulliter, & inculcate obtentos, habitos, atque ſervatos, in vim quarumcumque facultatum inſtantem abſolvi a cenſuris ad effectum &c. deferri juramentum in ſupplementum plenæ probationis, quatenus opus ſit concludendum, concludique mandari videndum in cauſſa, & audiendam ſententiam definitivam in forma Inſt. &c.*, & citatione reproducta *cum proſervato*, in ejus termino expeditur ſententia, quæ fit in folio ad formam cedularum, de ejuſque tenore ampliſſime Ridolphin. (*a*).

35. Porro in Judicio Salviani, & aliis poſſeſſoriis adipiſcendæ, vel reintegrandæ poſſeſſionis non datur appellatio in ſuſpenſivo de jure, ſeu, ut dicitur, *ſotto banca*; quod quidem jus civile ſervatur in Urbe, & toto Statu Eccleſiaſtico inter Laicos vigore conſtitutionis Ægidianæ, ideoque ſi quis a ſententia lata in judicio poſſeſſorio appellare voluerit, omnino debebit adire Signaturæ Auditorem pro ſuperſeſſoria, & cauſſam in Signatura, parte citata proponendam curare juxta praxim, quam infra ſubjiciemus. Id tamen limitatur, ſi lis forte fuerit inter perſonas Eccleſiaſticas, & agatur de bonis ad Eccleſiam ſpectantibus, quo quidem caſu ſufficit appellationem in actis coram Judice, a quo appellatur, interponere, idque ſequenti more peragitur; conficitur nempe cedula appellationis, de qua Ridolphinus ſæpe citatus ampliſſime loquitur (*b*).

Eaque

(a) *In prax. part. 2. c. 6. n. 24. 25.* (b) *In prax d. part. 2. c. 6. n. 29.*

Eaque cedula appellationis confecta, antequam tranſeant decem dies a die latæ ſententiæ, producitur in actis d. cedula appellationis, de cujus productione videndus Ridolphin. (*a*); idque ſatis eſſe cenſetur, ut appellatio interpoſita fuiſſe dicatur. Cæterum a multo tempore in judiciis manutentionis, & reintegrationis Ægidiana indiſcriminatim non admittitur, ideoque etiamſi mixtura ſit Clerici, vel Eccleſiæ, appellatio ſub banca non datur.

36. Quod ſi in cauſſa appellabili appellatum non fuerit, vel fuerit minus legitime appellatio interpoſita, vel de ejus legitima proſecutione non conſtet, & agatur de ſententia prolata cum citatione domi dimiſſa copia, tunc elapſis decem diebus datis ad appellandum, debet actor ſervare quatuor terminos mediantibus totidem citationibus in quatuor diſtinctis diebus Juridicis reproducendis, quarum citationum formulam profert Ridoldhin. (*b*), atque iſtis ſervatis terminis, niſi pars doceat de Appellatione, poteſt rite ad mandati, ſeu rei judicatæ executionem procedi, & citatur pro taxa expenſarum modo, & ordine ſupra relatis.

37. Quoties vero appellatio rite interponatur, poſt d. appellationem, duos habet appellans temporis annos, unum ſcilicet ad effectum, ut cauſſam committat, & alterum ut proceſſum tranſmittat, ſeu, ut barbare inquiunt, tranſportet; Id autem quo ordine fiat, & de judicio inſtruendo coram Judice appellationis, in praxi de Judicibus commiſſariis, quoties commiſſio Judici commiſſario ſit directa, & incapſata, tractabimus, prout etiam ſi commiſſa ſit Auditori Rotæ, in praxi de ſacra Rota

(a) *In prax. d. part. 2. cap. 6. n. 29.* (b) *In prax. part. 1. cap. 13. n. 70.*

Rota ſermo redibit. Aliud pariter prætereundum non eſt adipiſcendæ poſſeſſionis ſubſidium, remedium ſcilicet *leg. fin. Cod. de Edict. Div. Adriani tollen.* quod hæredi ſcripto in teſtamento pro adipiſcenda poſſeſſione bonorum hæreditariorum, quæ defunctus tempore obitus ſui poſſidebat, conceditur, exhibito nempe in actis teſtamento, & probata morte teſtatoris. Quoties igitur hæres vult immiſſionem in poſſeſſionem bonorum, quæ Defunctus tempore obitus poſſidebat prætendere, producto teſtamento coràm Notario, per cujus acta vult agere, & legitimata perſona, conceditur ei mandatum cum clauſula = *dummodo poſſeſſio ſit vacans, & ſine præjudicio poſſidentium, & habentium meliora, & potiora jura*, cujus quidem mandati vigore aſſiſtentibus Notario, Baroncello, & teſtibus, in bonorum hæreditariorum poſſeſſionem mediante ſtipulatione Inſtrumenti poſſeſſionis immittitur. Si vero poſſeſſio non ſit vacans, tunc prævio monitorio, citatione contra jura, & productione, ac cauſſæ diſcuſſione, ut ſupra diximus de Salviano interdicto, detentor a poſſeſſione excluditur, ac legitimus hæres ſubrogatur.

38. Eadem pariter methodus, quam in remedio *ſupradictæ legis fin.* ſervandam eſſe docuimus, eſt omnino exequenda in altero Interdicto *quorum bonorum*, quod competit non ſolum ex teſtamento, ſed etiam hæredi ab inteſtato, & differt a remedio leg. fin., quod ſoli hæredi ex teſtamento conceditur. Eidemque tandem praxi, & ordini Judiciali aſſimilatur aliud remedium, ſcilicet *quorum Legatorum*, quod competit ſignanter hæredi adverſus Legatarium, qui rem ſibi legatam non de manu hæredis, ſed propria auctoritate occupavit.

 39. Poſt

39. Poſt interdicta, ſeu remedia adipiſcendæ, & reintegrandæ poſſeſſionis Prætorio jure conſtituta, & in Foro recepta, operæ pretium inſuper videtur de remedio alio retinendæ poſſeſſionis differere. Paucis autem rem univerſam abſolvimus; quod enim ſpectat ad remedium poſſeſſionis retinendæ, quod eſt ſummariiſſimum, & utroque Jure inappellabile, in eo ſane, de plano, & abſque rigida executione terminorum, ſeu abſque accurato ordine judiciario proceditur. Nunc reliquum eſt, ut de Cauſſis Ordinariis aliqua proferamus.

40. Porro quoties in cauſſis nec via competit executiva juxta ſuperius tradita, nec etiam ſummarie agere, ſeu procedere licet, ordinaria via eſt procedendum. Cauſſæ autem ordinariæ, in quibus exquiſito, & ſolemni juris ordine ſervato proceditur, cum fuerint primæ inſtantiæ, nec coram aliquo Judice privativo fuerint diſcuſſæ, prius ſunt in partibus agitandæ, hoc eſt coram Judice illius regionis, ſeu civitatis, inter cujus incolas orta eſt controverſia, ac juxta praxim Judiciariam illius regionis debet in cauſſa procedi, excepto caſu, quo forte adſint perſonæ privilegiatæ, ut ſunt pupillus, vidua, vel alia ſimilis perſona, cui virtute *leg. unicæ Cod. quando Imperator &c.* electio fori conceditur, vel Curialis, qui vigore *conſtitutionis Eugenianæ*, ſi fuerit in partibus conventus, virtute ſui privilegii etiam in prima Inſtantia, antequam Judex de partibus ad cauſſæ expeditionem procedat, cauſſam ab eo avocando, mediante monitorio, ejuſque executione in partibus facta, poteſt coràm AC. cauſſam ſequenti ordine introducere (a) = *Pro N. C. N. In Officio Notar: Procurator*, &

(a) *Ridolphin. in prax. part. 3. cap. 4.*

& facto reproduxit Monitorium in partibus legitime exequut. p. in folio ten. &c. om. &c. Si vero monitus, & citatus iiſdem privilegiis fruatur, probatis probandis mediante productione in actis illius Privilegii, aliorumque jurium, hoc modo reponet = *Pro N. C. N. Inſt. &c. N. N. Procurator, & ad docendum &c. tenoris &c. facto produxit &c. prout in folio &c. tenoris &c. cauſæ &c. omni &c. & proteſt. pro remiſſione Cauſſæ ad partes A. C. N. Inter N. qualiter fuerunt producta jura, ideo citatur idem ad videndum moderari inhibitionem nulliter, & indebite extortam, & remitti cauſſam ad partes, & dec. &c. ad p. Inſt. N. principal. ſive N. Notarius*, obtentoque decreto, & elapſo termino in decreto contento, poteſt ſi opus ſit, Inſtrumentum remiſſionis cauſſæ ad partes expediri.

41 Pars vero altera, quæ decretum in contrarium habuerit, Auditorem Signaturæ, ſi velit, adibit *ad videndum reintegrari inhibitionem*. Auditor autem Signaturæ aut reintegrationem concedit, & cauſſa erit in Curia diſcutienda, reproductoque monitorio citatur contra jura, in cujus termino Inſtrumenta, & aliæ probationes pro verificando monitorio producuntur, & cauſſa ut ſupra diximus in Judiciis ſummariis inſtituitur, idemque ſervatur, cum cauſſa ex natura ſua hic in Curia, & in prima Inſtantia quomodolibet introducitur, expedito enim monitorio(de cujus formulis ſcilicet quando cauſſa eſt de Curia, & natura ſua hic eſt agitanda, agit Ridolphin. (*a*)) aliiſque ſervatis ſolemnitatibus eſt procedendum, quibus in judiciis ſummariis agendum eſſe docuimus; Aut vero Auditor negat reintegrationem inhibitionis, & expeditur

T 2 a par-

(a) *Parte 3. Cap. 2. n. 3. 4. 5. 6.*

Digitized by Google

a parte, cujus magis intereſt inſtrumentum remiſſionis ad formam decreti A. C. Poſtquam vero Judex de partibus in Cauſſa pronunciavit, Romanam Curiam ita, ſi velit, alter appellat, interponitur nempe appellatio infra legitima tempora, quibus fuit coram Judice a quo in partibus pronunciatum, deinde Copia Sententiæ, & appellationis coram eodem interpoſitæ in forma probante in actis coram A. C. ita producitur = *Pro N. C. N. In officio &c. Procurator, & ad docendum de gravamine ſibi in partibus illato facto prod. copiam Sententiæ latæ per Præſidem, ſeu &c. ad aſſertum favorem N. una cum copia appellationis coram eodem interpoſitæ pro parte N. in forma prout in foliis tenoris &c. potens &c.* iiſque peractis, obtinetur citatio cum inhibitione, cujus tenor refertur a Ridolphin. (a), atque ita obtenta inhibitio ad partes tranſmittitur, ibique per Nuncium perſonaliter exequuta cum relatione executionis a tergo, ac legalitate alicujus Notarii ad Curiam remittitur, & in actis in Broliardo Judicis, coram quo expedita eſt Inhibitio, hoc modo reproducitur: *Pro N. C. N. In Officio &c. Procurator, & facto produxit citationem cum inhibitione vigore appellationis in partibus legitime execut., cum legalitate a tergo ten. &c. om. &c.* iiſque expletis, cum agatur de cauſſa ex ſua natura appellabili, ut ſunt Cauſſæ ordinariæ, gaudet appellans beneficio biennii, quod antequam expiraverit, debet proceſſum de partibus in actis producere adverſarium ita citando = *A. C. N. cit. N. ad dicendum contra proceſſum de partibus, & jura producta, videndum jurare teſtes ſuper illorum recognitione, quatenus opus ſit admitti, committi, man-*

(a) *In praxi Part. 3. cap. 5. n. 7.*

mandari reſtitui dim. ad p. d. Inſt. N. principali ſive &c. in cujus termino, ſcilicet die quo ſit decretum, in d. citatione proceſſus ita exhibetur: *Pro N. C. N. in officio N. Procurator, & in termino &c. facto produxit proceſſum de partibus folior. N. a Notario ſubſcriptorum, pro ut in foliis tenoris &c. & repetiit omnia jura producta, & geſta per acta mei in parte, & partibus propriis om. &c.*, & deinde inſtante eo, cujus magis intereſt, Informatio in ſcriptis conficitur, indeque cauſſa in liſta, & die Informationis aſſignata, coram Judice informationes habentur; ut ſupra de cauſſis ſummariis notabamus, compoſitaque Sententia, vel ſuper confirmatione, vel revocatione judicati de partibus, cauſa definitur, & ſi confirmativa ſit Judicati de partibus, reus Auditorem Signaturæ adibit citando ſuperſederi, ut in praxi de Tribunali Signaturæ fuſius notabimus, aliaque peragit, quæ ſupra agentes de cauſſis executivis advertebamus.

42. Quamvis autem hactenus deducta *ex Conſtitutione Benedicti XIV. incipien. Romanæ Curiæ, quæ eſt la 115. tom. 1. ejus Bullarii* excerpſiſſe profiteamur, pro coronide tamen iſtius materiæ, utque ad pauciora, & in unum pene proſpectum ea quæ diximus, redigamus, præterire non poſſumus univerſam A.C. ejuſque Locumtenentium juriſdictionem, imo auctoritatem cujuſcumque alterius Tribunalis, de qua infra erit agendum, intelligendam eſſe cohærenter ad d. Conſtitutionem 115. *Benedicti XIV.*, aliaſque ejuſdem Pontif., quas ſupra citavimus, quibus quidem Conſtitut., methodus, & forma, tam pro Tribunali AC. quam pro juriſdictione cujuslibet alterius Judicis, & Magiſtratus Urbis in poſterum ſervanda ſtatuitur. Quamobrem

obrem non ſolum A. C. in cauſſis illis ſe ingerere nequibit in iiſdem Conſtitutionibus exceptis, & præſervatis; Sed ſi de controverſiis illis agatur coram d. A. C. cognoſcendis eamdem Conſtitutionem *Romanæ Curiæ*, aliaſque ſupra nominatas religioſe exequetur; in ead. vero Conſtitutione incip. *Romanæ Curiæ* ſtatuitur, citationes Camerales etiam non ſubſcriptas a Judicibus Romanæ Curiæ valere in cauſſis, in quibus idem A.C. eſt Judex competens in prima Inſtantia, ut ſupra etiam notabamus, immo etiam poſtquam cauſſæ alibi fuerint fortaſſe introductæ, ſi partibus variatio Fori reperiatur indulta, ita tamen ut eo caſu reaſſumere nequeant cauſſas A. C. vel ejus Locumtenentes, niſi in ſtatu,& terminis, refectiſque ſumptibus factis ab altera parte, tranſportatiſque actis expenſis illius, qui forum variare voluerit; Ne inſuper iiſdem citationibus litigantes abutantur, æquali providentia in eadem Conſtitutione diſponitur, citationes Camerales afficere non debere, ſi coram Signatura Legatorum, aut Vicelegatorum fuerit cauſſa introducta, vel ſi ipſi in alia reſcripſerint, item ſi petantur ſuperſeſſoria, vel ſubdelegatio antequam Judex de partibus definitive pronunciet; pariter ſi agatur de ſumma ſcuta 25 monetæ in regione currentis non excedente, vel quum adſunt in cauſſa duo judicata conformia, vel ſi de mercede, aut alimentis, aut de altera ſimili re ſollicitam expeditionem promerente diſceptetur, id intelligendo quoties ſumma in controverſiam deducta, quantitatem ſcutorum 100. non attingat, ideoque ſit cauſſa recurribilis, alias enim Judicem in partibus ſubdelegandum eſſe decernitur, atque in reliquis aliæ Conſtitutiones in materia Judiciali emanatæ, præ-

præcipue vero *incipien. Ad militantis edita* 30. *Martii* 1742. que eſt *la* 44. *tom.* 1.*& altera de appellat. & inhibitionibus concedendis*, *vel negandis* confirmantur, ac renovantur.

43. Præterea cum cauſſæ privilegiatæ poſſint etiam ratione perſonarum ſpectari, plura in ead. Conſtitutione circa eoſdem privilegiatos, ſeu patentatos ſubduntur, præcipue vero quod privilegia Privilegiatorum, ſeu Patentatorum iiſdem expleto eorum officio auferantur, aliaque opportune ſtatuuntur ad generale Judicum officium pro Urbe, & Statu Eccleſiaſtico pertinentia. Quoniam vero præter Auditorem Cameræ inter Judices Ordinarios Urbis, & Diſtrictus, etiam Gubernator adſcribitur, præſtat, ut ad Gubernatorem progrediamur.

TITULUS XVI.

De Urbis Gubernatore.

PRæter Criminalem, & coercitivam juriſdictionem, quam competere Gubernatori Urbis in Inſt.Crim. (*a*) oſtendimus, diximus etiam ad ipſum ſpectare cauſſas induciarum, quietis publicæ, & ruptæ pacis, audireque vaſſallorum adverſus Dominos ſuos querelas, & cauſſas mercedum cognoſcere, eaſque ſummarie, ut inquiunt, manuque regia decidere, præſertim vigore Conſtitutionum Apoſtolicarum Leonis X. *incipien. Etſi*, *quæ eſt* 9. *in Bullar. novo tom.* 5., *& Conſtitutionis* 7. Pauli V. incipien. *Univerſi agri*, *quæ eſt* 71. *tom.* 4.*Bullarii*; Cum vero de hac Gubernatoris juriſdictione in cauſſis civilibus, ejuſque ampliori auctoritate tractatum huic reſervaverimus loco, præſtat, ut datam

(a) *Sub titulo de Gubernat.*

tam implentes fidem,aliqua de ea nunc proferamus. Eo igitur pacto, quo Cardinalis Vicarius auctoritatem ordinariam in cauſſis etiam Civilibus habet, quæ Perſonarum Eccleſiaſticarum, vel Eccleſiarum locorumque Piorum intereſſe reſpiciunt, ita ſane Gubernator, alter eſt ordinarius Judex plerumque ex cœtu Clericorum Cameræ aſſumptus, non ſolum in Criminalibus, iiſque præſertim delictis, quæ Romanæ Urbis, & Diſtrictus tranquillitatem perturbant, verum etiam in ordine ad Civilia negocia, præcipue Sæcularium, atque Laicorum. Quamobrem ulra duos Præſules aſſeſſores, quos pro cauſſis criminalibus habet, retinet is Locumtenentem civilem a Pontifice electum, qui in aula Gubernii diebus ſingulis, nonnullis exceptis, jus dicere debet ex d. Conſtitutione *Pauli V.* itemque Auditorem domeſticum, qui eumdem Gubernatorem in ſtudio cauſſarum Civilium coadjuvat, quique ejus nomine decreta paſſim interponit.

2. Hujus tamen Auditoris officium eſt nihilominus ad nutum ejuſdem Gubernatoris Urbis amovibile, cum ab ipſo pro ejus arbitrio aſſumatur, & ad inſtar cujuſcumque alterius Auditoris ſtudiorum ſalarium ab ipſo recipiat, ad differentiam Locumtenentis,qui, ut diximus,a Pontifice aſſumitur, nec poteſt a Gubern. inconſulto eodem Pontifice amoveri; contra verò nec poſſet idem Gubernatoris Auditor, ſi forte Gubernator ab Urbe abſit, juriſdictione aliqua nomine Locumtenentis perfungì, nec ſi præſens ſit, in iis, quæ ad Locumtenentem ſpectant, ſe ingerere, ne alias principaliori Miniſtro, qui a Pontifice deputatur, inferat injuriam, & ſententiarum confuſiò facile

oriatur,ut advertunt Seta (*a*), Galeot. (*b*), aliique. Merito autem civilis hæc juriſdictio Gubernatori tributa eſt; Cum enim Urbis Gubernator, ut in iiſdem Criminal. Inſtitutionibus (*c*) adnotavimus, in locum antiqui Præfecti Urbani fuerit ſuffectus, mirum non eſt, ſi ordinaria juriſdictione in cauſſis civilibus perfruatur, quæ quidem antiquitus amplior longe & incomparabiliter major erat ea, quæ nunc eidem Gubernatori tribuitur: Nam, quoad incolas Urbis,& Romanos limitata eſt in novo ſtatuto *lib.* 1. *cap.* 41. immo ex Conſtitutione 21. *Benedicti XIV. edita die* 21. *Decembris* 1745. in præcedenti titulo allegata,nulla contra Clericos, & loca pia Gubernatori Urbis auctoritas competit, niſi pro cauſſis, quæ vigintiquinque Scutorum ſummam non exceſſerint, extatque altera ejuſdem Pontificis Conſtitutio *edita* 15. *Septembris* 1742. ſupra pariter allegata,quæ numerum Notariorum &Judicum, etiam pro cauſſis civilibus ſanxit, atque præſcripſit.

3. Modus autem, quo in hoc Tribunali plerumque proceditur,eſt undique planus, ſummarius, & abſque exacto ordine juris, etiam in cauſſis executivis, & obligatione Camerali munitis, cohærenter ad enunciatam Conſtitutionem Leonis X. ab aliis Pontificibus confirmatam; quodque plus eſt, plures termini ſimul contemporanee junguntur, ſeu, ut barbare dicunt, conculcantur, v. gr. ad dicendum contra jura, & ſolvendum, aut ad recognoſcendam manum, vel peritum deputandum, & ſimiles alii. Quod ſi ſuſpicio fugæ imminere videatur, omnes termini copulantur, decretumque a Judice

Tom. IV. V cum

(a) *De Officio Locumtenentis cap.* 12. *n.* 5. (b) *De ſacr. Conſult. part.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 9. (c) *Sub eod. titulo*.

cum præfixione unius tantum diei pronunciatur; prout etiam fieri ſolet, ſi de ſolutione mercedum agatur. Immo ſi de mercedibus ruſticis, villiciſque ſolvendis forte tractetur, ad horam earum ſolutio decernitur, & conſentanee ad memoratam Conſtitutionem Pauli V. *Nonniſi facto Depoſito* Reus auditur, depoſitumque, etiamſi negetur debitum, erit explendum. Neque eſt prætereundum, cauſſas eaſdem mercedum eo privilegio fuiſſe a Benedicto XIV. in alias citata Conſtitutione *Romanæ Curiæ* 115. donatas, ut nempe Laici etiam in Tribunali Cardinalis Vicarii, & reſpective Clerici, & loca pia etiam coram Gubernatore arbitrio actoris valide, & licite conveniri poſſint, ita ut nec ſub prætextu obligationis Cameralis eorum juriſdictio valeat declinari.

4. Quamvis autem in cauſſis ordinariis, quarum naturam, & indolem ſupra expoſuimus, cùm de Auditore Cameræ diſſereremus, monitoria ſuper nullitate, immiſſione, aliiſque ſimilibus controverſiarum ſpeciebus permittantur; ſi tamen e converſo per ſupplicem libellum, ſeu Memoriale preces Gubernatori fuerint etiam in re juridica forſan porrectæ, poterit idem Gubernator oeconomice agere, & debitores perſolvere, ſuamque obligationem quomodolibet implere detrectantes, intra triduum ad ſolutionem, implendamque obligationem adſtringere. Ea demùm accenſenda eſt Gubernatori Urbis juriſdictio, ut in Viſitatione carcerum tam pro cauſſis civilibus, quam criminalibus, primum inter Viſitatores locum obtineat. De qua quidem viſitatione præſertim ex Conſtitutione Bened. XIV. incip. *Juſtitiæ gladium* edita 12. Maji 1749. amplior ſermo redibit, cùm de Congregatione

tione Viſitationis agemus. Plura etiam de Urbis Gubernatore profert citatus alias Cohell. (a). Cæterum cùm quartus, ultimuſque Judex ordinarius ſit Urbis Senator, qui quidem cum eodem Gubernatore concurrit, immo ſi in judicio cauſſarum prævenerit, eſt præferendus, ordo poſtulat, ut ad Senatorem Urbis progrediamur.

TITULUS XVII.

De Urbis Senatore.

URbis porro Senator antiquum Præfectum repræſentat, ut innuimus in Inſtit. Criminal. (b) ratione cujus repræſentantiæ non ſolum in criminalibus cauſſis, ſed etiam in civilibus ordinaria juriſdictione perfruitur. Cum ergo de Crim. ejuſdem auctoritate in iiſdem Inſtitutionibus ſatis egerimus, ac civilem alteram, quam per duos Locumtenentes, & Capitaneum appellationis exerceri ab illo affirmavimus, huic reſervaverimus loco, præſtat ut fidem datam hìc impleamus.

Vix autem definiri poteſt, quos intra cancellos eadem juriſdictio civilis Senatoris Urbis circumſcribatur, atque conſiſtat, cùm a vario ſtatu Romanæ Urbis nunc magis, nunc minus fuerit protenſa. Certum nihilominus eſt, quod nec in cauſſis Clericorum, nec Locorum Piorum Senator ſe ingerit, ſed in negotiis Laicorum tantum, & quidem vel originariorum Romanorum, vel Incolarum, cujus rei ratio depromi facile poteſt, ex quo Senator Præfectum Urbis antiquum, ut diximus, repræſentat, unde cùm Principem ſæcularem præfe-

(a) *In not. Cardin. cap. 40.* (b) *In Titulo de Urbis Senatore.*

ferat, hinc in iiſdem cauſſis, quæ vel ratione perſonarum, vel materiarum Eccleſiaſticæ ſunt, ſeſe immiſcere non poteſt, præſertim quia non tam ex cenſura ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, quam Juris municipalis Urbis idem Senator procedit, cujus quidem diſpoſitio niſi expreſſe caveatur Apoſtolica Confirmatione, loca pia, & Perſonas Eccleſiaſticas minime afficit, ut eſt exploratiſſimum.

3. Amplius tamen porrecta eſt ejuſdem Senatoris, & Curiæ Capitolinæ juriſdictio noviſſima Conſtitutione Benedicti XIV. incipien. *Romanæ Curiæ* pluries citata, ſignanter §. 25. ubi eam etiam extra Urbem, & per omnia, & ſingula loca Diſtrictus intra 40. lapidem porrigit, ad ſolum tamen effectum citandi, & procedendi in cauſſis mere laicalibus, atque alias ad ejus forum ſpectantibus contra Cives Romanos, vel Incolas, vel qui aliter juxta diſpoſitionemStatuti (*a*) ejuſdem Curiæ juriſdictioni ſubjecti ſunt; idque etiam extenditur ad effectum exequendi contra eos, & eorum bona mere laicalia Mandata ab ipſa Curia relaxata, dummodo in perſonis, vel bonis in aliquo loco juriſdictionali exiſtentibus fiat, & demum dummodo quoad executionem Mandatorum forma ab iiſdem ſtatuta religioſe ſervetur.

4. In cauſſis autem concurſus ſuper bonis Laici debitoris, qui cæteroquin juxta diſpoſitionem juris, & ſtatutorum Urbis ſit ſubjectus Curiæ Capitolinæ, in eadem Conſtitut. definitur competere eidem Curiæ juriſdictionem, etiamſi bona ſub concurſu poſita, ſive pro parte, ſive in totum ſint de proprietate, ſeu dominio directo Clericorum, Eccle-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 41.

cleſiarum, Monaſteriorum, atque aliorum piorum locorum; quæ tamen juriſdictio competere declaratur pro eo tantum, quod pertinet ad deputationem oeconomi, ad graduationem Creditorum, necnon ad diſtributionem, ſeu conſignationem pretii ex bonis emphyteuticis, vel in affictum ad longum tempus dati, retrahendi, poſtquam fuerint ſubhaſtata, & deliberata. Quo vero ad executionem, ſubhaſtationem, & deliberationem ipſorum bonorum Emphyteuticorum de proprietate, ſeu directo dominio Clericorum, vel Eccleſiarum, non ſpectare ad Curiam Capitolinam, ſed ad A. C. aut Cardinalem Vicarium, aut ad aliam Curiam Eccleſiaſticam, in eadem Conſtitutione decernitur. Eo etiam ſuperaddito, quod cedula depoſiti a Curſore, ſeu Mandatario non in actis Curiæ Eccleſiaſticæ ſit deponenda, ſed ſtatim & immediate ad Judicem concurſus deferatur.

5. Hoc tamen non obſtante, nonniſi in cauſſis levioris momenti eumdem Senatorem etiam inter Laicos jus dicere, experientia plane comprobamus, ſive hoc contingat ob ſatis implexam ejus Tribunalis praxim, quam honeſtiores Curiales reformidant, ſive quia cùm omnes fere contractus obligatione camerali muniantur, quarum cognitio ad Auditorem Cameræ ſpectat, inde planior ſeligi ſolet via recurrendi ad eumdem A. C. aut ſaltem Pontifici ſupplicatur, ut Senatori cauſſam remittat, prævio voto Rotæ, ſi de gravi cauſſa tractetur.

6. Cum autem, ut diximus, Senator duos Collaterales tamquam Locumtenentes retineat, in arbitrio partium poſitum eſt unum, aut alterum eorum, ut magis libuerit, in cauſſis ad judicandum eligere, iidemque idcirco Collaterales ultra publicam

cam audientiam, quam ſingulis diebus non feriatis in aula magna Capitolii habere conſueverunt, cauſſas inſuper, quæ ad eos reſpective pertinent, in propriæ habitationis domo diebus aſſignatis cognoſcunt, atque decidunt; quatenus vero ob qualitatem cauſſæ, vel naturam illius cognitio collegialiter a toto Tribunali Capitolino adhibenda ſit, ad quod forte fuerit appellatum, id ſequitur in aula Senatoris, ipſo præſidente, cum prædictorum Collateralium, & Judicis maleficiorum, & fiſcalis aſſiſtentia in forma Tribunalis Collegiati, audiendo partium Advocatos, & Procuratores in ſcriptis, & in voce, iſtaque unio, ſeu Congregatio dicitur *Aſſettamentum*, quod ex reformatione ven. Innocentii XI. tenet vices Signaturæ Juſtitiæ, eamque repræſentat, ut teſtatur Conſtantinus (*a*); qui etiam affirmat (*b*) in cauſſis non appellabilibus voto aſſettamenti locum non eſſe, niſi per Papam facultas judicandi concedatur.

7. Ultra Collaterales vero præfatos, & Judicem maleficiorum, adeſt alter Officialis togatus ejuſdem Senatoris, qui dicitur Capitaneus appellationum, quod ſcilicet a ſententia, vel decretis Senatoris, ac dictorum Collateralium ad iſtum appellatur; ſoletque poſtremo Senator, vel ob remedium nullitatis, vel reſtitutionis in integrum in cauſſis applicandum, vel ad evitandam longam, nimiamque inſtantiarum pluralitatem, quibus idem Forum Capitolinum redundat, ſæpe cauſſæ cognitionem aſſumere, & ab ipſiſmet Lateralibus aliquomodo avocare, eoque caſu deputare ſolet, vel Prælatum, vel Advocatum, ſive cauſſarum patronum in Conſultorem, vel eligere conſuevit aliquem ex Collateralibus, vel

(a) *Voto* 190. *n.* 24. (b) *Voto* 194. *n.*4. *tom.*1.

vel ipſum Capitaneum appellationum, præſertim ſi agatur de illis cauſſis, in quibus jam alias judicaverint, & ipſe quidem Conſultor eſt cauſſæ Judex, dum juxta ejus votum eſt deinde pronunciandum.

8. Non eſt tamen pro coronide prætereundum, inter præcipuas Senatoris curas adſcribi Statutorum Urbis obſervantiam, & Notariorum Capitolii privativam deputationem, cauſſarumque omnium ad eos pertinentium cognitionem, quas idcirco excluſis aliis Judicibus Romanæ Curiæ, appellatione remota, &, ut inquiunt, manu regia, diſcutere ſolet, ex motu proprio Sixti V., quem refert Conſtantinus (*a*).

9. Quemadmodum vero Urbis Senator antiquo Præfecto ſucceſſit, ut diximus, ita Urbis Conſervatores, qui in *Aula Capitolina* principem poſt Senatorem, locum ſortiuntur, Romanis Conſulibus ſuffectos eſſe non dubitatur, ratione cujus repræſentantiæ durante Magiſtratu eos conveniri non poſſe teſtatur idem Conſtantinus (*b*). Merito autem diximus in *Aula*, non autem in *Curia*, quamvis enim modica quædam Forenſis juriſdictio iiſdem Conſervatoribus ſuperſit ſuper cognitione paſcuorum, & Tenutarum, ſive Caſalium, non tamen juriſdictio iſta, ratione muneris Conſervatoris, ſed potius ob quamdam Præfecturam, ſeu Conſulatum agriculturę iiſdem Conſervatoribus plerumque adnexum tribuitur, de qua late agit Cardinalis De Luca (*c*), qui de cætero advertit non legalem ſed oeconomicam tantum civitatis, & populi, ejuſque ærarii adminiſtrationem tribus Conſervatoribus Urbis incumbere, licet pro occurrentibus circumſtantiis unum juriscon-

(a) *Voto 45. n. 20. tom. 1.* (b) *Voto 389. num. 3. & 4. tom. 3.* (c) *Diſcurſu 39. Rom. Curiæ.*

conſultum, quem Advocatum populi Romani vocant, alterumque practicum cauſſidicum, qui Procurator Fiſcalis dicitur, necnon Secretarium, ſeu Cancellarium, qui Scribæ Senatus nomen habet, retineant. Utque nihil ſcitu dignum prætermittatur, ſuperaddendum hic arbitramur, tribus iſtis Conſervatoribus alium etiam ſuperaddi Prioris nomine deſignatum, quia nempe primus eſt inter Regionarios, ſeu Capita Regionum Urbis, qui tamen licet habitu cum Conſervatoribus conveniat, æquale non habet publicæ adminiſtrationis miniſterium; quatuor autem iſti officiales quolibet trimeſtre mutantur, niſi eorum confirmatio, vel vacatio Apoſtolicæ Sedis id forſan impediat; prout etiam ex Nobilium Romanorum cœtu ſeliguntur, quorum gradus, & numerus appoſite fuit præfinitus a Benedicto XIV. in Conſtitutione incipien. *Urbem Romam edita* 4. Januarii 1746. quæ eſt in ordine *la* 156 *tomo primo*; iiſque omnibus accedunt alii etiam Miniſtri, ſeu perſonæ Romani populi ſervitio addictæ; prout etiam quædam vacabilia, ſeu venalia officia Capitolinæ Cameræ ſubjiciuntur, ab eaque omnino dependent, quæ referuntur a Cardinali De-Luca (*a*).

10. Circa hæc vero officia, dubitatum alias fuit, an regula 64. Cancellariæ, in qua revocantur conceſſiones officiorum Romanæ Curiæ, quæ præventive cum jure expectationis fuerint collata, an, inquam, in officiis Curiæ Capitolinæ æqua lance applicetur, ita ut ſi vacaverint poſt obitum concedentis, ſint ſub illius diſpoſitione comprehenſa. Quamvis autem acerrime fuerit diſputatum, negativa tamen prodiit reſponſio; Regula enim loquitur de officiis Ro-

(a) *Sub titulo de Regalibus n.* 3. *&* 4.

Romanæ Curiæ, quæ ad Curiam Capitolinam non extenditur, ut animadvertit Card De Luca (*a*); quemadmodum enim eadem regula non afficit officia dependentia a Camerariatu, Pœnitentiaria &c., quia integrum illorum emolumentum ad Papam non pertinet, ſed vel ad Camerarium, vel ad Pœnitentiarium, vel ad Collegia, ita idem in terminis Curiæ Capitolinæ eſt affirmandum, ut definivit Congregatio particularis deputata a Ven. Innoc. XI. ſub die 18. Octobris 1684. Nequeunt tamen inde Conſervatores jus ad officia vacatura poſt Officialium obitum impertiri, aut durante eorum conceſſione ultra tempus prorogare, niſi expreſſum Summi Pontificis indultum habuerint, ne alias ſupplantari Succeſſores in Magiſtratu videantur, ut advertit Fenzon. (*b*), & plene Rota coram Molines (*c*), ac Rigantius (*d*). Ultimoque loco advertendum in propoſito Aulæ, & Curiæ Capitolinæ judicamus, amplioribus privilegiis, ac favoribus hanc Cameram nuper fuiſſe decoratam. Benedictus enim XIV. in Conſtitut. incip. *Sinceræ Fidei* edita die 2. Decembris 1743. *quæ eſt* 64. *tom.* 2. *Bullar.* ad formam Chirographi Clem. XII. ſignati 23. Septembris 1731. conceſſit Conſervatoribus, ut Præſulem Civem Romanum in Judicem privativum cauſarum Cameræ Capitolinæ eligere poſſint, non obſtantibus Conſtitutionibus ſuper reformatione Tribunalium, & abolitione Judicum ab eodem Benedicto XIV. evulgatis, quas pluries ſupra citavimus; idemque Benedictus XIV. ſpeciali motu proprio edito die 5. Decembris 1750. qui

(a) *De offic. Vacabil. Rom. Curiæ cap.* 2. *n.* 13. (b) *Ad ſtatut Urb. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 4. (c) *Deciſ.* 682. *n.* 3. *& deciſ.* 758. *n.* 1. *& ſeq.* (d) *In d. Reg.* 64. *n.* 44.

eſt in Bull. 35. methodum ſervandam in Congregationibus Capitolinis ſuper cauſſis criminalibus locorum feudalium Populi Romani, nempe Maliani Coræ, Vitorchiani, & Barbarani provide præſcripſit, criminalemque juriſdictionem Conſervatorum, & Prioris capitum ultra œconomicam confirmavit; poſtremo ad excitandos, alliciendoſque ſtudioſos juvenes ad picturæ, & ſculpturæ ſtudium, Conſtitutione *Inter curas edit.* 17. Kal. April. 1753. Gymnaſium publicum, ſeu Academiam variis ſtatutis privilegiis, & ſub protectione Card. Camerarii in ædibus Capitolinis erexit.

11. Quoniam vero ſupra (*a*) advertebamus, præter Fiduciarios Miniſtros, ſive intra, ſive extra Palatium extantes, ordinarioſque Judices in Urbe, & Diſtrictu pro adminiſtratione Juſtitiæ ſelectos, alios etiam Præſides, ſive Officiales a Pontifice, aſſumi conſueviſſe, quorum aliqui œconomicis rebus præficiuntur, ut ſunt Theſaurarius, Præfectus Annonæ, Graſciæ, Militiarum, Viarum, & Zecchæ, aliqui vero præſtantiores longe ſunt, & in Cardinalitio ordine conſtituti, iique vel adminiſtrationi principaliorum Eccleſiarum deſtinati, cujuſmodi ſunt Archipresbyteri Baſilicarum Urbis, & Cardinales Titulares, vel Provinciarum Pontificiarum gubernio præpoſiti, ut ſunt Legati a Latere; ordo hinc inſtitutus efflagitat, ut ad iſtos omnes progrediamur, a Theſaurario, qui inter alios Præſules mox enunciatos principem locum ſortitur, exordium facientes.

TI-

(a) *In introductione.*

TITULUS XVIII.

De Theſaurario.

ANtiquiſſimum ſane eſt munus Theſaurarii, & in jure etiam communi non undique ignotum; Cum enim ærarii Principis cura pacis, bellique ſubſidium, & Reipublicæ fundamentum videretur (*a*), Leges etiam plurimi feciſſe munus illud exploratum eſt, cui Principis ærarii cura adnexa erat, ut habetur *in titulo ff. de Officio Quæſtoris*, & in altero *Codicis de Officio Comitis ſacrarum largitionum*. Merito autem Theſaurarius *Quæſtor* in jure paſſim vocatur, a pecuniis ſcilicet quærendis, ut aiunt Pomponius (*b*), & Varro (*c*); vetuſtiſſimumque ejus uſum apud Romanos fuiſſe teſtatur Ulpianus (*d*), licet quandoque Quæſtores, quandoque Præfecti ærarii, quandoque Diſpenſatores, quandoque demum Suſceptores fuerint vocati, ut notat Bartolus (*e*), & Comites etiam ſacrarum largitionum dictos aliquando fuiſſe teſtatur Caſſiodorus (*f*); extatque titulus in Codice, quem ſupra citavimus; frequentius tamen ex loco, ubi pecunia per eoſdem collecta aſſervatur, Theſaurarios conſueviſſe appellari advertit Pancirolus (*g*).

2. In horum ergo locum, vel munus Theſaurarius Papæ ſucceſſit, eumdemque ex cœtu Clericorum

(a) *Beſol. in diſc politic. de ærario, Conringius de ærario boni Principis.* (b) *In leg. neceſſariam 2. §. Deinde quum ærarium ff. de off. judic* (c) *Lib. 4. de L. L.* (d) *In lib. 1. ff. de off quæſtoris.* (e) *In leg. inſtar 2. Cod. de jure Fiſci lib. 10.* (f) *Lib. 2. variar.* (g) *In notit. Imper. Occidental. cap. 34. & ſeq.*

rum Cameræ Pontifices ſeligere plerumque conſueverunt, forſan ex eo quod Cardinalis Camerarius, cui Apoſtolici ærarii cura ratione muneris competere debuiſſet, gravioribus curis detentus, eidem vacare nequibat, congruumque hinc erat, ut loco illius, unus e Cameræ Clericis eandem Præfecturam obiret. Hujus vero Præſulis auctoritas, ſeu juriſdictio non ſolum in civilibus locum habet, ſed etiam ad cauſſas criminales extenditur, in quibus procedere ſolet ſummarie, de plano, & appellatione in ſuſpenſivo remota, quamviſque non habeat ſatellitum ducem, familiamque armatam diſtinctam ab aliis Judicibus, nempe a Cardinali Vicario, Auditore Cameræ, & Urbis Gubernatore, tamen juxta occurrentias fraudum, aliaſque caſuum contingentias, aliorum Judicum, ſeu prædict. Tribunalium ſatellitibus utitur.

3. Dixi *Theſaurarii juriſdictionem in civilibus quoque cauſſis locum ſibi vindicare*. Eſt enim Judex competens omnium cauſſarum in prima Inſtantia, in quibus de Cameræ Apoſtolicæ intereſſe tractatur, atque in iis omnibus cumulative cum Auditore Cardinalis Camerarii procedit, in aliiſque omnibus negociis æquali jure ſe ingerit, quæ Cameræ Apoſtolicæ adminiſtrationem concernunt, unde incidentia omnia, vel emergentia, quæ Appaltus, vel novas Gabellarum impoſitiones, vel impoſitarum ſuppreſſiones, vel novorum montium erectiones, vel illorum extinctiones, aut attergationes, aut alium ſimilem actum pro publico montium commercio habendum reſpiciunt, ad ejus examen rediguntur.

4. Ratione vero hujus præſtantiſſimi muneris non ſolum caput eſt Congregationis, quæ *Montium* dicitur,

citur, nec non alterius, quo computa, ſeu rationes appaltatorum, aliorumque Officialium Cameralium diſcutiuntur, itemque Congregationis Baronum, quæ a Clemente Papa VIII. ad adſtringendos Barones ad propria, vel majorum debita diſſolvenda fuit opportune inſtituta; verum etiam ſingulis hebdomadis coram ſe, proprięque domi, nedum pro civilibus, ſed etiam pro criminalibus cauſſis Congregationem habet cum Advocato, & Procuratore Fiſci, Commiſſario Camerę, ejuſque ſubſtituto Commiſſario, & quandoque etiam ipſius Auditore Domeſtico, quorum conſilio, & voto uti ſolet, ut vel deinde ex officio procedat, vel ſi neceſſitas urgeat, Summi Pontificis, quem bis in hebdomada adire ſolet, oraculum capiat.

5. Non eſt tamen hoc loco prætereundum, inter providas curas Benedicti XIV. ad publicum bonum directas, non ultimum locum ſortiri, duas providas Conſtitutiones circa munus Theſaurarii evulgatas, unam nempe editam *ſub die* 21. *Decembris* 1745. *incipien. Romanæ Curiæ*, quam ſupra pluries citavimus, quæque eſt *la* 115. *tom.* 1. *Bullar.* alteram vero incipien. *Apoſtolicæ Sedis ærarium*, quæ eſt *la* 6. *in eodem Bullario tom.* 2. in prima quarum decernitur, vincula impoſita ſuper locis Montium, officiis vacabilibus, ac depoſitis pecuniarum alicui oneri ſuppoſitis a nullo Judice adimi, aut deleri poſſe ſine præcedenti *exequatur* ejuſdem Theſaurarii pro locis Montium, & Datarii pro vacabilibus; ulterius quod ſi ex cauſſa permutationis, vel ſubrogationis vinculorum deletio petatur, conſenſus omnium intereſſe habentium accedat, & quoties bona ſubroganda in ſtatu Eccleſiaſtico extent, & ſi de pretio locorum Montium inveſtiendo tractetur, non-
niſi

niſi in ſtabilibus, aut cenſibus perpetuis, vel Communitatum, aut locorum piorum Status Eccleſiaſtici fiat, eorumdem intereſſe habentium conſenſu ſemper requiſito; aliaque opportune circa modum exequendi citationes eorumdem intereſſe habentium tam pro caſu, quo iidem in Statu Eccleſiaſtico degant, quam ſi abſint, ſervanda ſtatuuntur. In altera vero ejuſdem Benedicti XIV. Conſtitutione, nova Methodus in conficiendis, retinendiſque rationibus proventuum, & expenſarum Cameræ Apoſtolicæ ſub præſidentia Theſaurarii indicitur, præcedenteſque Motus proprii in eandem rem conſpirantes recenſentur, ac confirmantur, ut fuſius in eadem Conſtitutione continetur.

6. Cæterum circa enunciatam Congregationem Baronum, cujus caput eſſe affirmavimus Theſaurarium, videtur hìc pro coronide ſubjiciendum, dubitari alias contigiſſe, an nunciata Conſtitutio exteris quoque,& Forenſibus ſuffragari poſſet,ut eà contra Debitores ſubditos pro debitis extra Statum Pontificium contractis uterentur; cumque hinc inde Doctorum placita abirent, ipſaque Rota fuerit ſatis implexa, prodiit tandem reſolutio contra exteros,eo præſertim fundamento ſubnixa, quod Clementina Conſtitutio tam in litera, quam in ſpiritu ad ſolos ſubditos fuerit directa, ut videri poteſt ex magiſtrali deciſione in Romana, ſeu Florentina pecuniaria edita die 8. Martii 1723. coram Lancetta (a). Quoniam vero poſt Theſaurarium nonnulli alii ſuccedunt Cameræ Apoſtolicę Clerici, quibus rerum publicarum cura concreditur, cujuſmodi ſunt Præfecti Annonæ, Graſciæ, Viarum, Militiarum, & Zecchæ, ad iſtos properabimus.

TI-

(a) *Quæ eſt 93. tom. 6.*

TITULUS XIX.

De Præfectis Annonæ, Graſciæ, Viarum, Militiarum, & Zecchæ.

SUmmi quidem Pontifices graviſſimis Eccleſiæ univerſalis curis detenti,& per ſe impares œconomicis prætereà rebus Romanæ Urbis, & Status animum adjicere, diverſas Præfecturas erexerunt, inter quas Annonæ, Graſciæ, Viarum, Militiarum, & *Zecchæ* præcipue adſcribuntur, Clericis Cameræ demandari conſuetæ.

2. Porro Annona, ut in Inſtit. criminalibus (*a*) ſatis advertimus, & ratio nominis indicat, omnia complectitur, quæ vel neceſſaria ſunt ad vivendum, vel cum quibus humana vita commodius ſuſtentatur; atque in tres ſpecies olim dividebatur, una ſcilicet, quæ populo in urbe Roma, & civibus Romanis, necnon Conſtantinopoli tradebatur, altera, quæ Palatinis, tertia, quæ viris militiæ mancipatis, ut notat Gothofredus (*b*). Quemadmodum vero nihilo magis indigemus ad vitam, quam frumento, ita rei frumentariæ providendæ, aſſervandæque, plurimam Romani ſollicitudinem olim habuerunt. Conſtat enim, a Julio Cæſare Ædiles Cereales creatos fuiſſe anno urb. condit. 709. a Cerere Dea nuncupatos, ulteriuſque curatores frumento comparando Romæ conſtitutos habemus in *Leg. Lucius* 21. *ff. ad municipal.*, qui quidem Curatores,quaſi ædilium Miniſtri reputabantur, atque in eo etiam ab ædilibus diſcrepabant, quod ædiles an-

(a) *In titulo de crimine fraudatæ Annonæ.* (b) *In Cod. Theodoſiano par.* 5. *lib.* 14. *tit.* 17.

anno uno, curatores vero triennio, aut etiam diutius perdurarent, unde Cujacius (a) ait, *& ædilis Curator non eſt rei Annonariæ, ſed quam curator Annonam redegerit, in ea probanda ipſe operam navat*. Præfectum quoque frumentarium ab Auguſto inſtitutum teſtatur Suetonius (*b*), ut urgente fame, vel caritate impellente, vel ad conciliandam etiam benevolentiam Populorum frumentum divideretur. Quibus quidem omnibus animadverſis, mirum non eſt, ſi Romani etiam Pontifices, ut æquali vigilantia ſubditis proſpicerent, Præfectum Annonæ, unum nempe Præſulem ex Clericis Cameræ ad placitum duraturum elegerint, eidemque, ope Miniſtrorum ſubalternorum providendi, & conſervandi frumenti curam concrediderint.

3. Quum vero iſte Præfectus in locum ædilium cerealium ſucceſſerit, ut infra videbimus, cùm de Conſulibus Agriculturæ aliqua proferemus, eo ſane jure eidem traditur poteſtas coercitiva contra delinquentes, ſeu fraudem quomodolibet in frumentaria materia patrantes, quo firmum eſt antiquis cerealibus ædilibus coercitivam hanc facultatem competiiſſe *ex Lege Imperatores 3. §. 3. ff. ad Legem Juliam de Annona*; atque id quidem ultra poteſtatem alteram civilem, per quam contractus omnes frumentarii, & Piſtorum ad ejuſdem Præfecti cognitionem devolvuntur non ſolum ex diſpoſitione juris *in lege Menſores 19. ff. de excuſationibus, leg. 12. Cod. Theodoſiani de Piſtoribus*, verum etiam ex peculiari Bulla Urbani VIII. quam illuſtribus commentariis exornavit Antonius Antolinus Picænus ad Bullam Piſtorum. Porro inter facultates ampliſſimas, quas habet iſte Præfectus, illa etiam adſcri-

(a) *In 2. obſervation. 27.* (b) *In Auguſto cap. 40.*

ſcribitur, & recenſetur, ne frumentum de loco ad locum ipſo inconſulto aſportetur, ex Conſtitutione 85. Gregorii XIII. incipien. *Inter cætera*, quæ tamen prohibitio non comprehendit extrahentes quantitatem neceſſariam ad ſuſtentationem ſuam, ſuarumque familiarum uſque ad novam meſſem; nec pauperes, qui ſpicas in agro colligunt pro victu unius diei, nec mendicantes religioſos, qui eleemoſynam pro communi Conventuum ſuorum victu quærere ſolent ex Conſtitutione 30. Urb. VIII. incipien. *Superna*.

4. In hoc vero munere plures habet Miniſtros, quorum opera utitur, nempe Commiſſarium Generalem, Computatorem, Cuſtodem frumentorum, Cuſtodem clavium pro horreis, duos, qui menſuris præſunt, unum Exactorem, & unum, qui ſchedulas colligit, in quibus ad portam notatur Annona in Urbem invecta. Prætereaque Commiſſarios in variis locis habet pro comparandis frumentis, proprioque Notario, & Apparitoribus utitur.

5. Diximus, eumdem Præfectum Annonæ plures habere Miniſtros, eoſque opportune recenſuimus; ad hanc vero claſſem abuſive ſaltem, & improprie redigi poſſe videntur *Conſules Agriculturæ* nuncupati, cum nemo non videat, quantum agrorum, prædiorumque cultura, & paſcuorum, perſonarumque omnium huic rerum generi addictarum bene ordinata ratio ad conſervandam, augendamque annonam inſerviat; quamvis autem ex cœtu Nobilium plerumque aſſumantur, & magiſtratum quemdam conſtituant, maximam tamen opem ipſimet Præfecto Annonæ præbent, multumque ad minuendos ejus in munere labores ſuffragantur. Quemadmodum ergo ad inſtar ædilium curulium, qui olim in Ro-

mana Republica extabant, Magiſtri viarum fuerunt provide inſtituti, quos infra innuemus, ita in locum ædilium cerealium præter Præfectum Annonæ erectus eſt agriculturæ Magiſtratus ex 4. Conſulibus conſtitutus, atque reſultans in arte agraria peritis, quorum duo, ſingulo quoque trimeſtre mutantur, ut qui de novo eliguntur per duos antiquiores inſtruantur, eorumque munus eſt damna data æſtimare, facultates retinendi animalia pro pretio paſcuorum definire, aliaque his ſimilia decernere, quæ quomodolibet ad hoc genus reducuntur, ut advertit Cardinalis De Luca (*a*), quod ut rite præſtent, Aſſeſſor his aſſignatur ex Curia ſelectus, de cujus voto procedere debent, nec non proprius Notarius, & ſi forte Aſſeſſor ipſe a partibus tanquam ſuſpectus recuſetur, Conſultor alter, ſive Curialis, ſive Advocatus, ſive etiam Prælatus, pro qualitate cauſſarum, Conſulumque arbitrio ſeligitur.

6. Quamvis vero ex ſui inſtituto Præfectus Annonæ omnibus aliis cibariis deberet proſpicere, eo tamen modo, quo ultra Annonæ Præfectum alter fuit ab Auguſto creatus ſub nomine Præfecti Urbis, ut aſſerit Suetonius (*b*); ita æquali induſtria Romani Pontifices alterum Reverendæ Cameræ Clericum elegerunt, qui carnibus, aliiſque comeſtibilibus opportune invigilaret, eodemque jure, quo etiam huic Præfecto merum, mixtumque imperium antiquitus concedebatur, mutuando ab aliis Judicibus, ſi opus foret, armatam familiam, ita rerum comeſtibilium Præfecto, quem vulgo Præſidem Graſciæ vocant, facultas tribuitur adulterina cibaria, vel a Principe non approbatis ponderibus vendentes, vel monopolia, & fraudes quo-

(a) *Diſcurſu 39. in relat. Cur.* (b) *In Auguſto cap. 37.*

quomodolibet committentes exilio plectere poſſe, multis pecuniariis afficere, vel ad triremes etiam damnare, ſi ita circumſtantię ſuadeant, conſentanee etiam *ad text. in leg. Annonam 16. ff. de extraordinariis criminibus*.

Succedunt his alii duo Cameræ Apoſtolicæ Clerici, quorum unus Viis præeſt, alter vero Militiæ Pontificiæ præficitur; Primi ſane cura eſt, non ſolum viarum decentiam, & munditiam procurare, ſed etiam corruentes reficere, & tam in Urbe, quam intra diſtrictum extructis, opportunis pontibus pro itinerantium commodo eaſdem vias meliores efficere, ordinare, ſternere, & communire; quamviſque in hanc rem adhibere ſoleat conſilium quorumdam Nobilium, quos Magiſtros viarum vocant, de quibus infra ſermo redibit, necnon domeſtici Auditoris, Fiſcalis, aliorumque Miniſtrorum, exemplo forſan Romani Imperii, quo curandarum viarum munus Cenſoribus a Senatu deſtinatis, ſeu ædilibus Curulibus deferebatur, ut ait Roſinus (*a*); certum tamen undique eſt, quod coercitiva facultate, ſeu mero, & mixto Imperio ipſe ſolus perfruitur, ratione cujus regiam manum habere dicitur, & poteſt ex chirographis Pontificiis pœnam carceris, aliaſque afflictivas contumacibus, & refractariis imponere, ex Conſtitutione ſignanter Martini V. aliorumque Pontificum, quas ampliſſime Innoc. XII. Conſtitutione, quæ incipit *Sacerdotalis*, edita die 26. Novembris 1692. *quæ eſt in Bullario ejuſdem la* 14. confirmavit, & Benedict. XIV. Conſtitutione incip. *Cum omnibus*, *quæ eſt 67. to. 3. Bull.* renovavit. Cum vero utraque Conſtitutio, tam ſcilicet Innoc. XII., quam Benedicti XIV. amplio-

(a) *Antiquitat. Roman. lib. 7. cap. 29.*

pliorem indaginem poſtulare videantur ; abs re non erit aliquantulum deſuper immorari.

8. Et quidem primo de eadem Conſtitutione Innoc. XII. agentes, prævia pretii, ac impenſæ expeditionis reſtitutione, facta ei, qui olim Magiſtrorum viarum Aſſeſſor erat, eo prorſus modo, quo Clericatuum Cameræ, & Officiorum quorumcumque venalitatem raro exemplo idem Pontifex ſuſtulit pretio reſtituto, cit. Pont. in Conſtitut. incipiente *Ad hoc unxit* 13. idem officium aſſeſſoris penitus ſuppreſſit, & abrogavit. Præterea cauſſas omnes juris congrui, ſeu retractus, aliaſque adnexas, in quibus S.R.Eccl. Camerarius, & Aſſeſſor procedebant, ad Camerarium ſpectare decrevit, gravatiſque ad Præſidem viarum, & ab illo ad Tribunal plenæ Cameræ appellationem indulſit; voluit inſuper, officium Magiſtrorum viarum ab antiquioribus Pontificibus erectum, & confirmatum in ſuo robore remanere, iiſdemque momentaneam tantum coercitionem, tam in Urbe, quam in diſtrictu contra contravenientes eorum, vel Tribunalis viarum mandatis conceſſit, ſemper tamen & indiſtincte jure Præſidis præſervato, eique auctoritate relicta, prout etiam Præſidi facultas retenta eſt, procuratorem Fiſcalem, ratiocinatorem, & exactores taxarum deputandi; Præterea proventus & jura ſuper foro agonali olim Cardinali Camerario competentia Tribunali viarum univit; certas ad hæc taxas pro Apothecis unius Julii ſingulis trimeſtribus ſolvendi, itidemque curruum, ſeu rhedarum præſcripſit, earumque prout etiam expurgationis Urbis appaltum, aliosque fieri ſolitos meliorem conditionem offerenti a Præſide, & Miniſtris ejuſdem Tribunalis ſtipulandos ſancivit, nec ullam exemptionem ad evaden-

dendam ſolutionem taxæ prodeſſe decrevit, & demum, cæteris omiſſis, vias conſulares diſtrictus Urbis, ſemel in anno per eoſdem Magiſtros revidendas, & opportune providendum edixit, omni appellatione remota, aliaque opportune in eadem Conſtitutione firmantur.

9. Quoniam vero Officiales, & Miniſtri ejuſdem Tribunalis ampliſſimis facultatibus ſibi in eadem Conſtitutione conceſſis abutentes, propria auctoritate vias reficiebant domibus contiguas, idemque facere conſueverant in aliis viis, vineis, & prædiis ruſticis proximioribus, ad exuberantes deinde ſolutiones refectionis factæ dominos impellentes; idcirco Benedictus XIV. citata Conſtitutione *Cum omnibus*, poſſeſſoribus domorum, & prædiorum viis adjacentium facultatem concedendam, proprio impendio vias reficiendi expreſſe decrevit, eoque unico caſu a Præſide, & Officialibus Tribunalis vias reficiendas permiſit, quo poſt opportunas interpellationes iidem poſſeſſores eas facere neglexiſſent.

01. Innuimus ſupra, in locum Cenſorum viarum, ſeu ædilium Curulium, qui in Romana Republica olim extabant, Magiſtros viarum fuiſſe ſuffectos, eorumque electionem ex cœtu Nobilium fieri conſueviſſe, atque in Conſtitutionibus Apoſtolicis, præſertim Innoc. XII. fuiſſe approbatam; ultra enim Præſidem viarum, cujus dignitatem, & munus hactenus expoſuimus, Apoſtolica Sedes duos Nobiles, vel Incolas Romanos ad nutum Papæ amovibiles voluit aſſumere, cum juris profeſſore Togato, proprio Notario, & Procuratore Fiſcali, qui in forma Tribunalis, viis, pontibuſque reficiendis, cloacis expurgandis, & contributionibus ad hos

eſſe-

effectus exigendis præeſſent, facultate tamen, & jure relictis iis, qui ſe gravatos conqueruntur, ad Præſidem viarum in ſecunda inſtantia, & ad plenam Cameram in tertia, ſive intra, ſive extra Urbem, & in diſtrictu, libere provocandi.

11. Subſequitur autem poſt enunciatos Præſides ſpectabiliſſimus gradus Commiſſarii armorum, illius ſcilicet Cameræ Apoſtolicæ Clerici, cui Militiarum Pontificiæ ditionis Præfectura demandatur; ſane etſi preces, & lacrymæ Clericorum ſint arma, pro decore tamen Eccleſiaſtici Principatus plurimum decet a ſummo Pontifice militiam, belligeraſque copias retineri, præſertim quia non ſolum ipſe eſt Caput Eccleſiæ, ſed principatu etiam temporali extenſo ad provinciam Avenionenſem, & Beneventanam Urbem perfruitur, juris autem ratio poſtulat, deterioris conditionis ipſum non eſſe ab aliis ſæcularibus Principibus, quorum pręcipuum, maximumque præſidium in armorum potentia conſiſtit; Quibus accedit, quod utraque poteſtas, ſpiritualis ſcilicet, & temporalis, qua Summus Pontifex gaudet, omnino alias vileſceret, cùm nullo prorſus in numero communiter æſtimetur auctoritas illa, per quam reſiſtentes Legiſlatorum mandatis, & perturbantes publicam pacem non poſſunt impediri, & vim vi repellendo, propria ſaltem jura nequeunt ſuſtentari, ut nemo non videt. Merito igitur deputari conſuevit unus ex Clericis Cameræ, qui ejuſdem Pontificis militiæ præeſſet; imo recentioribus hiſce temporibus duobus Clericis eadem Præfectura committitur, quorum unus præeſſe ſolet militibus totius Eccleſiaſticæ ditionis, ſive qui habentes militare ſtipendium, ſemper bello debent eſſe parati, militaremque vitam principaliter agere dicuntur,
ſive

ſive aliis qui ex toto populo tam urbano, quam villico ſeliguntur, nulloque licet ſint ſtipendio conducti, in occaſionibus tamen Principatus arma ſumere tenentur, habentque idcirco ampliſſima privilegia eis conceſſa ab Alexandro VIII., ut notant Cardinalis De Luca (*a*), & Campellius (*b*). Alter vero præeſſe itidem ſolet militibus Præſidiariis Caſtri S. Angeli, & triremium Pontificiarum.

12. Certa tamen undique res eſt, utrumque hunc Præſulem mero, & mixto Imperio perfrui, coercitivamque habere in milites, & militares cauſſas auctoritatem. Quemadmodum enim incontrovertibile eſt, Præfectum Prætorio, qui olim Prætorianis Militibus Palatii Principis cuſtodiam agentibus præerat, criminali hac, ſeu coercitiva poteſtate fuiſſe decoratum, ut, cæteris omiſſis, litteraliter patet *ex textu in leg. Magiſteriæ poteſtati* 6. *Cod. de juriſdic. omnium Judic. & de foro competent.* Item *ex leg. contra publicam* 14. *Cod. de re militari*, *auth. ut ordinariæ Præfecturæ Urbanæ collat.* 5. *tit.* 19. ubi Magiſtri Militum inter Judices ordinarios nominatim recenſentur, *leg.* 2. *Cod. de Off. Præfect. Prætor. Africæ Militum*, *leg. Milites* 4. *Cod. eodem*, & late probant Carleval (*c*), Eienkel (*d*) aliique.

13 Ita cum poſt notiſſimam ſuppreſſionem Ducis Pontificiæ ditionis, qui Capitaneus Generalis S. R. E. vocabatur, in locum antiqui Magiſtri Militum, ſeu Præfecti Prætorio, uterque iſte Præſul fuerit ſubrogatus, ut advertit Cardinal. De Luca

(a) *De juriſdictione diſc.* 33. *n.* 5. *&* 6. (b) *Ad Conſtit. Ducat. Urbin. par.* 2. *in adnotatione ad decretum* 109 *num.* 80. 82. 83. (c) *De Judiciis tom.* 1. *ſect.* 4. *de foro milit. n.*462. (d) *De privilegiis Militum lib.* 2. *cap.* 6. *aliique.*

Digitized by Google

ca (*a*), conſectarie deſcendit, eadem privilegia iiſdem Præſulibus debere competere, quæ præfato Capitaneo Generali, & Præfecto Prætorio olim concedebantur; Præſertim quia maxime expedit, militum cauſſas abſque inutili Tribunalium circuitu a ſuo Judice quantocius abſolvi, ut notavit citatus Enenkel (*b*); unde etiam ex decretis Reformat. Tribunalium Urbis approbatis a Ven. Innoc. XI. (*c*) Judex Militum inter Judices Ordinarios Romanæ Curiæ recenſetur.

4. Quamvis autem a decretis utriuſque hujus Præſulis appellari non poſſit, exemplo pariter antiqui Præfecti Prætorio, a quo provocari nequibat (*d*), ad ſubmovenda tamen quævis æquivoca duo videntur hic ſuperaddenda, unum nempe intelligi id oportere de delictis intra milites actis, & quæ capitali pœna digna non ſint, quidquid enim dici poteſt in puncto juris, de poteſtate ſcilicet horum Præfectorum Militiæ ultimo etiam ſupplicio damnandi Milites, qui ob patrata ſcelera ſe dignos morte reddiderint, experientia tamen nos docet, in ſimilibus contingentiis Præſules præfectura militum decoratos, remittere reum a militari ordine exauctoratum ad Urbis Gubernatorem, ſeu curiam Gubernii, perpetuo conſueviſſe, ut prout de jure contra delinquentem procedat; Alterum vero quod quidquid pariter in puncto juris aſſeri poſſet de competentia horum Præfectorum circa cauſſas militum executivas, vel ordinarias, an ſcilicet etiam ad iſtas eorum juriſdictio porrigatur: Ex provida tamen Conſtitu-

(a) *De Juriſdict. & foro competente diſc. 78. num. 3. ad 26.*
(b) *De privilegio Milit. lib. 2. privilegio 5. n. 2.* (c) *Sub §. de Sportulis, & propinis n. 3.* (d) *Ad text. in leg. 1. ff. de Off. Præfecti Prætorio.*

ſtitutione Benedicti XIV. incip. *Romanæ Curiæ præſtantium*, *quæ eſt la* 115. *tom.* 1. fuitque alias & quidem pluries citata, cautum eſt, cauſſas militum ordinarias, vel executivas, quæ militiam non tangunt, ad ſuos Judices competentes eſſe remittendas; ſatiſque etiam innuitur in Conſtitutione ejuſdem Pontificis incip. *Quantum*, *edita* 27. *Februarii anno* 1742., ubi decreta Innocentii XII. emanata 28. Septembris 1692., & 3. Martii 1693. confirmantur. Si quis vero delicta a militibus plerumque committi ſolita, pœnaſque omnes, quibus coercentur, ſcire deſiderat, adeat Franciſcum de Oja (*a*).

15. Poſt expoſitas ClericorumCameræ Præfecturas, prætereunda ſane non eſt Præfectura altera Zecchæ alteri ex Clericis Cameræ cum dependentia a Cardinali Camerario tribui ſolita. Ad hanc vero Præfecturam, ſeu Præſidentiam ſpectat monetarum cuſio, valoris peregrinæ pecuniæ pro Statu Eccleſiaſtico taxatio, fraudum obviatio, & juſtitiæ in publicis commerciis tuitio. Sancivit autem S. Pius V. in Conſtitutione 3. incip. *Cum nihil magis*, ut Tonſores monetæ tam aureæ, quam argenteæ, ultimo ſupplicio puniantur, quod approbavit etiam Urbanus VIII. in Conſtitutione 75 incip. *Superna*, ubi monetam adulterantibus, vel Inſtrumenta ad hunc effectum retinentibus pœnam triremium ad decennium impoſuit.

16. Præter enunciatas hactenus Præfecturas aliæ ſuperaccedunt ex Pontificum vigilantia inſtitutę, & Clericis Cameræ pariter demandatæ, inter quas præcipue recenſentur Præſes Archivii, cujus cura eſt publicorum Inſtrumentorum, & ſcripturarum, tam in

(a) *In tractatu Legum pœnalium cap.* 4. *& ſeq.*

Digitized by Google

Urbe, quam in univerſa Eccleſiæ ditione conſervatio,& cuſtodia,ad quem effectumVifitatores,&Commiſſarios debet opportune deputare. Riparum quoque Præſes ſubſequitur, cui eorum, quæ per flumen vehuntur, & ad Urbem deferuntur,cura concreditur, & præcipue injungitur, ut ne dum de lignis, comeſtibilibus, & carbonibus Urbi proſpiciat, ſed etiam Monopoliis, & fraudibus, quę facile contingere poſſunt, provide præcaveat, debitis pœnis delinquentes coercendo, ut advertunt Cardinalis De Luca (*a*), & alias citatus Cohellius (*b*), qui de Cardinal. Camer. & de Clericis Cameræ Præfectura aliqua decoratis ampliſſime tractat.

17. Hactenus de Præſidibus tractatum eſt a Pontifice, & Sede Apoſtolica, œconomicis præſertim Urbis, & Diſtrictus negotiis deſtinatis. Nunc ad præſtantiores alios, & nobiliores ejuſdem Pontificis Miniſtros, qui nonnullis Eccleſiis, earumque regimini pręficiuntur, cujuſmodi ſunt Cardinales Archipresbyteri, & Titulares, operæ pretium eſt progrediamur; Mox de illis tractaturi qui e laterePapæ in aliquam provinciam mittuntur, ut ejus vice, & nomine delegationem exerceant.

TITULUS XX.

De Cardinalibus Archipresbyteris, & Titularibus.

Inter privilegia porro, & jura, quibus Cardinalium dignitas decoratur, neminem latet Juriſdictionem in Eccleſiis ſuorum Titulorum adſcribi, & recenſeri, vi cujus thronum obtinent, eriguntque, primam Tonſuram, minoreſque Ordines con-

(a) *In relat.Rom.Cur.diſcurſ.40.* (b) *In not.Card.a c.39.ad 51.*

conferunt, & beneficia, quæ S. Sedi non ſint reſervata, impertiuntur, unoque verbo quaſi Epiſcopalem, & ordinariam poteſtatem exercent, ut fuſius in Inſtitutionibus Canonicis expoſuimus (*a*). Mirum ergo non ſit, ſi cognitio omnium cauſſarum Eccleſiarum ſuarum, ſive civiles, ſive criminales exiſtant, *inſpecto jure communi* ad eos privative pertineat, eaque amplior exiſtat in Cardinalibus Archipresbyteris Baſilicarum Urbis, non quidem ex majoritate rationis, ſed ex majoritate ſubjecti, ſeu majoris numeri Canonicorum, & Clericorum, quibus jus dicere ſolent, eo proportionabiliter modo, quo uberiorem auctoritatem habere dicitur, ampliorique jure perfungi Epiſcopus, cui Diœceſis magis extenſa concreditur, præ altero Epiſcopo, vel Ordinario, cui minor Cleri, & Populi numerus ſubeſt, ut advertit Cardinalis De Luca (*b*). Dixi, omnium cauſſarum cognitionem competere *inſpecto jure communi* Archipresbyteris, qui Patriarchalibus, vel Titularibus, aliis Eccleſiis Urbis præficiuntur, ſeu ut barbare dicunt, incardinantur. Etenim a qualitate ordinariæ jurisdictionis cognitio iſtarum cauſſarum dependet, ideoque tam Cardinales Archipresbyteri, quam Titulares Prælatum quemdam, tamquam Generalem Vicarium pro earumdem cauſſarum cognitione merito retinere conſueverunt (*c*).

2. Dixi inſuper, ad eoſdem Archipresbyteros, & Titulares collationem beneficiorum, quæ non ſint Sanctæ Sedi reſervata, pertinere. Sed circa beneficia in tribus Baſilicis vacantia iterum eſt memoriæ revocanda animadverſio a nobis deducta *in*

 Inſt.

(a) *In Titulo de Cardinalibus*. (b) *In relatione Curiæ in hoc titulo*. (c) *Card. De Luca in relat. Rom. Curiæ diſcurſu* 26.

Inſt. Canonicis (a), beneficiorum ſcilicet inferiorum collationem, per turnum diviſam eſſe inter Cardinales Archipresbyteros, & Capitula, unde in Baſilica Vaticana, una hebdomada ad Cardinalem Archipresbyterum, altera ad Capitulum ſpectant, in Baſilica vero Sanctæ Mariæ Majoris duabus hebdomadis a Cardinali Archipresbytero, & una a Capitulo eadem Beneficia inferiora conferuntur, ut teſtatur Rota (*b*); cumque in Baſilica Sancti Johannis in Laterano vetus quædam concordia vigeret, qua Cardinalis Archipresbyter beneficia intra Eccleſiam exiſtentia, Canonici vero vacantia extra Urbem conferrent, ſublata hinc prædicta concordia, ac conſuetudine, Innoc. XII. per Conſtitutionem editam anno 1698. expreſſe mandavit, quod in poſterum omnium beneficiorum collatio inter Archipresbyterum, & Capitulum ſimultanèe habeatur, diviſo inter ipſos per hebdomadas collationis exercitio.

3. Addidi tamen, & conſulto addidi, *inſpecto jure communi* cognitionem cauſſarum ad Archipresbyteros, & Titulares pertinere; nam ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſignanter vero Benedicti XIV. incipien. *Quantum*, edita die 27. Februarii 1742. tom. 2. Bullar. adempta Cardinalibus Archipresbyteris, & Titularibus, eorumque Vicariis privativa cognitione cauſſarum, eadem facultas, ſeu juriſdictio unice reſervatur in iis, quæ circa ſervitium Eccleſiæ, diſciplinam Eccleſiaſticam, & morum correctionem verſantur, ut literaliter cavet eadem Conſtitutio, loquiturque etiam in terminis Cardinalium Protectorum, prout præventive etiam ſtatuerat Innocentius XII. in Conſtitu-

(a) *Sub titulo de Collationibus §. 1. n. 29.* (b) *Decis. 98. num. 23. part. 19. Recent.*

ſtitutione 25. ejuſdem Pontificis, ubi Cardinalium Protectorum juriſdictionem, quavis altera cauſſarum cognitione interdicta, ad ſimplicem præeminentiam, & vigilantiam pro ſacrarum Familiarum regimine, & Conſtitutionum obſervantia redegit. Neque eſt prætereundum, quod cum Urbanus VIII. per breve confirmatorium decreti Congregationis Viſitationis lati die 5. Septembris 1641. declaraſſet, poſſe per Cardinalem Archipresbyterum Baſilicæ Vaticanæ Sacramentum Confirmationis in eadem Baſilica, & Civitate Leonina conferri, Sacr. Congregatio Concilii anno 1648. decrevit, id eſſe intelligendum, quoad perſonas Canonicorum, Beneficiatorum, & Miniſtrorum inſervientium Baſilicæ, nec non pro Vaticani Seminarii Convictoribus, excluſis quibuslibet aliis, & ſacræ Congregationis decretum Clemens X. confirmavit. In eodemque decreto literis dimiſſorialibus Archipresbyteri Cardinalis indigere ſtatuitur eos, qui cum ſint de gremio Capituli, ad Ordines aſcendere volunt, quod fuſius declaratur a Benedicto XIV. in Conſtitutione incipien. *Ad honorandam*, quæ eſt *la 59. ejuſdem Pontificis tom. 3. Bullarii*, ubi ampliſſima Vaticanæ Baſilicæ, ejuſque Archipresbyteri privilegia recenſentur.

4. Tota ergo nunc eorumdem Cardinalium poteſtas præſertim reſtricta videtur ad jus, ut inquiunt, correctionale, per quod poſſint exceſſus Canonicorum, aliorumque Officialium Eccleſiæ in Choro, vel in eadem Eccleſia commiſſos corrigere, atque punire, eo prorſus jure, quo Tridentina Synodus (*a*) expreſſe derogando cuicumque conſuetudini tam ordinariæ, quam immemorabili, facultatem emendandi, vel corrigendi Capitulum Epiſcopo elar-

(a) *Cap. 6. Seſſione 25. de reformat.*

Digitized by Google

elargitur; quod quidem eodem, aut potiori jure Cardinalibus competit in Eccleſiis Titularibus; ideoque, ſicuti etiam ſi Decano, aut antiquiori alteri Canonico eadem poteſtas competeret, intelligeretur ſemper cumulativa, & ſimultanea cum Epiſcopo ex deductis per Gallemart. (*a*) alioſque relatos a Rota (*b*); Ita omnino verificaretur in Cardinalibus, ſi ratione conſuetudinis invaluiſſet, quod unus ex Canonicis correctionale hoc jus exerceret, cum quidquid de Epiſcopo in materia juriſdictionali affirmatur, quæ non ſit expreſſe per Conſtitutiones Apoſtolicas vetitum, ſit ad Cardinales in Eccleſiis Titularibus protrahendum.

5. Illud vero pro coronide non eſt omittendum, quod cum Pœnitentes ſive in Urbe extantes, ſive ad hanc accedentes, ad diſpenſationes matrimoniales obtinendas (ut non habentes in ære, aliquid in corpore luant) nonnullas pœnitentias in operibus præcipue ſervilibus conſiſtentes in Baſilicis ab immemorabili tempore explere conſueviſſent, cumque ex alia parte dignos pœnitentiæ fructus non agerent, cum turmatim, vel irreligioſe ſe gererent, provida hinc a Benedicto XIV. edita eſt Epiſtola Encyclica ad tres Cardinales Archipresbyteros Urbis ſub die 18 Januarii 1754. ubi regulæ ab iiſdem pœnitentibus obſervandæ, antequam a Dataria Diſpenſationem matrimonialem obtineant, ſtatuuntur. Æquali autem zelo idem Pontifex *in Conſtitutione incip. Inter arduas* præcedenter edita, nempe 22. Aprilis 1749. eoſdem Cardinales Archipresbyteros, vel Titulares cohærenter *ad Conſtitutionem S. Pii Quinti*,

(a) *Diſcept. forenſ. cap. 154. n. 40.* (b) *In Magiſtrali dec. Hiſpalen. juris præſidendi in Choro cor. del'Almo, quæ eſt dec. 16. apud Scarfant. ad Ceccoper.*

ti, & decreta Synodi quintæ Lateranenſis eſt adhortatus, ut in teſtamentariis tabulis, quibus de ſacris ſupellectilibus, aliiſque rebus ad uſum ſacrum deſtinatis favore ſuarum cappellarum diſponunt, Eccleſias illas præ oculis habeant, quarum titulum, vel regimen habuerunt.

6. Extabant quidem olim in Romana Curia alii Judices particulares Montis Pietatis, Hoſpitalium S. Spiritus in Saxia, S. Sixti, Sancti Jacobi Incurabilium, & Conſolationis, itemque Societatis Annunciatæ, Collegii Germanici, aliique plures, quos recenſet præd. Cardinalis De Luca (a); iiſque accedebant Protectores Religionum, vel Confraternitatum Sæcularium, qui quidem ſi non ex diſpoſitione, & cenſura Juris, ſaltem de facto in Regularium, vel ſæcularium, negociis ſeſe paſſim ingerebant. Sed cùm inhærendo ſaluberrimo, providoque Decreto Innocentii XII. quod eſt 65. inter impreſſa in ejus Bullario, ad evitandum inutilem Tribunalium circuitum, & Judicum confuſionem declinandam, omnes iſtas facultates, a prædictis Judicibus, aliiſque ſimilibus ademerit Benedictus XIV. *in citata Conſtitutione Quantum*, ſolumque exceperit juriſdictionem Cardinalis Decani ſacri Collegii pro Oſtien. & Veliternen. Eccleſiis, necnon Præfecti Palatii Apoſtolici, decernendo, quod aliæ quævis cauſſæ, vel ad A. C. in civilibus, vel ad A. C. in criminalibus remittantur; idcirco ſupervacaneum eſt de iſtis Judicibus jam abolitis, uberius diſſerere, unde ad Legatos in Provincias miſſos, qui tamquam repræſentantes perſonam Pontificis amplioribus privilegiis perfruuntur, properamus.

TI-

(a) *Diſcurſu 42. in relatione Romanæ Curiæ.*

TITULUS XXI.

De Poteſtate Legatorum.

SUppoſita ex jure Canonico, ejuſque Inſtitutionibus (*a*) differentia Legatorum in tres claſſes, ſcilicet in Legatos a Latere, natos, & miſſos, quod nempe Legati a Latere ſunt Cardinales, qui cum ex vi ſui officii lateri Papæ in Urbe adſiſtere teneantur, quaſi a latere Papæ dimiſſi videntur, cum in aliquam Provinciam exercendæ legationis cauſſa mittuntur: Nati ſunt, qui ex vi Archiepiſcopalis gradus, quem habent, legationem exercent: & tandem miſſi, qui ex Præſulum albo ad aliquem Regem mitti conſueverunt: Superfluum jam videtur hic attingere poteſtatem Legatorum natorum, ea enim ipſa omnino eſt, ac poteſtas Ordinariorum, de qua tam in Inſt. Canonicis, quam in Inſt Criminalibus (*b*) pertractavimus Quamobrem res jam acta inutiliter ageretur, ſi ea, quæ ibi protulimus, repeterentur. Unice ergo in præſenti tit. prælibanda eſt poteſtas Legatorum a latere, & Legatorum miſſorum, quos etiam Nuncios vocamus, de quibus licet egerimus *in præd. Inſt. Canon. ſub d. tit. de Legat.* aliqua tamen pro uberiori materiæ tractatu videntur ſubjicienda.

2. Hos igitur quemadmodum certum eſt in Chriſtiana Republica ſubſtitutos fuiſſe antiquis Proconſulibus, & Præſidibus Provinciarum, qui in provincia ſibi commiſſa ampliſſimam juriſdictionem habebant, & mero, ac mixto imperio, ubi extant, paci-

(a) *Sub titulo De Legatis.* (b) *Sub iiſdem titulis.*

pacifice adhuc fruuntur (a), ita eſt undique certum, familiam armatam poſſe ab iis retineri, & ultra civilem, coercitiva, ſeu criminali eos decorari poteſtate, atque hinc quomodolibet poſſe contentioſam, & forenſem auctoritatem exercere. Præſertim quia exploratiſſimum eſt, cui mandata eſt juriſdictio, ea omnia intelligi, & cenſeri commiſſa, ſine quibus eadem Juriſdictio exerceri non poteſt; unde cum utrique Legati idcirco mittantur, ut nimirum evellant, deſtruant, ædificent, & plantent, ſeu, quod idem eſt, ut ſcandala eripiant, bonamque diſciplinam reſtaurent, plane inde deſcendit, quod ſi ad aſſequendum hunc finem, pœnarum quoque impoſitio contra delinquentes, & exterioris, ſeu Forenſis juriſdictionis exercitium expedire videatur, non eſt certe iis denegandum. Acceditque, eoſdem Legatos majori prærogativa ex juris cenſura pollere, quam Epiſcopi, & Archiepiſcopi gaudeant (b); Unde ſicuti iidem Epiſcopi, vel Archiepiſcopi criminali, & forenſi poteſtate donantur: ita æqualis, imo major juris ratio ſuadet, eandem poteſtatem iiſdem Legatis tribui oportere.

4. Quamvis autem hæc vera ſint inſpecta Juris cenſura, & æque de Legatis a latere, ac de miſſis aſſeri poſſint, præſertim quia utrique Legatorum generi ſpirituales, ac politicæ cauſſæ a Summo Pontifice per quandam cumulationem ſupremi Sacerdotii, ac Principatus ſæcularis committuntur; quia tamen Legati a latere ad regendas illas provincias plerumque ablegantur, quæ Eccleſiaſti-

(a) *In cap. Legatos de Off. Legat. in 6. & in l. ſi in aliquam ff. de Off Pro Conſulis.* (b) *Gloſſ. verbo reputantes in cap. 2. de Offic. Legati in 6., & in cap. Si Abbatem de Electione eod. titulo.*

cæ ditionis ſunt, & temporali Romani Pontificis ſubduntur Imperio; contra vero Nuncii in diſſita, aliiſque Principibus in temporalibus ſubdita Regna plerumque mittuntur, inde eſt, quod licet pari ratione civiles, aut mixtas cauſſas æque omnes cognoſcere, & in iis, quæ ſpirituale regimen reſpiciunt, ſeſe ingerere valeant, tamen liberum officium, & exercitium poteſtatis competens Legatis a latere non æquali jure Legatis miſſis, ſeu Nunciis Apoſtolicis permittitur, atque tribuitur, qui idcirco contra reſiſtentes mandatis Nunciaturæ, aut adhibere debent Miniſtros Epiſcoporum, aut, ſi neceſſitas poſtulet, ſæculare brachium implorare tenentur, niſi peculiares carceres habeant, armatamque familiam detineant, ut in Nuncio Neapolitano contingit, unde Vaneſpen. (*a*), quo præciſe ſe extendat in Belgio, & Gallia Nunciorum Apoſtolicorum auctoritas, refert.

5. Idem vero eſt aſſerendum de Legatis Apoſtolicis, qui ob privatam aliquam, vel etiam publicam cauſſam nomine ſanctæ Sedis extra Ditionem tamen Pontificiam deputantur; quamvis enim nonnulli Canoniſtæ, & ſignanter Decius, & Felinus (*b*) affirmaverint, criminalem, Forenſem, externamque poteſtatem uſque ad executionem ſententiarum incluſive iſtis competere, contrariam tamen ſententiam tenuit Abb. (*c*), & ſequitur Marth. (*d*), qui cum aliis pluribus eandem communem, & uſu receptam affirmat, eoſque aliorum miniſterio, & curia uti debere arbitratur, pro ſententiarum, & Decretorum executione, quæ forum externum utcumque reſpiciat. 6.Cæ.

(a) *Juris Eccleſ. Univerſ. p. 1. ſub titulo De Legatis, & Nunciis.* (b) *In cap. Significaſti de Offic. Delegat.* (c) *In d. cap. Significaſti.* (d) *De Juriſdic. part. 2. cap. 9. n. 17.*

Digitized by Google

6. Cæterum quod ſupra diximus, tam Legatis a latere, quam Nunciis, inſpecto jure communi, in forenſibus, & contentioſis negociis Juriſdictionem competere, cohærenter ad idem jus commune eſt intelligendum, quo quidem attento poſt decretum Tridentini (*a*), ſicuti nequeunt Ordinariorum, aliorumque Judicum auctoritatem in civilibus perturbare, ita idem proferendum eſt judicium in cauſſis criminalibus, niſi fortaſſe circa exemptos, ſive Regulares, ſive ſæculares agatur, quorum quidem ſive civiles, ſive criminales cauſſæ exiſtant, etiam in prima inſtantia poterunt a Legato a latere abſolvi, ac definiri, cum Tridentina Synodus ſartam, tectamque reliquerit Legatorum auctoritatem, vulgatumque ſit, Legatos a latere etiam in prima inſtantia exemptorum etiam in prima inſtantia Judices eſſe; ut eſt textus litteralis *in Cap. Si Abbatem de Electione in 6.* & advertunt ibi Repetentes, quos *in Inſt. Canon.* recenſuimus. Non ſunt tamen ſilentio prætereundæ peculiares quædam facultates Legatis Provinciarum Pontif. conceſſæ, quas refert inter alios Maſerus (*b*).

7. Præmittit quidem idem Auctor, Gregorium XI. poſtquam Avenione diſceſſit, ibi ob longam ab Urbe diſtantiam, cui Sedem reſtituit, Legatos reliquiſſe. Item a tempore, quo Pontifices Avenione degebant, Legationem Æmiliæ erectam eſſe, ut Legati Tyrannos reprimerent, & facinoroſos extirparent; Legationes etiam Bononienſis poſt tempora Julii II. Ferrarienſis tempore Clementis VIII., & Urbinatenſis tempore Urbani VIII., dum Apoſtolica Sedes iſtorum Statuum, ſeu Dominiorum poſſeſſionem recuperavit, fuiſſe præ-

(a) *Seſſ. 24. cap. 20. de reformat.* (b) *De Legatis, & Nunciis lib. 10. cap. 74.*

præſtitutas; deindeque ſubdit, uberrimos, & nullis pene limitibus circumſcriptos juriſdictionis actus tum in civilibus, tum in criminalibus cauſſis, iiſdemLegatis fuiſſe impertitos. Ad eaſdem vero facultates in ſpecie deſcendendo, prætermiſſiſque iis, quæ in negociis civilibus, vel œconomicis, & politicis inter omnes perſonas emergunt, quæ iiſdem Legatis conceſſæ reperiuntur, & ſolas facultates criminales innuendo, idem Maſerus concludit, eoſdem Legatos ob Privilegia Apoſtolica iis attributa, libere poſſe Feudis, & Baroniis etiam ſine Judicis declaratione, Feudatarios privare: Inſuper non data copia Indiciorum, nec præfixo termino ad defenſiones, neglectiſque aliis Juris ſolemnitatibus ad capturam reorum poſſe devenire. Bannitos pariter, eorumque receptores, & fautores ſummarie condemnare, & non obtenta etiam pace a parte offenſa in priſtinum ſtatum delinquentes reſtituere; unoque verbo cum in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarii Papæ declarentur, iis unice exceptis, quæ nominatim Pontifices ſibi reſervarunt, omnia & ſingula etiam in criminali materia agere poſſe, quæ expreſſe non prohibentur, ut etiam eruitur ex Apoſtolicis Brevibus, omnibus, & ſingulis Legatis a latere enunciatarum Provinciarum expediri ſolitis, & per extenſum apud cit. Maſerum (a) relatis.

8. Extat vero circa negocia civilia, aut mixta a Legatis a latere diſcuti ſolita, Conſtitutio Benedicti XIV. incip. *Concreditum*, *quæ eſt* 50. *Bullar. tom.* 2., qua licet iis permittatur, poſſe renovationes inveſtiturarum, terrarum, & bonorum ad Sedem Apoſtolicam ſpectantium expleto tempore renovare, tamen prohibentur in caſu devolutionum, & ca-

(a) *Libro* 2. *appendice* 43. *&* 44. *de Legat. & Nunc.*

& caducitatum inconſulto Summo Pontifice novas inveſtituras concedere. Atque hæc de Legatis protuliſſe ſat eſt. Nunc de Cardinalium Congregationibus, ut promiſimus, eſt diſſerendum, quibus graviora Apoſtolicæ Sedis negocia committuntur.

9. Cum igitur omnia Romani Pontifices gravioribus Supremi Pontificatus curis diſtracti, nequeant per ſe ipſos explere, quæ ad utramque politiam, ſpiritualem & temporalem reducuntur, ut alibi innuimus, experientiaque itidem compertum habuerint, graviorum præſertim negociorum trutinam, tutius, & facilius à plurimorum Judicio pendere, ut notavit Gloſſ. (*a*), & diſertius dicitur *in leg. Quæſtionem 32. Cod. de Fideicomiſſis*, unde Caſſiodorus relatus à Perez (*b*): *uni*, inquit, *acceptum fuiſſe interdum gratiæ eſt*, *multis placuiſſe judicium*; meritiſſimo hinc jure ultra Præſules peculiaribus miniſteriis addictos, & Magiſtratus in diverſis muneribus provide inſtitutos, quos hactenus recenſuimus, diſtinctas pariter Congregationes Cardinalium erexerunt, quarum quidem aliquæ, ut à principio præmiſimus, ad trutinam negociorum ſolius Urbis rediguntur, quæ per Congregationem Viſitationis examinantur; aliæ ad univerſum Statum in figura Principis temporalis ampliantur, nempe Congregationes Conſultæ, Boni regiminis, Aquarum, Confinium &c., & demum aliquæ pro regimine Eccleſiæ univerſalis reperiuntur inſtitutæ, ut ſunt Conſiſtorialis, univerſalis Inquiſitionis, Rituum, Indicis, Indulgentiarum, Propagandæ Fidei, Concilii Tridentini, Epiſcoporum, & Regularium, Diſciplinæ Re-

(a) *In Can. Dequibus, verbo pluribus diſtinctione 20. & in cap. Prudentiam, de Officio Delegati*. (b) *In Codicem lib. 10. tit. 65. n. 7.*

Digitized by Google

Regularis, Immunitatis Eccleſiaſticæ, & Fabricæ; quibus accedunt tribunalia magis contentioſa, & forenſia, quæ cauſſas, & negocia utriuſque Principatus Eccleſiaſtici, & temporalis, necnon Epiſcopatus Urbis pro Inſtantiarum diverſitate promiſcue tractant, cujuſmodi ſunt Tribunalia Rotæ, & Cameræ, Judices Commiſſarii, necnon Signatura Juſtitiæ & Gratiæ, de quibus omnibus ſeorſim, & ſigillatim eſt differendum. Quoniam vero de auctoritate, & vi Decretorum ab enunciatis Congregationibus editorum, hinc inde a nonnullis controverſiæ, & dubia, præſertim vero ab iis, qui ultra montes degunt, proponuntur, non abs re erit, antequam ſingulas Congregationes in ſpecie exponere aggrediamur, de efficacia eorundem decretorum in genere aliqua in medium proferre, arreptaque hac occaſione, de relevantia, & vi Deciſionum Rotalium, aliorumque Tribunalium aliqua innuere.

TITULUS XXII.

De Congregationibus S. R. E. Cardinalium in genere, necnon de Rotæ, aliorumque Tribunalium forenſium auctoritate.

Congregationum ſane Urbis reſponſa, ſeu reſolutiones vim legis ſortiri, & in univerſo Orbe obtinere, ultra Cohelium (a) advertunt Rodriquez (b), Cherubinus (c), Salas (d), aliique; e contra mere doctrinales eſſe, nec tamquam leges, Fi-

(a) *In notitia Cardinal.* (b) *Quæſt. Reg. tom. 1. q. 11. art. 2.* (c) *In Bullario in Sixtum V. Conſtitut. 74. Schol.* (d) *De leg. tract. 14. diſput. 21. ſect. 12.*

Fideles univerſim adſtringere docuerunt Sanchez (*a*), Villalobos (*b*), Bonacina (*c*), aliique. Utramque tandem ſententiam alii conciliarunt cum Tapia (*d*) affirmantes, generatim, & indiſtincte enunciatas Congregationum Declarationes vi legum deſtitui, ſummo licet obſequio ſint excipiendæ, & tamquam ſupremi Eccleſiæ Senatus placita executioni mandandæ. Ut autem in particularibus caſibus vim legis obtineant, idem Tapia, aliique plures ab eo allegati, & præſertim Hurtado (*e*), Torreblanc. (*f*), aliique apud Leurenium (*g*), requiri arbitrantur, ut in eadem reſolutione exprimatur, Summo Pontifice conſulto, editam extitiſſe; Ulterius ut conſtet ex ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii de ejuſdem reſolutionis veritate; Et tandem, ut ſimiles declarationes publice evulgentur.

2. Et merito quidem conditiones iſtæ exiguntur. Quod enim ſpectat ad primam de Summi Pontificis auctoritate, cum certum undique ſit, verba illa Petro, & Petri ſucceſſoribus directa (*h*) *Paſce oves meas*, quibus auctoritas, & legislativa vis in univerſa Eccleſia Summo Pontifici tribuitur, ad Cardinales non porrigi, plane inde ſequitur, Cardinalium reſolutiones inconſulto Pontifice editas, legem in tota Eccleſia nequaquam inducere. Accedit, id expreſſe in Bulla 74. Sixti V. *tomo 2. Bullarii veteris*, & 117. *tom. 4. Bullarii novæ Editionis*, *p.*399. cautum fuiſſe, & poſtremo ſtylus, & praxis Urbis in

(a) *De Matrim. tom. 3. lib. 8. diſput. 2 n* 10. (b) *Tom.* 1. *Sum. tract. 2. dub. 7. n. 5.* (c) *De Leg. diſp. 1. q. 1. punct. 8.* (d) *Q.8. art. 8.* (e) *De Reſidentia tom. 1. Reſolut. 3. pag. 206.* (f) *In praxi lib. 4. cap. 3.* (g) *Tom. 1. q. præliminar. q. 24.* (h) *Joan. 21.*

in eandem veritatem conſpirat, qua principaliores præſertim reſolutiones a Cardinalibus evulgatæ, a Pontificibus approbari conſueverunt.

3. Debent ulterius pari jure, ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii eædem reſolutiones muniri; Ultra quod enim de illarum veritate, & identitate facile dubia aliàs excitarentur, idemque item ſtylo, & praxi Romanæ Curiæ plane cohæret; Accedit, ita præſcriptum fuiſſe ab Urb. VIII. de earumdem reſolutionum auctoritate tractante, ut refert Barboſa (*a*). Tertium denique requiſitum promulgationis, probatione non eget, cum ex iis, quæ alibi innuimus (*b*), nullius momenti ſit Conſtitutio, quæ non fuerit a Principe promulgata, neque quis ea lege poſſit adſtringi, quam ignorabat, ut dixit etiam Juſtinianus (*c*).

4. Quamquam vero earundem ſacrarum Congregationum reſponſa iiſdem conditionibus roborata, legem, ut diximus, faciant, congruumque plurimum ſit ex Gavanto (*d*) ut Epiſcopus in ſua Diœceſi earundem obſervantiam, præſertim ſi ad Clerum dirigantur, inculcet, verbis aliquibus in edicto, vel altera quavis Epiſcopali lege, vulgari ſermone ſuperadditis, quibus cauſſas, & rationes exponat, propter quas reſolutiones emanarunt, nequaquam tamen id ita eſt intelligendum, ut ſi contrarium quidquam reſolutionibus a Prædeceſſoribus Epiſcopis editis, per earundem Congregationum Reſponſa, vel legitima alia conſuetudine præſcriptum extiterit, debeant Epiſcopi ex vi earundem Reſolutionum ſubditos ad obſervantiam compellere, cum nec

(a) *In Summa verb. Congregatio n. 8.* (b) *Lib. 1. tit. 1. Inſtit. Canonicar.* (c) *Novella 66. cap. 1. & in l. leges Cod. de legibus.* (d) *In praxi part. 2. n. 39. & ſeq.*

nec contraria Synodorum ſtatuta, nec legitimos locorum uſus eædem Reſolutiones invertere, ac labefactare cenſeantur; Unde quamvis a Sacra Congregatione Concilii pluries fuerit deciſum, de rigore juris non poſſe a Parocho prohiberi, ne in publicis Oratoriis intra ſuæ Parochiæ fines ſacra ante Miſſam Parochialem celebrentur (*a*); ſi tamen Epiſcopus contrarium juſſerit, ne populus a Miſſa Parochiali, & concione per Parochum habita retrahatur, vel ſi contrarius uſus inoleverit, Epiſcopi præceptum, vel uſus prævalebit, ut egregie advertit Benedictus XIV. (*b*). Neque prætereundum arbitramur, licet lato modo, ac abuſive Sacrarum Congregationum reſolutiones Sedis Apoſtolicæ reſponſa cenſeantur, eas tamen falſificantes, vel quomodolibet adulterantes, nec vigore *cap. Ad falſariorum de crimine falſi*, nec ex cenſura Bullæ in Cœna Domini, excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, aliaſque pœnas contra falſificantes reſcripta Sedis Apoſtolicæ incurrere, ut alibi advertimus (*c*).

Hæc quidem circa declarationes ſacrarum Congregationum theorice expoſuiſſe ſat eſt. Tria vero ſunt pro praxi ſuperaddenda. Primum nempe, cauſſas contentioſas, ſeu negocia formam, & ordinem judiciarium requirentia, *regulariter* in Cardinalium Congregationibus cognoſci non poſſe, ut declaravit Innocentius XII. (*d*), qui cauſſas contentioſas eas eſſe decrevit, in quibus neceſſarius eſt proceſſus judicialis, aut fieri debent probationes part. cit. ſive mediante Jurium, ac Inſtrumentorum

 pro-

(a) *Lib. 16. Decretorum pag. 331. & 543.* (b) *De Synodo Diœceſana cap. 7. lib. 12. §. 7.* (c) *In Inſtit. Criminalibus lib. 2. tit. de Crimine falſi.* (d) *Decret. 71. ejus Bullar.*

productione, ac reproductione, ſive mediante examine teſtium in Curia, ſive mediante expeditione literarum remiſſorialium, vel compulſorialium facienda, aut ſi interponendum ſit aliquod decretum judiciale, ſublata idcirco iiſdem Congregationibus, earumque Præfectis, ac Secretariis, omnibuſque aliis facultate cauſſas prædictas reaſſumendi, adverſus Judices ordinarios, aut quovis modo judicialiter procedendi. Quod ſi ſecus fuerit actum, omnia acta, reſolutiones, ac decreta ipſo jure nulla, perinde ac ſi non emanaſſent, extitura declarantur. Dixi *regulariter*; ſi enim partes expreſſe, & in ſcriptis conſentiant, in eodem decreto opportune cavetur, in iiſdem Congregationibus cauſſas poſſe agitari, ita tamen, ut etiam pro hoc caſu, acta, & proceſſus probatorii coram ordinariis Judicibus fiant, a quibus deinde ad eaſdem Congreg. remittantur, ut fuſius in eodem decreto Innocen. ſtatuitur, ubi ſola Congregatio Boni regiminis, de qua infra, pro exactione onerum Communitatum excipitur.

6. Providoque plane conſilio hæc Conſtitutio edita eſt. Indecorum enim nimis videbatur, & Cardinalitia dignitate undique indignum, eoſdem Cardinales pro cauſſarum contentioſarum examine, Judiciali alea, quæ ſine ſtrepitu fieri non poteſt, perturbari, eademque hinc prohibitio abſtinendi ab examine cauſſarum, quæ judicialem ordinem poſtulant, renovata eſt a Benedicto XIII. per organum Secretariæ Status ſub die 17. Aprilis 1728. ſequenti Decreto *Sanctiſſimus: Dominus noſter per Organum Secretariæ Status juſſit, per ſacram Congregationem non amplius recipi, nec agnoſci cauſſas contentioſas tam civiles, quam criminales ordinem judiciarium cum proceſſu, & probationibus*

nibus requirentes ſecundum Bullas 53. Sixti V. & Innoc. XII., *quas omnino ſervari mandavit*.

7. Alterum item eſt ſerio advertendum, ſcilicet poſt aditam unam ex ſacris Congregationibus aliam ſub pœna nullitatis actorum adiri non poſſe, ut declaravit idem Pontifex Innocentius XII. *Decreto 65. ejuſdem Bullarii*, etiamſi mediante reſcripto Pontificis fuerit ad alteram Congregationem cauſſa remiſſa; idque etiam opportune cautum eſt, ad impetrantium calliditatem coercendam, qui ubi primam Congregationem tanquam negocii inſtructam eorum petitioni contrariam habuerunt, vel habere ſuſpicantur, ſtudioſe, & ſubdole tentant, aliam adire, ut tamquam minus informata ipſis concedat, quod prima denegavit, vel denegaſſet, ut totidem fere verbis in enunciato decreto idem Pontifex loquitur. His denique accedit, quod licet ampliſſima ſit Congregationum auctoritas, non debent tamen de facili a legitimis Superioribus cauſſas avocare, ne iidem ſine ſolido fundamento, ſuo jure procedendi in prima Inſtantia contra ſacrorum Canonum, & Tridentinæ Synodi cenſuram in *vulgatiſſimo cap. Cauſſæ omnes* priventur; Unde uſus invaluit, quod ſubditorum inſtantia ad ipſoſmet Prælatos, ſive Sæculares, ſive Regulares ædem Congregationes remittant, ut teſtatur Urſaja (*a*).

8. His circa Decreta S. Congregationum prælibatis, paucis profecto res abſolvitur, ſi ad deciſiones Rotales, aliorumque Forenſium Tribunalium ſententias, oculos convertamus. Quidquid enim dixerit Garzias (*b*); explorata plane res eſt, quod etſi eædem Deciſiones, & Tribunalium ſen-

 ten-

(a) *Part. 2. diſcept. 8. n. 40.* (b) *De Benefic. p. 1. cap. 5. num. 199.*

tentiæ, utpote a primis poſt Cardinales ſubſelliis editæ, obſequenter ſint ab omnibus excipiendæ, vim tamen legis in univerſo Orbe non habent, cum ab ipſamet Rota in aliquibus circumſtantiis mutato turno, de quo amplior ſermo redibit, a prioribus ſententiis, vel ſuis Deciſionibus recedatur, quodque plus eſt, ſacræ Urbis Congregationes, & præſertim Concilii, a Deciſionibus ſacræ Rotæ diſſentire quandoque conſuevit, ut teſtatur Bened. XIV. (*a*), idemque aſſerendum eſt de Camera, & Signatura, ut advertunt Fagnanus (*b*), aliique citati per dictum Leurenſum (*c*), qui aliud per dictas Deciſiones Rotales, vel Tribunalium ſententias non induci concludit, præſertim ſi ſint uniformes, nec amplius revocatæ, quam RomanæCuriæ ſtylum, ab illis tantum, qui Curiam ſequuntur, obſervandum. Nunc ad Congregationes in ſpecie tranſeamus, in qua quidem claſſe cum primo ſeſe offerant Congregationes illæ, quæ ad Epiſcopalem Urbis ſollicitudinem reducuntur, quò præcipue ſpectant Congregationes Viſitationis, de iis mox pertractandum.

TITULUS XXIII.

De Congregationibus Viſitationis Apoſtolicæ, & Viſitationis Carceratorum.

QUamquam Auctores omnes, qui de Romana Curia, ejuſque praxi ſcripſerunt, ſub titulo, & nomine Congregationis Viſitationis eam intellexerint, quæ ad viſitandas Urbis, & Diſtrictus Eccleſias provide fuit inſtituta, & Congregatio

(a) *De Synodo Diœceſana lib. 13. cap. 9. n. 55.* (b) *In cap. 12. de Judiciis.* (c) *In Jus Canonicum q. 25.*

gatio Apoſtolica dicitur, quia a Pontifice ſub figura Epiſcopi Urbis juxta varias repræſentationes, quas eidem Pontifici competere alibi advertimus (*a*), per Cardinalem Vicarium, alioſque Miniſtros fieri ſolet, ut inter alios adnotarunt Vaneſpen (*b*), & Cardinalis De Luca (*c*). Nos tamen alteram quoque Congregationem hic attingendam decrevimus, quæ ad viſitandos carceres fuit etiam erecta, unde carceratorum vocatur. Nec ſane immerito, Etſi enim carcerum viſitatio per Gubernatorem Urbis, alioſque ejuſdem Tribunalis Miniſtros præcipue agatur, ut infra videbimus, unde magis Laici, & ſæcularis Judicis actum, quam Eccleſiaſtici Magiſtratus auctoritatem præſeferat; Re tamen vera, vel promiſcue ad utramque poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſæcularem redigi poteſt, vel ad Pontificem etiam ſub figura ſolius Epiſcopi eadem pertinet, cum nihil antiquius habuerint Epiſcopi a primis etiam Eccleſiæ temporibus, quàm miſerabilibus Perſonis opportune proſpicere, ut oſtendimus in Inſtitutionibus Canonicis (*d*); inter quas quidem perſonas non ultimum locum habent, qui carceribus detinentur, unde non incongrue in numero Congregationum, quæ ab eodem Pontifice in figura Epiſcopi Urbis fuerunt inſtitutæ, utramque recenſemus, de Congregatione Viſitationis Apoſtolicæ primum agentes, de altera Viſitationis Carceratorum mox tractaturi.

2. Ne minor igitur eſſet Romani Pontificis cura Urbis Romæ in repræſentantia, & figura ejus Epiſcopi, quàm aliorum Epiſcoporum, qui ju-

(a) *In Inſtit. Can. lib. 1. de Rom. Pontifice.* (b) *Jur. Eccl. univer. p. 1. titulo 21. &c.* (c) *In relat. Curiæ tit. 24.*
(d) *Lib. 3. tit. 1. n. 17. & ſequentibus.*

juxta Canones, & cenſuram Tridentinæ Synodi, (*a*) tenentur quotannis, vel per ſe, vel per alios, Diœceſes viſitare: provido ſane conſilio Clem. VIII. anno 1592. Conſtitutione 8. incipien. *Speculatores* Congregationem Viſitationis erexit, cujus munus foret Eccleſias Urbis, Monaſteria, aliaque loca pia viſitare, abuſus forſan irreptos corrigere, implementum onerum Miſſarum recognoſcere, & Eccleſiaſticam diſciplinam enixe promovere; eandemque Congregationem ex uno Præſule Secretario, nonnullis Cardinalibus, aliiſque Prælatis in Conſultores adſcitis reſtauravit Alexander VIII. & ad Eccleſias in Diſtrictu Romano poſitas extendit, atque porrexit, peculiari Actuario, ſeu Cancellario Fiſcali, aliiſque Miniſtris adjectis in Conſtitutione 15. incipien. *Cum in paſtorali*. Præterea vero Innocentius XII. eo quo præpollebat augendi divini cultus, & Religionis ampliandæ zelo, nedum Viſitationem omnium Eccleſiarum, & locorum piorum Urbis indixit, verum etiam Cardinalibus, & Prælatis in adjutorium aſſumptis, ampliſſimas facultates conceſſit, præſertim vero, ut appellatione remota eorumdem Cardinalium ordines executioni mandarentur, ut nullo privilegio, aut exemptionis titulo ſuffragante, Eccleſiæ omnes, & loca pia viſitarentur, & perſonæ quælibet ad tradenda documenta ad eundem effectum opportuna compellerentur; Ut inſuper Pontificalia munera in iiſdem Eccleſiis, lociſque piis libere exercerentur, celebratio Miſſarum ab altaribus, ad quæ ob earum multitudinem celebrari non poſſunt, ad alia altaria poſſet transferri; & demum, ut cauſſæ omnes occaſione Viſitationis pendentes tam civiles, quam criminales,

(a) *Seſſione 24. cap. 3. de Reformat.*

les, & mixtæ, ad eoſdem electos Judices avocarentur, aliaſque ſimiles facultates adjecit, quæ fuſius deſcribuntur in Conſtitutionibus ejuſdem Pontificis prima *incipien. Agrum* 11. *Jan.* altera *Cum in paſtorali* 16. ejuſdem menſis, tertia *Officii noſtri*, quarta *Ut in proſequendo*, quinta *incipien. Quoniam eadem die* 16. *Jan* anni 1693. editis, quæ extant in Bullario ejuſdem Pontificis *a n.* 17. *ad* 20.

3. Cum ergo per hanc Congregationem a prædictis vetuſtioribus Pontificibus erectam, & ab eodem Innoc. magis, ut diximus, ampliatam, nihil ſit pro regimine, optimaque directione Eccleſiarum, & locorum piorum Urbis, & Diſtrictus ulterius deſiderandum, ea forſan ratio eſt, ob quam licet antiquioribus ſæculis aliquando legamus, ab ipſis Pontificibus tamquam Epiſcopis Urbis Romanum Clerum coram ſe in Synodo congregatum fuiſſe juxta exempla, quæ profert Benedictus XIV. (*a*); imo licet etiam Card Vicarius jus habeat Synodum indicendi, ut ſupra advertimus(*b*): raro tamen hujuſmodi Synodos coactas fuiſſe recentius comperimus, tum ſcilicet, quod Romana Diœceſis unius Urbis mœnibus pene concluditur, ita ut Pontificis, Vicarii, & Cardinalium vigilantia facile poſſint, ſi qui occurrant abuſus, removeri, tum etiam, quia per hanc præcipue Viſitationis Congregationem ad inſtar Synodi, celerius, & facilius ſcandala arcentur, Cleri, Populique mores reformantur, & Eccleſiaſtica Diſciplina ampliſſime reſtauratur, ut egregie advertit idem Benedictus XIV. (*c*). Nunc ad alteram Congregationem, quæ Viſitationis Carceratorum dicitur, progrediamur.

4. Pro-

(a) *De Synodo Diœceſana lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 7. (b) *In tit. de Card. Vicario*. (c) *Loco citato*.

4. Probe quidem, optimeque intelligens Paulus V. inter alias omnes perſonas Paſtoralem Pontificis ſollicitudinem, & vigilantiam promerentes, etiam in ratione, & proſpectu Epiſcopi Urbis, eos præcipue eſſe accenſendos, qui Carceribus mancipantur, hinc ut facilius & celerius eorum cauſſæ expedirentur, in alias cit Conſtitut. 71. Congregationem, quæ Carceratorum, ut innuimus, dicitur, inſtituit, & in certam formam redegit, eamque congregationem juſſit ex Gubernatore Urbis, Auditore Cameræ, Præſide Carcerum, qui eſt unus ex Clericis Cameræ, Advocato Fiſci, & Procuratore Generali Fiſcali, duobus item Locumtenentibus criminalibus Gubernatoris Urbis, Locumtenente criminali Auditoris Cameræ, Advocato Pauperum, duobus pariter Procuratoribus Pauperum, uno ſcilicet a Pontifice deputato, & altero a Congregatione Charitatis electo, Viſitatore Carcerum Secretorum, Commiſſario Remigum, Locumtenente criminali Cardinalis Vicarii, itemque duobus Prælatis, qui duabus piis Congregationibus pro patrocinio, ſubventione, & liberatione Carceratorum inſtitutis præficiuntur, Congregationis ſcilicet charitatis, & alterius pietatis Carceratorum conſtitui, atque hunc quidem ordinem pro Carceribus olim Turris novæ ad viam Juliam ab Innoc. X. poſtea translatis ſervari mandavit. In Viſitatione enim Carcerum Capitolii Præſides Carcerum dictos duos Prælatos, Advocatum Pauperum, Advocatum Fiſci, Procuratorem Fiſcalem, & enunciatos duos Procuratores Pauperum, Senatorem, ejuſque Auditorem, tres Conſervatores, Collaterales, Judicem criminalem, ſeu Maleficiorum, Procuratorem Fiſcalem, & Capitolii, Commiſſarium Carcerum, & Re-

& Remigum voluit intervenire, Gubernatoremque poſtremo Urbis, tanquam Camerarium Romanæ Eccleſiæ repręſentantem, primum inter omnes locum habere.

5. Tres vero hujus Congregationis ſpecies enumerantur, ſeu tribus modis Congregatio eadem convocatur; Prima eſt Congregatio *Ordinaria*, quæ etiam continua dicitur, & qualibet hebdomada die Jovis habetur a Gubernatore cum enunciatarum Perſonarum interventu; eaque vel mediante Proceſſuum impinguatione, aut repetitione, graviorum cauſarum expeditio decernitur, vel ad Triremes delinquentes mittuntur, vel incidentia eamdem tranſmiſſionem remorantia reſolvuntur, vel ſi de levioribus cauſis agatur, exilio, aut alia arbitraria pœna delinquentes puniuntur, prout etiam illis, qui ob cauſſas civiles debitorum extra ſecretiores Carceres extant, vel conſtito de inopia de alimentis proſpicitur, vel alias opportune, & ſummarie providetur. Altera eſt Congregatio *minus continua*, quæ ſemel in menſe peragitur, ad eos pręſertim viſitandos, qui ex gravioribus cauſis in ſecretis detinentur, eorumque Proceſſuum expeditioni, interpoſitis neceſſariis Decretis, conſulitur. Tertia demum *ſolemnis*, ſeù *gratioſa*, vocatur, quæ bis in anno imminentibus ſolemnitatibus Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. J. C. fieri ſolet, in eaque pro levibus delictis detenti in obſequium earumdem ſolemnitatum relaxantur, præſertim ſi pars offenſa non obſtet; pro cauſſis vero civilibus eadem benignitas cum debitoribus exercetur, inſtante præſertim aliqua ex duabus Congregationibus pro liberatione, & levamine Carceratorum erectis, quæ vel de proprio, vel conquiſitis eleemoſynis concordat Credito-

tores, & debitores dimitti e Carceribus poſtulat.

6. Verum cum ampliori methodo, & ordine Benedictus XIV. in Conſtitutione incipien. *Juſtitiæ gladium*, *edita* 12. *Maji* 1749. quæ eſt 8. ejuſdem Pontificis *tom.* 3. Carcerum Viſitationi proſpexerit, cumque alibi ejuſdem Conſtitutionis ſummam in hoc titulo recenſituros fore promiſerimus, præſtat, ut datam fidem hic impleamus. In enunciata igitur Conſtitutione *Juſtitiæ galdium* premittitur reorum omnium differentia, qui vel ad Carceres novos, vel Capitolinos ſunt tranſmittendi, atque ſtatuitur Capitolinos carceres illis deſtinari, qui de ordine Senatoris, aut alterius cujuslibet Judicis Capitolini, & conſequenter Tribunalium Agriculturæ, Viarum, Riparum, Rectoris, ſtudii, & e contra novi Carceres ad viam Juliam ab Innoc. X. translati illis præfiguntur, qui de ordine Cardinalis Vicarii, Gubernatoris, A. C., Theſaurarii, & cujuſcumque alterius Judicis, Tribunalis, & Congregationis Urbis in carceres detrudantur, atque in utroque carcere tres Congregationes, quas ſupra expoſuimus, ſtatuuntur, *ordinaria* ſcilicet, *extraordinaria*, & *gratioſa*, & die Jovis cujuslibet hebdomadæ alternatim *ordinaria* viſitatio præſcribitur, in alterutro ex dictis Carceribus peragenda.

7. Item Gubernatorem Urbis una cum Auditore Cameræ, duobus Ponentibus Conſultæ in Aſſeſſores Gubernii deſtinatis, aliiſque Miniſtris ſupra pariter recenſitis, ad viſitationem Carcerum novorum accedere debere mandatur; prout etiam Senatorem, & Conſervatores, aliique Capitolinæ Curiæ Officiales Capitolii carceres viſitant, inter quos ſedendi ordo ſtatuitur; excluſis item cauſſis civilibus pro materiis in eadem viſitatione tractandis

dis a Procuratoribus die Mercurii viſitationem antecedenti, duas detentorum in carceribus notulas cum qualitatibus cauſſarum diſtribuendas, ſancitur, reoſque ſuper exacta obſervantia Conſtitutionis Pauli V. ab eodem Benedicto XIV. confirmatę, & ampliatæ in Conſtitutione incipiente *Rerum humanarum* 16. *Decembris* 1747. quæ eſt 44. *tom.* 2. *ejuſd. Bullarii*, interrogandos eſſe, accito, & interrogato Judice cauſſę injungitur, ut opportuna deſuper decreta promantur; prout etiam dimittendos eſſe in cauſſis civilibus, & pecuniariis eos, qui ſolvendo omnino impares ſint, vel nulliter in carceres detruſos conſtiterit, ita tamen, ut Viſitatores circa merita cauſſarum ſe ingerere nequeant, ſed eas ad ſuos Judices reſpective remittant; quodque demum decreta in antecedente viſitatione facta deſcribantur, ut an fuerint exequuta nec ne in ſequenti viſitatione recognoſcatur. Ad hæc nihil circa cauſſas, ſive civiles, ſeu criminales attingendum in Viſitatione *extraordinaria* quolibet menſe habenda cavetur, ſed unice oculari inſpectione recognoſcendas Cameras, Officinas, aliaque omnia ad habitationem Reorum deſtinata, prout etiam ciborum qualitatem, & copiam illis dari conſuetam, & multo magis de gravaminibus, vel moleſtiis, quę a cuſtodibus, vel alio quovis iis inferantur, eoſdemmet reos interrogandos eſſe mandatur.

8. Eandem vero *extraordinariam* Viſitationem pro carceribus quidem Capitolii a ſolo Senatore cum uno ex Pręſulibus in Aſſeſſorem Gubernii, ut diximus, deſtinatis, Pręſule Congregationis Pietatis, Advocato Pauperum, Fiſcali, & Procuratore Pauperum Capitolii; novorum vero carcerum a ſolo Gubernatore Urbis cum altero Aſſeſſore, Pręſule

Congregationis Charitatis, Advocato Pauperum, Fiſcali Generali, & duobus Procuratoribus Cameræ, & Charitatis, excluſis aliis viſitatoribus, habendas eſſe ſancitur; & poſtremo circa ſolemniorem viſitationem, quæ *gratioſa* dicitur, quamque ſupra pariter expoſuimus, Reorum relaxationem ad formam Conſtitutionis 71. Pauli V. fieri debere decernitur, præcipue vero pro levibus delictis Viſitatorum arbitrio, pro pecuniariis autem, & civilibus cauſſis obtenta, ſive per Confraternitatem Pietatis, ſive alio quovis modo Creditorum quietantia. Hactenus de duabus Congregationibus tractatum eſt, quæ a Pontifice ſub repræſentantia Epiſcopi Urbis reperiuntur erectæ; nunc ad illas progrediendum, quæ in bonum totius Pontificiæ ditionis æquali ſollicitudine, & vigilantia fuerunt inſtitutæ, inter quas cum principem ſibi locum vindicet Congregatio Conſultationis, ſive Conſultæ, de illa erit pertractandum.

TITULUS XXIV.

De Sacra Conſulta.

INter præcipuas porro Cardinalium Congregationes pro Pontificiæ ditionis utilitate a Sixto V. in alias citata Conſtitutione 74. inſtitutas illa Conſultationis, ſeu Conſultæ eſt recenſenda ex ſatis apto Cardinalium, & Prælatorum numero cum Præſule Secretario reſultans, & bis in hebdomada convocari conſueta, diebus ſcilicet Martis, & Veneris, ne Sede quidem vacante excepta, quo quidem caſu vacationis Sedis, Secretarius captam juxta circumſtantias a Congregatione reſolutionem tribus

Capi-

Capitibus ordinum refert. Ejuſdemque Congregationis munus eſt tam in criminalibus, quam in civilibus cauſſis ſubditis providere. Quoniam vero in Inſt. Crimin. (*a*) de hujus Tribunalis, ſeu Congregationis facultatibus circa criminalia negocia, & in ordine ad criminalem Jurisdictionem, quam obtinet, verba ampliſſime fecimus, præſtat, ut quæ ibi in ordine ad auctoritatem civilem eidem Congregationi pariter competentem prætermiſimus, opportune nunc proferamus.

2. Tria igitur ſunt præcipua capita, ad quæ eadem Juriſdictio civilis redigitur; primum nempe excipit querelas a Vaſſallis contra Barones interpoſitas, eiſque œconomice, & prudentibus temperamentis, ſeu civiliter modum imponit. Ad hunc autem effectum licet raro ob alterius Congregationis inſtitutionem, quæ *de Confinibus* dicitur, ſe ingerere ſoleat, quia tamen infrequenter Congregatio iſthæc de confinibus convocatur, in controverſiis etiam illis quandoque Conſulta ſe ingerit, quæ inter Barones, vel loca ſuper confinibus excitantur, ut advertit Cardinalis de Luca (*b*).

3. Altera item ejuſdem Tribunalis civilis auctoritas eſt ſanitati optimæque valetudini ſubditorum accurate proſpicere, publicamque tranquillitatem procurare, unde quandocumque, vel peſtifera lues prætimetur, vel alterius contagioſi morbi metus exoritur, vel quid ſimile accidit, quod incolumitatem, vel tranquillitatem Status imminuere poteſt, proviſiones capit, quæ publicum bonum, ſartum tectumque cuſtodiant, & ſubditos ab imminenti periculo oportune præcaveant.

4. Tertia denique ejuſdem Tribunalis civilis aucto-

(a) *Sub hoc eodem titulo*. (b) *In relat. Curiæ diſcurſu* 25.

ctoritas, & *frequentior* eſt Canonicæ Miniſtrorum publicorum electioni præeſſe, atque decernere, ut rite illi eligantur, electionemque alias factam revocare, eodemque jure Decreta interponit, in admiſſione in albo Nobilium, vel eorum, qui inter cives cooptari contendunt, quos quidem ſi recognoſcat iis qualitatibus præditos, quæ a ſtatutariis Conſtitutionibus decernuntur, mandat admitti, ſin minus, jubet excludi; meritoque dixi *frequentiorem* hujus Tribunalis curam in hoc rerum genere eſſe repoſitam; In dies enim contingit ſimiles inſtantias fieri, ac promoveri, unde non leves vigilantiæ nervos expedit adhiberi, ne ſi de facili vulgares plebeique homines inter honeſtiores cives, vel viros nobiles adſcribantur, gradus iſti cum ſummo Reipublicæ detrimento, & civitatum dedecore deturpentur, atque vileſcant. Cæterum non eſt in hujus Tribunalis arbitrio repoſitum, Communitatum leges, & ſtylos evertere, & licet nomine Papæ reſcribat in cauſis ad illam delatis, tamen contra claram literam Apoſtolicarum Conſtitutionum quidquam decernere nequit, ut notat Conſtantinus (*a*), niſi forte Secretarius, vel Card. Præfectus, qui ſolet eſſe Secretarius Status, in particularibus circumſtantiis Pontificis oraculum capiat, cujus auctoritate, quemadmodum in dictis Inſt. Crimin. diximus, poſſe Gubernatoribus Laicis cauſas Clericorum committi, aliudque ſimile fieri Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Sacris Canonibus oppoſitum; ita, immo eò magis poterunt juſta concurrente cauſſa Communitatum Conſtitutiones, vel conſuetudines revocari. Cum vero altera extet Congregatio, quæ promovendo ampliandoque Pontificiæ ditio-

(a) *Vot. 309. tom. 2. n. 21. & ſeq.*

tionis bono erecta provide eſt, nempe Congregatio *Boni Regiminis*, ad hanc eſt merito properandum.

TITULUS XXV.

De Congregatione Boni Regiminis.

QUamquam Sixtus V. politico, civilique Regimini Eccleſiaſtici Status conſulere volens Congregationem, quę Conſultæ dicitur, in pluries memorata Conſtitutione 74. inſtituiſſet, de qua ſupra tractavimus, adhuc cum deeſſe videretur Tribunal alterum, quod œconomico Communitatum ejuſdem Status Eccleſiaſtici gubernio opportune præeſſet, Clemens VIII. ejuſdem Sixti Succeſſor in Conſtitutione 10. incipien. *Pro commiſſa* Congregationem iſtam erexit, quæ alterius, quæ Conſultæ dicitur, filia videtur, ut notat Cardinalis De Luca (*a*), & Boni Regiminis nuncupatur. Hujus vero Tribunalis, quod ex quibuſdam Cardinalibus, Pręfecto, & Secretario componitur, præcipuum munus eſt, non ſolum ſingularum Communitatum ſtatum diligenter reviſere, eiſque modum imponere, quo reſecatis inutilibus ſumptibus publica onera congrue ferant, verum etiam privative quoad omnes Judices ordinarios, vel delegatos cauſſas appellationum debitorum earumdem Communitatum, defalcationum, remiſſionum &c. quavis appellatione remota cognoſcere; unde eadem Congregatione inconſulta nequeunt earumdem Communitatum bona alienari, vel ab iis cenſus imponi, vel contractus alii, ex quibus vel leve reſultare poſſit earundem præjudicium, expleri, cum ad inſtar Tutoris ſupra perſo-

(a) *In relat. Curiæ diſc. 26.*

perſonas, & res pupillares Congregatio iſthæc ſupra Communitates præeſſe cenſeatur; eandemque juriſdictionem ampliavit Paulus V. in Conſtitutione 28. incipien. *Cupientes* eidem Congregationi concedendo, ut omnes, & ſingulas cauſſas tam civiles, quam criminales, & mixtas Status Eccleſiaſtici, exceptis unice cauſis Urbis, quæ per ordinarios Judices, vel Civitatum, quæ per Cardinales Legatos adminiſtrantur, per ſe, vel per ſuos Officiales, & miniſtros cognoſcere poſſet, injunctiſque etiam opportunis pœnis contra Debitores, vel delinquentes procederet. Ut vero eædem Communitates liberius poſſent in Urbe, & Curia gravamina, ſi quæ forte haberent, deducere, Agentes ſelecti, & deputati ſunt, qui earundem Communitatum negocia pertractent, in quibus, ut ad rem advertit d. Card. De Luca (*a*), illud eſſet maxime optandum, ut cum rerum agendarum peritia, æqualem zelum in adſiſtentia Communitatum conjungerent, neque aſſignata illis ſtipendia ad beneficia ſimplicia, nihil prorſus agendo, reducerent.

2. Plura autem ſunt, in quibus Benedictus XIV. editis a ſe, vel renovatis antiquioribus Apoſtolicis Conſtitutionibus, Communitatum Eccleſiaſticarum commodo cumulatius proſpexit; ne dum quippe Conſtitutione incipien. *Veterata*, quæ eſt *la* 38. *tom.* 3. *ejus Bullarii*, modum expeditiorem, & faciliorem judicandi cauſſas de damno dato, quæ frequentius eaſdem Communitates vexabant, præſcripſit, atque in certam formam redegit, verum etiam revocando Conſtitutionem Sixti V. *editam* 9. *Aprilis* 1588. *incipien. Romani Pontifices*, & confirmando poſteriorem alteram Conſtitutionem Clementis VIII. *edit.*

(a) *In relatione Curiæ h. tit.*

edit. 10. *Maji* 1592. pœnas damnorum datorum iiſdem Communitatibus præſtandas eſſe ſancivit, Judicum, Officialium, & Executorum emolumentis pro faciliori exactione ad eundem effectum aſſignatis. Acceſſit altera ejuſdem Pontificis Conſtitutio incipien. *Quamvis*, quæ eſt *la* 62. *ejuſdem Bullarii tom.* 3. qua licet Eccleſiaſticis jus interveniendi, & ſententiam dicendi in conſiliis ſuper rebus, & negociis eorum intereſſe tangentibus definierit, omne tamen inde Communitatum Eccleſiaſticarum detrimentum variis legibus opportune prçcavit; quodque plus eſt, generali altera Conſtitutione incipien. *Graviſſimarum edit.* 1. *Octobris* 1753. novam præſcripſit formam in Communitatum cauſſis exequendam, nec ſolum in variis punctis Cardinalis Præfecti juriſdictionem reſtrinxit, ſed in ea præſertim parte, qua liberum iiſdem Communitatibus jus, & facultatem competere declaravit, proprios agentes deputandi, ſublata Cardinali Præfecto aliter diſponendi facultate, ita tamen, ut originarios, vel cives in Urbe morantes cæteris præferre eædem Communitates tenerentur. Verum cum inter præcipuas optimi regiminis partes cenſeatur, ut qui gradu, & genere cæteros antecellunt, ſuum quod eſt, aliis rite impertiantur, & Creditoribus ſatisfaciant; item quod Baronum bona arbitrarie, & ſine cauſſa non alienentur; poſtremo, ut ſubditi, & Populus, ſive impoſitione, ſive exactione Tributorum plus æquo non prægraventur; cumque idcirco ultra Congregationem Boni Regiminis, de qua egimus, Congregationes aliæ, *Baronum* ſcilicet, *Confinium*, & *Gravaminum* fuerint inſtitutæ, ad has in præſenti, quæ in bonum totius Eccleſiaſtici Status pariter tendunt, eſt tranſeundum.

Digitized by Google

TITULUS XXVI.

De Congregationibus Baronum, Confinium, Gravaminum &c.

PLurimum ſane œconomico Status Eccleſiaſtici Regimini confert, ut mox innuebamus, quod Creditoribus abſque litium impendio ſatisfiat, ab illis præſertim, qui cum generis nobilitate præfulgeant, facilius pecunias mutuas ab aliis inveniunt. Id vero probe, optimeque animadvertens Clemens VIII. Conſtitutione 41. incipien. *Juſtitiæ* Congregationem pro ſatisfactione Creditorum cujuſcumque Baronis in Statu Eccleſiaſtico inſtituit, cujus quidem munus eſt, exhibitis a Creditoribus mandatis executivis per Judices relaxatis contra Barones, ſuper quibuslibet bonis ad commodum Creditorum, ea exequi facere, elapſoque menſe eadem bona ſubhaſtare, pretiumque inde retractum iiſdem Creditoribus ſolvere, & ſi quid ſupererit, ipſis Baronibus, ſi bona vendita nulli fuerint oneri, aut fideicommiſſo ſubnoxia; ſin minus, in aliorum bonorum ſtabilium cum præcedentibus oneribus, emptionem erogare. Habet verò hæc Congregatio Notarium diſtinctum, & in forma juridica cauſſæ ibi diſputantur, eamque Præfectus, aliquot Clerici Cameræ, Advocatus Fiſci, Commiſſarius Cameræ, & Auditor Theſaurarii componunt, qui omnes voto deciſivo fruuntur; cumque locorum Montium erectio ſtabilibus æquipolleat, idcirco hæc Congregatio de reductione, privilegiis, & commercio Montium agere itidem ſolet; eaque omnia accurate ſervare debet in earum rerum examine, quæ in Con-

Conſtitutione incipien. *Romanæ Curiæ* 115. Benedicti XIV. opportune ſtatuuntur, quam ſuprà agentes de Theſaurario protulimus.

2. Eodem autem jure conſulendi œconomico Status Eccleſiaſtici bono, quod certe poſtulat, ne caſtra, & dominia in Statu Eccleſiaſtico poſita, inconſulto Principe, in exteros, aut etiam ſubditos alienentur, quod provide vetuerant Sixtus V. in ſua Conſtitutione 3. incipien. *Sollicitudo*, Clemens VIII. in Conſtitutione 78 incipien. *Romanum*, Paulus V. in Conſtitutione 108. incipien. *Paſtorale*, & Urbanus VIII. in Conſtitutione 65. incipien. *Decens*; eodem inquam jure idem Urbanus in Conſtitutione 73. incipien. *Debitum* Congregationem alteram, quam Confinium dixit, provide erexit, ut alienationes, aut diſpoſitiones quæcumque caſtrorum, & dominiorum inconſulto Pontifice factæ irritarentur.

3. Neque eſt hoc loco prætereunda Congregatio altera, quam Sixtus V. in pluries citata Conſtitutione 74 utpote ad eumdem ſcopum promovendi œconomicum Status Eccleſiaſtici bonum directa, pari ſollicitudine erexit, quamque de Gravaminibus ſublevandis vocavit. Etenim ne populus S. Sedi ſubjectus plus æquo, vel impoſitione, vel exactione vectigalium a Miniſtris facta gravaretur, Congregationem nonnullorum Cardinalium, & & Prælatorum cum Secretario inſtituit, quæ gravamina quæcumque vectigalium, & tributorum, cujuſcumque generis illa ſint, eorumque exigendi rationes, Quæſtorum injurias, Commiſſariorum extorſiones, Judicii forma plane poſtpoſita, manuque regia audiret, atque cognoſceret, item ſi poſſit, controverſias componeret, & ſi res tranſigi nequiverit, eam ad Pontificem tandem deferret, ut is, quod

æquum fuerit, ejuſdem Congregationis conſilio definiat. Cauſſas vero omnes, in quibus Judicialis ordo requiritur, propriis Judicibus de jure decidendas, & reliquendas eſſe mandavit.

4. Porro præter Congregationes hactenus recenſitas aliæ etiam numerantur ad eumdem finem providendi Ditionis Eccleſiaſticæ bono pariter ordinatæ, præcipue vero Congregatio *Montium*, quæ quaſi filia Congregationis Baronum eſſe cenſetur, ut ſupra de Congregatione *Baronum* agentes advertebamus, quæque idcirco Congregationes licet diverſæ ſint, pro unica tamen reputantur, ut advertit Cardinalis De Luca (*a*); Item Congregatio altera, quæ dicitur *Computorum*, qua coram eodem Theſaurario, & in ejus domo cum Advocato, & Commiſſario Cameræ, & uno, aut altero Cameræ Apoſtolicæ Clerico, computa Miniſtrorum Cameralium, & Appaltatorum, item Nunciorum, & Collectarum Apoſtolicarum revidentur, a cujus quidem Congregationis decretis, prout ab altera *Montium*, ad plenam Cameram appellatur, cum de cętero a Congregatione Barorum ad ſolam Signaturam Gratię poſſit provocari; Iſtiſque omnibus accedunt Congregationes Annonę, Graſcię, Viarum, & Aquarum, quę tamen prolixiorem trutinam non expoſcunt, ſive quia raro convocantur, ſive quia ampliores illæ facultates, quæ antiquitus iſtis competebant, in diſtinctos, & ſeparatos Præſules, quos ſupra expoſuimus, videntur eſſe transfuſæ. Quamobrem abſolutis Congregationibus ordinariis pro œconomico, & temporali bono Pontificiæ ditionis erectis (de extraordinariis enim, quæ juxta occurrentes circumſtantias pro arbitrio Pontificum convocan-

(a) *Diſcurſ.* 28. *in relat. Curiæ*.

vocantur, agi non poteſt, ut quiſque videt) ad eas eſt Congregationes progrediendum, quæ non in ſimplici repræſentantia Epiſcopi Urbis pro Urbe, & diſtrictu, nec in altera Principis temporalis pro Eccleſiaſtico Statu, ſed pro ſpirituali univerſi Orbis Catholici bono a Summis Pontificibus in figura Supremi Paſtoris, & viſibilis Eccleſiæ Capitis ſunt inſtitutæ, quas inter cum Principem ſibi locum vindicet Conſiſtorium, & Congregatio Conſiſtorialis, de ea nunc differendum.

TITULUS XXVII.

De Conſiſtorio, & Congregatione Conſiſtoriali.

POrro ſi rerum Eccleſiaſticarum initia repetamus, primis Eccleſiæ ſæculis aliud non extitiſſe videtur Romani Pontificis Conſiſtorium, quam Synodus cum interventu Epiſcoporum ad Urbem vocatorum, vel in eadem Urbe forte exiſtentium, & Cleri Romani in figura Epiſcopi Urbis, ſive Metropolitæ Italiæ, ſive Patriarchæ Occidentis, ſive etiam Capitis Eccleſiæ, ob quadruplicem repræſentantiam in Romano Pontifice reſidentem, quam in Inſtitutionibus Canonicis expoſuimus (a), juxta circumſtantias rite coacta. Unde Romana Synodus ſub Bonifacio II. celebrata hoc initium habet = *Poſt C. Lampadii & Oreſtis V. C.C. ſub die VIII. Id. Decembr. in Conſiſtorio B. Andreæ Apoſtoli, præſidente Ven. Viro Papa Bonifacio*. Conſiſtorium vero in enunciatis verbis locum deſignat, ſive Eccleſiam huic Apoſtolo dedicatam, quam Baſilicæ Sancti Petri

(a) *Sub tit. De Rom. Pontifice*.

ſueverunt; unde Conſiſtorium locum illu n ex poſteriori diſciplina, & praxi præfert, in quo Pontifex, & Cardinales pro definitione graviorum negociorum conveniunt, ſive conſiſtunt; Exemplo enim Senatorum, quibus apud Romanos in more poſitum fuit ad graviora negocia tractanda, ſive in templum, ſive in alium determinatum locum una ſimul ſolemniter congregari, ut referunt Gellius (*a*), & Alexander ab Alexandro (*b*), quod & Servius docuit exponens illud Virgilii (*c*):

Tectum auguſtum ingens centum ſublime columnis;

ubi, *& niſi*, inquit, *in loco auguſto Senatus Concilium habere non poterat*; Etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui tum ratione honoris, & dignitatis, tum ratione muneris, & officii antiquis Senatoribus Romanæ Urbis ſucceſſiſſe videntur, ut fuſius advertimus in Inſt. Canon. (*d*), æquali pompa, & decore in Conſiſtorio in ſpeciem Senatus coram Pontifice aliquando convenire cœperunt, unde vel a conſiſtendo Conſiſtorium dicitur, quia Princeps cum ſuis primariis Conſiliariis una ſimul collectis conſiſtit, vel a conſultando, quia eoſdem de rebus publicis, majoriſque momenti conſultat, ut Gothofredus (*e*), & Vaneſpen (*f*) opportune notarunt.

3. Eſt autem duplex Cardinalium Conſiſtorium, primum ſcilicet eſt *extraordinarium*, *magiſque ſolemne*, ad quod ultra Cardinales Prælati etiam, aliique Miniſtri, necnon Principum Oratores, cæterique Magnates admittuntur, illudque præcipue agi-

(a) *Lib.* 14. *Noct. cap.* 7. (b) *Lib.* 4. *dierum genial. cap.* 12. (c) 7. *Æneid.* (d) *Sub tit. de Cardinalibus*. (e) *In notis ad leg.* 3. *Cod. de Off. omn. Judicum lib.* 1. *tit.* 10. (f) *Juris un. p.* 1. *tit.* 22. *cap.* 2.

agitur, quando de alicujus Servi Dei Canonizatione tractandum eſt, vel cum Galerus Cardinalitius Cardinalibus datur, vel demum cum Oratores Principum ad obedientiam Pontifici pręſtandam ſolemniter accedunt; alterum vero eſt *minus ſolemne*, in quo ſoli Cardinales interveniunt, quodque idcirco *ſecretum* dicitur, ad differentiam primi, quod *publicum* nuncupatur. Hoc autem Conſiſtorium, quod ad inſtar ſolemnis, antecedenti die cum præfixione horæ per Curſorem intimatur, & ad quod Cardinales Cappa magna, Rochetto, & Bireto induti æque ſe conferunt, pro Cardinalium creatione præcipue convocatur, in qua quidem Pontifex ante publicationem Cardinalium, pręſentium ſuffragium exquirit, licet Cardinalium votis non obſtringatur.

4. Solent præterea in eodem Conſiſtorio Legationes decerni, Epiſcopi item non quidem titulares, qui pro arbitrio Papę abſque Conſiſtorii ſolemnitate eliguntur, ſed ut inquiunt, Reſidentiales creari, Coadjutores Epiſcopis dari, aliqua pariter Monaſteria Regularia provideri, quæ idcirco Conſiſtorialia vocantur, hiſque ſimilia in eodem Conſiſtorio circa Cardinalium creationem, Epiſcoporum electionem, & Monaſteriorum Conſiſtorialium proviſionem ſolent expleri. Quamvis autem quod ſpectat ad Cardinales aliqua in Inſtitutionibus Canonicis (*a*) protulerimus, prout etiam de electione Epiſcoporum, quę Summo Pontifici reſervatur, ampliſſime egerimus (*b*); duo tamen hic opportune credimus ſuperaddenda, primum nempe ſpectare adeo ad Romanum Pontificem eorundem Cardinalium creationem, ut licet Oratores

(a) *Lib. 5. tit. 1.* (b) *In titulo de electione lib. 1. tit. 10.*

tores Regis Chriſtianiſſimi in obſervationibus ad decreta reformationis in Concilio Tridentino evulgatis circa ea, quę ſtatuuntur *ſeſſione* 24., tempore celebrationis ejuſdem Concilii contenderint, non plures eos eſſe debere, quam viginti quatuor, itemque, ut ex omnibus Chriſtiani Orbis Regnis, & Provinciis aſſumantur, ita tamen, ut ex eadem Urbe, & Diœceſi duo eligi nequeant, illi autem, qui eligendi ſunt, pietate, & conditione præſtantes, neque triginta annorum ætate minores, neque fratres, aut nepotes ex fratre, aut ſorore Romani Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis eſſe deberent, nulloque Archiepiſcopatus officio, beneficio Eccleſiaſtico, aut alia quavis cauſſa a perpetua aſſiſtendi Romano Pontifici ſollicitudine revocandos, & denique providendum, ut quorum eadem eſt dignitas, æqualis quoque ſit redditus, ut totidem verbis refert Vaneſpen (*a*); Obtinere tamen id nequiverunt, ex quo ſcilicet perſuaſum merito eſſet, nemini licere, præſcribere Romano Pontifici, quid in eligendis Cardinalibus eſſet ſervandum, ut idem Vaneſpen teſtatur; & merito quidem, ut dixi; Suppoſito enim, quod Cardinales ſint Pontificis Laterales, & Conſiliarii, ut penes omnes eſt certum, aſpero nimis jugo fuiſſet Pontificis auctoritas ſubjecta, ſi propoſitas has a Regiis Legatis leges ſervare debuiſſet.

5. Alterum vero quoad Electionem Epiſcoporum advertendum pariter arbitramur, quod in iiſdem InſtitutionibusCanonicis(*b*)ex induſtria prætermiſimus, rationabiliter ſcilicet hujuſmodi Epiſcoporum electionem Romano Pontifici fuiſſe reſervatam.

(a) *Juris Eccleſ. univerſi cap.* 1. *n.*23. (b) *Titulo de Electione*.

Etſi enim in prædictis Inſtitut. cauſſam hujus reſervationis protulerimus, prægrandes ſcilicet abuſus qui in electione primitus diverſimode acta contingebant; his etiam præciſis, ſuprema univerſæ Eccleſiæ procuratio, quam Chriſtus Dominus D. Petro, ejuſque ſucceſſoribus dedit (*a*), in illud certe conſpirat, ut dignos, idoneoſque viros ipſemet Pontifex ſubalternis, & inferioribus Eccleſiis præficiat, ut ſolide advertit inter alios Frances (*b*). Quemadmodum enim Petrus Apoſtolorum Princeps ordinaria auctoritate Apoſtolos ad prædicandum Evangelium deſtinavit, & licet iidem Apoſtoli ſubinde per univerſum Terrarum Orbem Epiſcopos elegerint; id tamen nonniſi poteſtate extraordinaria, & delegata a Petro, quæ in ipſis evanuit, præſtiterunt, ut inter alios notavit Paulutius (*c*); Ita aſſerendum eſt de quovis altero Archiepiſcopo, vel Patriarcha Epiſcopos aſſumente, ut ſcilicet id nonniſi conſulto Romano Pontifice, delegataque auctoritate ejus fieri valeat, ut concludunt citati per Thomaſſinum (*d*), & fuſe repetit Rigantius (*e*).

6. Ne tamen præpropere, & immaturo conſilio ad Epiſcoporum creationem Pontifices Romani deveniant, proceſſum præmittendum eſſe voluerunt de vita, doctrina, aliiſque qualitatibus Promovendi, in ea præſertim electione exequentes monitum Apoſtoli (*f*): *Nemini cito manum impoſueris*; quamobrem cum Tridentina Synodus (*g*) expreſſe non

(a) *Matth.* 21. *&* *Joannis* 2. (b) *De Eccleſia Cathedrali cap.* 3. *n.* 152. (c) *Juriſprud. Sacr. tom.* 1. *lib.* 2. *tractatu* 2. *capite* 15. (d) *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *per tot.* (e) *In regul.* 1. *Cancellariæ tom.* 1. *n.* 33. *& ſeq.* (f) *Ad Timoth. cap.* 1. (g) *Seſſ.* 22, *cap.* 2. *de reform.*

non definiiſſet, qua forma Inſtructio, ſive Inquiſitio de qualitatibus aſſumendi fieri deberet, id diſerte ſtatuerunt Gregorius XIV. (*a*), & Urban. VIII. (*b*). In iiſdem vero Conſtitutionibus cautum eſt, ex perſonis omni exceptione majoribus, & a quibus quævis abſit ſuſpicio fraudis, optimos mores, honeſtatem natalium, & ſanam doctrinam aſſumendorum comprobari, & deſuper Proceſſum confici debere; qui cum fuerint extra Urbem, a Nunciis, & Apoſtolicæ Sedis Legatis confectus eſſe debebit, ab iiſdemque regionibus, ubi morantur, ad Summum Pontificem erit remittendus, ut auditis Cardinalium ſuffragiis deinde Epiſcopum eligat.

7. Eo autem jure utimur cùm vigore prædict. Conſtit. de Epiſcopi electione tractatur, ut proceſſus iſte ad Urbem remiſſus, vel in Urbe actus, ſi promovendus in Urbe degat, ab aliquo Cardinali cum aſſiſtentia aliorum trium in Conſiſtorio proponatur, ea intercedente differentia, quod ſi de Eccleſia ſpectante ad nominationem alicujus Regis agatur, Cardinalis proponens illius Regni Protector eſſe debebit, qui tres alios Cardinales, nempe primum Epiſcopum, primum Presbyterum, & primum Diaconum habere in ſocios conſuevit, eoque caſu bis fit in duplici Conſiſtorio propoſitio, quarum prima vim electionis, altera confirmationis ſortitur, ut in cit. Inſt. Canonicis (*c*) advertebamus; ſi vero a Papa proponatur electus, una fit propoſitio, quæ electionis ſimul, & confirmationis obtinet auctoritatem, forſan ex eo, quod ſicuti

(a) *Conſtitutione incipiente Onus Apoſtolicæ, edita 1. Maji 1591. quæ extat tom. 2. Bullar.* (b) *In Inſtructione pro Proceſſuum confectione edita anno 1629. quæ refertur a Barboſa lib. 1. Jur. Eccleſ. cap. 8.* (c) *Dict. tit. de Electione.*

dignitatem aſſumantur. Exemplo enim examinis, quod Tridentina Synodus voluit ad parochiales Eccleſias præmitti oportere (*a*), de quo etiam tractavimus in Inſtitutionibus Canonicis (*b*), Gregorius XIV. qui antequam inter Cardinales adſcriberetur, tamquam Epiſcopus Cremonenſis Concilio Tridentino interfuerat, ad Pontificatum evectus, examen pariter promovendorum ad Epiſcopatum fieri juſſit (*c*), immediatuſque ejus ſucceſſor Clemens VIII. in Cardinalium Congregatione ad hunc effectum erecta, & coram Pontifice pro tempore convocanda, antequam Epiſcopatuum propoſitio in Conſiſtorio fieret, examen iſtud præmitti mandavit. Conſtat autem hæc Congregatio ex variis Cardinalibus, & Prælatis, quibus accedunt etiam qualificati Regulares, ſive in jure Canonico, ſive in Theologia peritiſſimi, fixumque inter Examinatores locum obtinent Viceſgerens, & Magiſter Sacri Palatii, cum de cætero reliqui pro Pontificis arbitrio ſeligantur. In hunc vero modum examen peragitur, ut ſcilicet duo inferiores Examinatores interrogent, promovendus autem quæſitis ſive in jure Canonico, ſive in Theologia ſibi propoſitis, genuflexus reſpondeat: Deinde alter ex Cardinalibus ejuſdem Congregationis interroget eo prorſus modo, quo priores, & ſic perficitur Examen, niſi forte Pontifici placeat quoque per ſe ipſum Promovendum interrogare: Tandem Examinatores Prælati, & Regulares exeuntes e loco examinis genuflexi teſtantur de idoneitate examinati per hæc verba: *Eſt idoneus*. Supereſt nunc, ut de Monaſteriis Conſiſtorialibus, quæ pariter in Conſiſtorio conferuntur, aliqua dicamus. 9. Mo-

(a) *Seſſ.24. cap.8 & 12. de Reform.* (b) *Lib. 1. tit. 23.* §. 40. (c) *Conſtitut. 6.*

9. Monaſteria porro iſta, ſeu Abbatiæ, licèt in Conſiſtorio plerumque conferantur (poſſunt enim conſulto Pontifice etiam per Datariam abſque Conſiſtorio expediri (non inde tamen id profluit, quod concordia quædam inter Pontifices, & Cardinales deſuper inita fuerit, ut ex Perardo Caſtel (*a*) aſſerit Vaneſpen (*b*), cujus quidem concordiæ nullum extat veſtigium, nec ex verbis, quæ a Pontifice providente proferuntur = *De Fratrum Conſilio* = eadem concordia deducitur, cum eadem loquendi forma in omnibus pene negociis, quæ in Conſiſtorio tractantur, adhiberi conſueverit, ſed potius ex eo, quod cum hæc Monaſteria ſint inſigniora, magiſque conſpicua, expediens viſum fuit, ut cum majori ſolemnitate in Conſiſtorio conferantur; ut notarunt Fragoſ. (*c*) & Cardinalis DeLuca (*d*), qui etiam advertunt, ea omnia, quæ pro electione Epiſcoporum requiruntur, pro harum quoque Abbatiarum proviſione debere concurrere; Ideoque ubi Epiſcopatus ad Regum nominationem conferuntur, etiam iſta Monaſteria ad eorundem Regum præſentationem providentur. Dicuntur autem Conſiſtorialia ea Monaſteria, quæ communi æſtimatione 200. florenorum redditum excedunt, ut advertit Rigant. (*e*), qui inſuper notat, unum ducatum de Camera, qui conſtituitur ex uno ſcuto auri in auro, & uno Julio argenteo, per hanc monetæ ſpeciem conflari, pluraque alia in hanc rem erudite pertractat. Quoniam vero, ut res in Conſiſtorio tractandæ maturius digerantur, Congregatio, quæ Conſiſtorialis dicitur, inſtituta eſt, tamquam Con-

(a) *In tractatu de uſu, & praxi Curiæ Rom. p.35.* (b) *Juris Eccleſ p. 1. tit. 22. cap. 2. n. 12.* (c) *De Regimine Reipublic. Chriſtian. tom. 2. lib. 3. diſp. 9. §. 3.* (d) *De beneſic. diſc. 4. n. 2.* (e) *In regul. 2. Cancell. §. 2. tom. 1. n. 4.*

Conſiſtorii Conſultrix, ut inquit Cardinalis De Luca (a), præſtat, ut de ea aliqua proferamus.

10. Igitur ex competenti Cardinalium, & Prælatorum numero cum Secretario, compoſita eſt hæc Congregatio, in eaque præcipue diſcutiuntur Suffraganeorum Epiſcopis aſſignatorum deputatio, Coadjutorum iiſdem Epiſcopis datorum proviſio, Epiſcopatuum erectiones, eorumque reſignationes, aut translationes, de quibus aliqua non incongrue hic attingemus.

11. Suffraganeorum ſane nomine veniunt Epiſcopi, qui Archiepiſcopo, ſeu Metropolitæ ſubduntur, ut in Inſtitutionibus Canonicis advertebamus (b), vel qui alterius Diœceſim in actibus tum Ordinis, tum Juriſdictionis adminiſtrant, vel demum, qui exceptis actibus juriſdictionis, miniſterium Ordinis agunt, ut expendit Benedictus XIV. (c). Igitur quod ſpectat ad deputationem horum Suffraganeorum, Congregationis Conſiſtorialis munus eſt diligenter, & ſerio inveſtigare, an conditiones concurrant ad hunc effectum a ſacris Canonibus requiſitæ, præcipue vero, ut vera urgeat neceſſitas eruta, ſive ex habituali Epiſcopi infirmitate, vel ſenectute, ſive ob Diœceſis amplitudinem, ita ut ipſe non valeat per ſe Ordinis munia exercere; ulterius, ut præcipue conſtet hujuſmodi Suffraganeos in eadem Diœceſi alias deſtinari conſueviſſe; tertio, ut Presbytero titulo alicujus Epiſcopalis Eccleſiæ in partibus inſignito, vel qui inſigniri poſtuletur, Suffraganei gradus conferatur, eademque perſona illis debebit qualitatibus præpollere, quæ in promovendis ad Eccleſias Epiſcopales exiguntur; quarto

(a) *In relatione Curiæ ſub tit. de Conſiſt.* (b) *Sub tit. de Epiſcopis.* (c) *Lib. 13. cap. 14. de Synod. Diœceſana.*

to demum, quod tercentorum ducatorum certa ſolutio, & aſſignatio Suffraganeo conſtituatur, ut referendo decretum conſiſtoriale deſuper editum a Sancto Pio V. notavit Fagnanus (*a*); His autem requiſitis concurrentibus, alterum quoque Epiſcopo Suffraganeum quandoque Apoſtolica Sedes indulſit, ſarta tamen, tectaque ſervata alia congrua priori Suffraganeo præſcripta; cumque vix aliquando par eſſe poſſit, & ſufficiens eadem congrua Suffraganeorum ſuſtentationi, patitur etiam juſta concurrente cauſa Apoſtolica Sedes, & clementer indulget, ut Canonicatum, aut alia his ſimilia beneficia retineant, dummodo divinus cultus inde non minuatur.

12. Alterum quoque rerum genus, circa quas Congregatio Conſiſtorialis verſatur, eſſe ſolet Coadjutoris cum futura ſucceſſione in Epiſcopatu deputatio. Diximus jam in Inſtitutionibus Canonicis (*b*), auctoritate Romani Pontificis (cui ex decreto Tridentini (*c*) facultas diſpenſandi in iis, quæ diſciplinam reſpiciunt, præſervata literaliter eſt) poſſe Coadjutores Epiſcopis cum futura ſucceſſione deputari, atque nonnulla earundem Coadjutoriarum etiam antiquitus actarum exempla protulimus. Ut autem obloquentium querelæ removeantur, ad Congregationem Conſiſtorialem ſpectabit diligenter exquirere, an ea ſit Epiſcopi, qui Coadjutorem poſtulat, conditio, ut Eccleſiæ ſuæ gubernio amplius præeſſe non poſſit: an ulterius deſignatus Coadjutor iis qualitatibus polleat, quibus Epiſcopatu dignus exiſtat; & demum, an intereſſe habentium; aut ſcilicet Electorum, aut Principum, cui jus no-

(a) *In cap. Epiſcopali n. 48. & ſequent. de privilegiis.*
(b) *Titulo 14. libri primi.* (c) *Cap. 21. Seſſione 25. de reformat.*

nominandi fuerit a S. Sede conceſſum, conſenſus accedat, atque concurrat. Iis vero omnibus conditionibus inveſtigatis conſecrabitur quidem Coadjutor, ut ea, quæ Ordinis ſunt, valeat obire, at aſſumpto titulo Eccleſiæ alicujus in partibus infidelium, titulo illius Eccleſiæ, cujus adminiſtrationi præficitur, durante vita Coadjuti, privabitur, ne a duplici Epiſcopo una, eademque Eccleſia regi videatur.

Accedunt his Epiſcopatuum erectiones, necnon Epiſcoporum translationes, vel renunciationes, quę pariter a Congregatione Conſiſtoriali diſcutiuntur. Sane quod ſpectat ad Epiſcopatuum erectiones, res paucis abſolvitur. Quemadmodum enim perſpicua ſunt verba Cœleſtini III. *in Capitulo Sicut unire, de exceſſibus Prælatorum*, quibus unire Epiſcopatus, atque poteſtati ſubjicere alienæ, aut alio quovis modo de iis diſponere ad Summum Pontificem pertinere declaratur, quibus quidem verbis conſonant alia Joannis XXII. *in extravagante Sedes Apoſtol. de conceſſione præbendæ*, ita Congregationis Conſiſtorialis erit inquirere, an eæ circumſtantiæ interveniant, quæ uniones, vel diſmembrationes, vel novas erectiones Epiſcopatuum expoſtulent. Agentes autem primo de translatione, mox ad renunciationem progredientes. Quoniam, ut innuimus in Inſtitutionibus Canonicis (*a*), urgens cauſſa neceſſitatis, vel majoris utilitatis pro translatione Epiſcopi intervenire, & concurrere debet, hanc omnino debebit Congregatio Conſiſtorialis perſcrutari, itemque an Epiſcopus per plures annos in priori Eccleſia rite reſederit. Et licet, ſi de Cardinalibus ſermo ſit, qui velint a vinculo ſuarum Eccleſiarum eximi, ut in Urbe Romano Pontifici

 adſi-

(a) *Lib. 1. tit. 15.*

adſiſtant, cauſſæ probatio rigide probanda non ſit, in illis tamen pari jure requiritur, ſi ad aliam Eccleſiam migrare contendant, ut notavit Fagnanus (*a*). Ejuſdemque cauſſæ probatio Congregationi Conſiſtoriali pariter exhibebitur, ſi de renunciatione tractetur, præcipue vero ſi Epiſcopum inviſum odioſumque Eccleſiæ ſuæ evaſiſſe conſtiterit, vel ex quovis tandem capite, ſive morum, ſive morbi, ſive plebis, minus aptus ejuſdem Eccleſiæ regimini videatur, ut fuſius in iiſdem Inſtit. Can.(*b*) adnotavimus. Neque erit altera prætereunda probatio redditum Eccleſiæ, qui pares ſint detrahendæ penſioni pro Reſignantis ſuſtentatione quatenus idem Reſignans de proprio ſe ſuſtentare non poſſit, ſuper quibus omnibus eidem Congregationi una cum articulis teſtes proferentur. Nunc ad Congregationem ſupremæ Inquiſitionis, ſeu S. Officii, per quam pariter univerſi Orbis bono proſpicitur, tranſeamus.

TITULUS XXVIII.

De Congregatione Sacræ Inquiſitionis, ſeu S. Officii.

QUamquam plura de hujus Tribunalis origine & methodo, quà procedere ſolet, protulerimus in Inſtit. Criminalibus (*c*), cùm tamen aliqua conſulto prætermiſerimus in hac Romanæ Curiæ praxi exponendà; præſtat, ut quæ ibi deſiderantur, quæque huic reservavimus loco, opportune nunc ſubjiciamus. Quum igitur ex variis hæreti-

(a) *Cap. Niſi cum pridem n. 57. de Renunc.* (b) *In Inſt. Can. tit. de Renunc.* (c) *In lib. 1. ſub hoc eodem titulo.*

reticorum erroribus diverſo tempore diſſeminatis, experientia plane demonſtraverit, vere fuiſſe ab Apoſtolo Paulo prolatum (*a*). *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*; Nihil antiquius habuit Eccleſia, quàm opportunis, ſalutaribusque remediis præcavere errores futuros, & in iiſdem erroribus inſordeſcentes debitis pœnis tam pro eorum emendatione, quàm pro aliorum exemplo coercere, eamque poteſtatem eidem Eccleſiæ ampliſſime ineſſe ſatis ſuadent verba Chriſti Domini Petro: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum* (*b*), & (*c*) *Paſce oves meas*. Hoc ipſum inſuper innuunt verba (*d*) ad omnes Epiſcopos directa: *Attendite vobis, & univerſo Gregi &c.* Confirmatur ulterius, ex quo alias non verificarentur verba ejuſdem Apoſtoli (*e*), & Joannis (*f*) *Unus Deus, una Fides &c.* Si enim cuique impune fas eſſet, quod magis liberet dogma recipere, inutiliter omnino Caput Eccleſiæ, ſeu Rom. Pontifex oves ſibi concreditas paſceret, & æque inutiliter Epiſcopi commiſſo ſibi gregi invigilarent, ii in confeſſione unius Dei, uniuſque fidei perſiſtere recuſantes damnare non poſſent; talique ſaltem medio in viam veritatis, & ſalutis eoſdem redigerent. Quodque plus eſt, deterioris eſſet conditionis Eccleſia, quàm Synagoga, cui tamen dediſſe Deum poteſtatem puniendi ad Idola accedentes exploratiſſimum eſt, ut egregie ponderat Sanctus Cyprianus (*g*). Accedunt his, in idemque conſpirant tùm verba Apoſtoli (*h*): *Quid mihi de iis, qui foris ſunt*: ut probe hinc intelligamus de iis, qui foris non ſunt, Eccleſiam poſſe, & debere judi-

Ff 2 cium

(a) *Ad Corinthios* 2. (b) *Matt.* 16. (c) *Joannis* 20. (d) *Actorum* 20. (e) *Ad Epheſ.* 4. (f) 14. (g) *Lib. de exhort. Martyr. cap.* 5. (h) *Ad Corinth.* 5.

cium pronunciare, tum etiam perpetua, & conſtans obſervantia, ſeu Eccleſiæ diſciplina, qua ſaltem poſt Conſtantini baptiſmum, redditamque eidem Eccleſiæ pacem, coercitivam hanc poteſtatem exercuit, ultimoque etiam ſupplicio hæreticos condemnavit.

2. Licet autem Epiſcopi tamquam inſpectores Dominici gregis non ſolum contra hæreticos poſſint, ſed teneantur inquirere, ut ſignanter habetur *in capitulo Ad abolendam, de hæreticis in 6.* unde dicuntur Inquiſitores nati, & per Congregationem Inquiſitionis erectam, de qua infra, ademptam iis non fuiſſe inquirendi contra hæreticos poteſtatem, luculenter inter alios oſtendit Benedictus XIV. (*a*); Quia tamen difficile potuiſſent ſoli ipſi contra delinquentes in materia Fidei inquirere, atque procedere, idcirco oportuit Religioſos quoſdam deputari, ſubindeque in variis Regnis, Inquiſitionis Tribunal provide fuit inſtitutum, nempe anno 1483. in Hiſpaniis a Sixto IV., anno 1531. in Portugalliæ Regno a Clemente VII. & demum a Paulo III. anno 1542. in Urbe amplius pariter fuit Tribunal ad hunc effectum erectum, cum facultate creandi Inquiſitores, ſupremamque exercendi in univerſa Eccleſia auctoritatem, ut patet ex Conſtitutione ejuſdem Pontificis incip. *Licet, quæ eſt tertia*, & ex aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis ejuſdem confirmatoriis, quas Sixtus V. in ſua pluries citata Conſtitutione 74. renovavit, & ampliavit.

3. Cum vero in forma veri Tribunalis eadem Congregatio Inquiſitionis Urbis fuerit redacta, non ſolùm certo Cardinalium numero, qui a Paulo III. ad ſex, a Pio IV. ad octo fuerat redactus, poſt Conſti-

tut.

(a) *De Synodo Diæceſana lib. 9. cap. 4.*

tut. autem Sixti V. 74. duodenarium numerum non ſolet excedere, niſi aliud Pontifici videatur, ſed opportunis etiam Miniſtris proviſa eſt; Inquiſitore ſcilicet tamquam Judice ordinario, qui (excepta Tuſcia, & nonnullis Civitatibus dominii Veneti, ubi a PP. Conventualibus, necnon Hiſpania, ubi a Clericis ſæcularibus Inquiſitoris munus exercetur), ſolet eſſe ex Dominicana Familia in memoriam Sancti Dominici, qui vel primus creditur Inquiſitor, vel quia plurimum pro hujus Tribunalis erectione adlaboravit, licet primum Inquiſitorem, ſi non quoad nomen, ſaltem quoad munus conſtitutum fuiſſe B. Petrum de Caſtronovo Monachum Ordinis Ciſtercienſis in Cœnobiis Fontis frigidi in Francia teſtetur Ludovicus Paranus (*a*); Notario inſuper, vel Notariis pro Inquiſitoris arbitrio; Promotore Fiſcali, qui ſupplet vices Accuſatoris, & Fiſci; Reorum advocato, qui pro Reis ſcribere ſolet; Depoſitario, qui reddituum Tribunalis curam habet, ex quibus ſalaria Inquiſitorum, aliorumque ſumuntur; & demum Aſſeſſore, qui Inquiſitorem, ſeu ordinarium Judicem adjuvat, & quaſi cum eo eandem in cauſſis operam præſtat, niſi affirmare velimus amplius longe pondus ab Aſſeſſore ſuſtineri propter examen cauſſarum civilium ad Tribunal ipſum ſpectantium, eorumque omnium, qui Tribunali inſerviunt, vel ejuſdem patentalibus litteris muniuntur, quorum quidem omnium cauſſæ civiles, criminales, & mixtæ, ratione exemptionis a quovis altero Judice, privative ab eodem Aſſeſſore noſcuntur, cum jure tantum recurrendi in ſecunda Inſtantia in plena, ut inquiunt, Cardinalium Congregatione. Quibus omnibus accedit, & tamquam ſubalternus Miniſter adſcri-

(a) *Lib. 2. de Origine Inquiſ. cap. 1.*

adſcribendus eſt Capitaneus, ſeu Dux ſatellitum, qui prævio Inquiſitoris, ſeu Aſſeſſoris mandato cum armata familia Tribunalis ad capiendos delinquentes eſt deſtinatus, *ex Clementin. Nolentes porro, de hæreticis*.

4. Decipiuntur autem, & inſigniter profecto ii omnes, qui Inquiſitionis nomen propter ideatum quendam nimium rigorem pertimeſcunt, ut ſolide oſtendit Benedictus XIV. (*a*), Præſertim quia ſtylus ille, quo in criminalibus cauſſis procedi regulariter ſolet, ne dum alienus non eſt a diſpoſitione, & cenſura juris communis, ſed eidem eſt undequaque conformis; Et licet ſumma omnium perſonarum in confectione Proceſſus contra reos, vel ſponte comparentes, vel Inquiſitionis auctoritate ad Tribunal vocatos Religio exigatur in ſecreto ſervando, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, aliiſque arbitrariis, prout aliorum etiam ad quos talis notitia forte pervenerit, ne interim poſſint delinquentes criminis conſcientia perciti fugam arripere, & Tribunalis auctoritatem eludere; Præmittitur tamen indiſtincte, antequam decernatur captura, & ſemper præſupponitur ſemiplena ſaltem delicti probatio ex legitimis Judiciis reſultans, atque in actis redacta, eoque uberiora deſiderantur, ſi de perſona nobili, optimæque famæ tractetur, ut firmant Farinaccius (*b*), & Carena (*c*); Reoque in carceres detruſo, eo prorſus modo proceſſus eſt conficiendus, quo quævis altera criminalis cauſſa expeditur, retenta ſcilicet triplici illa ſpecie proceſſus informativi, repetitivi, & defenſivi, & ab iiſdem fontibus probationes mutuando, vel teſtium ſcili-

(a) *De Synod. Diœceſana lib.* 1. *cap.* 11. *ſ.* 7. *& ſequent.*
(b) *Quæſtione* 181. *n.* 7. (c) *Part.* 3. *titul.* 2. *n.* 25.

ſcilicet, vel ſcripturarum, vel confeſſionis ejuſdem Rei, prout in aliis cauſis fieri ſolet, noſque in Inſtitutionibus Criminalibus expoſuimus (*a*).

5. Neque profecto diſpar eſt ratio hujus Tribunalis circa reorum torturam; ea enim, quæ in materia tormentorum, de eorum ſpeciebus, item de eorumdem gradibus, & de cauſſis, in quibus tormenta inferri non poſſunt, de jure communi ſtatuuntur, etiam in Tribunali ſacræ Inquiſitionis exequi ſolent per ea, quæ late expendit Bordonus (*b*); Cumque demum in aliis criminalibus cauſſis facto experimento innocentiæ, vel reitatis reorum per torturam, ſententia proferatur, idipſum omnino agitur in hoc Tribunali, adeo tamen, ut ſi reo pœna capitalis ſit inferenda, quia Eccleſia a ſanguine abſtinet, tradatur is Curiæ ſæculari, ut eamdem ſententiam exequatur, ut late advertunt P. Hunoldus Plettembergius Soc. Jeſu praxim hujus Tribunalis ampliſſime exponens in libro edito Hildeſii anno 1693. quem inſcripſit, *Notitia Congregationum, & Tribunalium Curiæ Romanæ*, extatque in eamdem rem opus inſcriptum *Sacro Arſenale, overo Prattica dell'Offizio della Sacr. Inquiſizione del P. Inquiſitore Tomaſo Menchini Domenicano*, quod editum fuit Rom. an. 1730. ex Typographia S. Michaelis ad Ripam.

6. Materiæ porro, quæ in hoc Sacro Tribunali tractantur, illæ ſunt, quæ ad Religionem aliquo modo rediguntur, ſive illa ſunt crimina, per quæ, vel falſum dogma ab aliquo ſuſtinetur, vel ſuſpicio falſi dogmatis præſefertur, quò ſpectant hæreſis, blaſphemia hæreticalis, ſortilegia, abuſus Sacramentorum, ſollicitatio ad turpia, aliaque hujuſ-

(a) *Lib. 3. per tot.* (b) *In Manuali Conſultor. ſect. 76. de Tortura Reorum.*

Google

hujuſmodi, ut ex variis Apoſtolicis Conſtitutionibus ſe manifeſtat. Quamobrem procedit contra Saracenos, qui ad Chriſti fidem converſi ad Saracenorum ſectam redierunt (*a*): contra Chriſtianos ad Judæorum ritus tranſeuntes, & Judæos converſos ad eoſdem redeuntes (*b*): contra Hæreticos judicialiter confeſſos, & obſtinatos, etiam illorum Dœceſanis irrequiſitis (*c*): contra Hæreticos, eorumque Fautores, & proceſſui Inquiſitionis ſeſe opponentes (*d*): & contra quoſcumque etiam exemptos in cauſſis Fidei (*e*). Præterea contra quoſcumque Regulares in cauſſa hæreſis (*f*), etiamſi eorum Superiores prævenerint (*g*); Ulterius contra Corcionatores proferentes propoſitiones ſcandaloſas, vel a Fide aberrantes (*h*); contra Maleficos (*i*); contra ſortilegos cum diabolo facientes pactionem, ac a fide apoſtatando alios lædentes (*k*); contra Aſtrologos Judiciarios (*l*); & contra eoſdem, qui de Statu Reipubl. Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu de vita Romanorum Pontificum, aut ejus Conſanguineorum judicia facere, necnon eos, qui illos deſuper conſulere præſumpſerint (*m*); contra omnes pariter Regulares audentes in publicis concionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque acti-

(a) *Greg. XI. Conſtitutione 2. incipien. Admodum*. (b) *Nicolaus IV. Conſtit. 1. incipien. Turbato*. (c) *Alexander IV. Conſtit. 9. incipien. Ad capiendum*. (d) *Innoc. IV Conſtit. 16. incipien Quia*. (e) *Alexander IV. Conſtit. 22. incip Ne commiſſæ, Pius IV. Conſtit 51. incip. Paſtoralis, Paulus V. Conſt. 26. incip. Romanus*. (f) *Clemens VIII. Conſtit. 27 incip. Cum ſicut*. (g) *Paulus V. Conſt. citata*. (h) *Paulus III. Conſt. 3. incip. in Apoſtolicis*. (i) *Innoc. VIII. Conſt. 1. incip. Summis*. (k) *Gregor. XV. Conſtit. 46. incip. Omnipotens Dei*. (l) *Sixtus V. Conſtitutione 17. incip Cæli, & Terræ Creator*. [m] *Urbanus VIII. Conſtit. 8. Inſcrutabilis*.

actibus publicis aſſerere, Beatiſſimam Virginem cum peccato originali fuiſſe conceptam, ex decreto Congregationis Univerſalis Inquiſitionis habitæ in Palatio Apoſtolico coram Paulo V. 31. Auguſti 1617. idque contra aſſerentes idem in Sermonibus, ſcriptiſque privatis extendit eadem Sacra Congregatio coram Gregorio XV. (*a*); & tandem cum ad conſervandam ſanam, orthodoxamque doctrinam plurimum conferat librorum lectio, & retentio ab omni erroris macula immunium, huic etiam Congregationi conceſſum eſt, libros poſſe interdicere, quos erroneos deprehenderit, eorumque lectionem, & retentionem, ſi ſubverſionis, & ſcandali periculum abſit, permittere, ex Conſtitutione Gregorii XV. incipien. *Apoſtolatus Officium* 40. Quibus accedunt delicta alia ſacræ Inquiſitioni pariter reſervata, nempe ſollicatio ad turpia in ſacramentali confeſſione, & mulierum pœnitentium ad inhoneſta facta provocatio (*b*), quod ampliſſime confirmavit Bened. XIV. (*c*), celebratio item Miſſarum, vel Sacramentorum miniſtratio ab iis exercita, qui ad Sacerdotium promoti non ſunt (*d*), quod itidem renovavit Benedictus XIV. (*e*); & demum abſolutio Pœnitentibus denegata, niſi complices manifeſtent (*f*), quod pariter ſtatuit Benedictus XIV. (*g*).

7. Quoniam vero diximus, a Benedicto XIV. antiquiores Conſtitutiones Apoſtolicas in triplici præſertim puncto fuiſſe renovatas, & ampliatas, nem-

(a) 24. *Maji 1622. Barboſa in Collectione Bullar. V. Inquiſitores.* [b] *Pius IV. Conſt. 31. incip. Cum ſicut.* [c] *Conſtit. 20. & 120. tom. 1. Bullar.* [d] *Urbanus VIII Conſtit. 79. incip. Apoſtolatus.* [e] *Conſt. 97. tom. 1. & Conſt 4. tom. 4.* [f] *Gregorius XV. Conſt. incip. Univerſi.* [g] *Conſtit. incip. Suprema, quæ eſt octava in Bullario tom. 2. part. 2.*

pe pro eo, quod reſpicit ſollicitationem ad turpia, item denegatam a Confeſſariis abſolutionem ob non factam complicium manifeſtationem, & demum ob celebrationem Miſſæ, vel ſacramentales Confeſſiones exceptas ab illis, qui Sacerdotes non ſunt, præſtat, ut iſtas Conſtitutiones Benedictinas uberius exponamus. Igitur quod ſpectat ad delictum ſollicitationis ad turpia, de quo late tractavimus in Inſtitutionibus criminalibus (a), ne dum ab eodem Pontifice confirmatum reperitur generale decretum Congregationis ſacræ Inquiſitionis 5. Auguſti 1745. circa onus denunciandi, & pœnas a denunciatis ſubeundas, quod etiam refertur in appendice ad tomum 2. ejus Bullar n. 8. ſed præcedenter in Conſtitutione *Sacramentum Pœnitentiæ, Kalend. Junii* 1741. quæ eſt *la* 20.*tom.*1. *ejus Bullar*.ad magis retrahendos Confeſſarios ab hoc execrabili ſcelere, quo, medium ad animarum ſalutem inventum, & meritis Chriſti inſtitutum, in contrarium effectum temere retorquetur, inhabiles declarantur ſollicitantes in mortis articulo ad ſacramentalem abſolutionem iis impertiendam, cum quibus forte deliquerant. Quæ tamen Conſtitutio ad meliorem trutinam inde redacta, per poſteriorem alteram Conſtitutionem ejuſdem Pontificis incip. *Apoſtolici*, *editam* 8. *Februarii* 1745. quæ eſt *la* 130. *tom.* 1. provide fuit declarata, ſcilicet præcedenti Conſtitutione anni 1741. inhabilitatem abſolvendi Confeſſariis complicibus in peccato turpi ſtatutam, locum non habere, ſi Sacerdos alter non exiſtat, qui Pœnitenti moribundo ſacramentalem abſolutionem valeat impertiri, immo eadem inhabilitas remiſſa undique eſt, ſi Infamiæ, aut Scandali periculum abſit, quod tamen

[a] *Sub titulo de delictis Clericorum.*

men præverti, aut amoveri jubetur, ita tamen, ut ſi amotum forte, & prçventum ex induſtria non fuerit, adhuc valida ſit abſolutio, ſi aliunde pœnitens ſit ſatis diſpoſitus; Sacerdos tamen majorem excommunicationem, aliaſque pœnas incurret in eadem Conſtitutione enunciatas.

8. Fuit porro alias quæſitum, an perſonæ ſollicitationem paſſæ admonitæ aConfeſſario de onere denunciandi ſollicitantem, antea rem poſſent denunciando communicare, ut adeundo ſacrum Tribunal ſibi præventive conſuleret, egregie autem controverſiam tractat Benedictus XIV. (a), qui quidem a generica quæſtionis reſolutione præſcindens, in ſpecie definit, fraternam monitionem non ſuffragari, nec ab onere denunciandi ſollicitatum eximere, etiamſi fraternam monitionem præmittere voluerit, idque variis etiam congeſtis DD. ſententiis in idem tendentibus firmat.

9. Æquali autem providentia idem Bened.XIV. *in citata Conſtitutione 97. tom. 1. Bullar.* anteriores Conſtitutiones Pontificum circa aliud punctum confirmavit, & ampliavit, quod celebrationem Miſſæ, vel ſacramentales Confeſſiones reſpicit ab iis exceptas, qui ad Sacerdotium non fuerunt aſſumpti; in eadem quippe Conſtitutione, ne dum hujuſmodi reos a Judicibus Inquiſitionis, Curiæ ſæculari tradendos edicitur, verum etiam ad hujus criminis probationem ſtatuitur, Teſtes ſingulares ſufficere, ſi non ad pœnam, ſaltem ad torturam. Fiſci item intentionem ex relatione ordinariorum probari, & onus probandi contrarium in reum transfundi. Ampliantur itidem Conſtitutiones Apoſtolicæ contra celebrantes unam partem Miſſæ, dummodo ele-

[a] *De Synodo Diœceſana lib. 6. cap. 11. §. 9. & ſequen.*

elevationem ſacræ Hoſtiæ peregerint, & demum eædem pœnæ contra non promotos ad Sacerdotium extenduntur, excepto dumtaxat caſu, quo abſolutionis formam non protulerint. Idque amplius idem Pontifex declaravit Conſtitutione incip. *Divinarum, humanarumque Legum*, *edita Idibus Auguſti* 1757. quæ eſt *in ejus Bullario tom*.4. qua quidem declaravit, ad utriuſque criminis pœnas incurrendas ſufficere, ſi Reus in primo generali conſtituto quomodolibet reatum ſuum fateatur; adhuc enim Curiæ ſæculari eumdem tradendum eſſe decernitur.

10. Neque demum prætereunda eſt Conſtitutio ejuſdem Pontificis incip. *Suprema*, quæ eſt *in Bullar. tom.* 2. qua onus denunciandi ſtatuitur contra Confeſſarios denegantes Pœnitentibus abſolutionem niſi complices manifeſtent, credendo forſan hanc praxim licitam, & honeſtam eſſe, quo quidem in caſu in dogmate errant, alias enim a ſimplici Ordinario puniendos eſſe cavetur; quod etiam habetur in Epiſtola Encyclica ejuſdem Pontificis ad Epiſcopos Portugalliæ, & Algarbiorum directa, quæ eſt *la* 124. *tom.* 1. *Bullar.*, ubi etiam pœnę contra hujus criminis reos cumulate exponuntur.

11. Solet poſtremo hæc Inquiſit. Congregatio ſe ingerere in Diſpenſationibus matrimonialibus ab illis petitis, qui ſolemni caſtitatis voto obſtringuntur, ut eo ſcilicet non obſtante ad ſæcularia vota pertranſeant; Quamviſque in iis, qui Subdiaconatus dumtaxat ordine initiati ſunt, concurrente publica cauſa, præſertim ſervãdæ, ampliandæque Religionis, aliquando id permittere conſueverit, imo ex ſimili cauſſa non hæſitaverit aliquando cum ipſis Presbyteris, & cum Regul. profeſſis diſpenſare, quibus ultra præceptum Ec-

[a] *Lib.* 2. *tit.* 8.

Eccleſiæ ſacro Ordini adnexum, ſolemne etiam votum ab ipſis diſerte emiſſum reſiſtit, rara tamen eſt hujus diſpenſationis conceſſio, ne ſenſim, & ſine ſenſu obligatio ſervandi caſtitatem in Eccleſia Latina ob frequentiam diſpenſationum tepeſcat, ac minuatur. Late de hoc Rigantius (a), noſque etiam in Inſtitutionibus Canonicis hac de re ampliſſime egimus.

12. Ter porro in hebdomada Congregatio iſthæc convocatur, primo ſcilicet die Lunæ in ædibus Tribunalis ejuſdem prope Sanctum Petrum erectis, qua quidem die proceſſus contra reos, ſive in Urbe, ſive in partibus facti referuntur, aliæque proviſiones in cauſſis emergentibus opportune a Conſultoribus, Aſſeſſore, & Commiſſario capiuntur. Horum autem Conſultorum duo ſtabiles extant ex Ordine Prædic. aſſumpti, nimirum Magiſter Generalis Ordinis, & Magiſter Sacri Palatii, quibus æque ſtabiliter Conſultor ex Ordine Conventualium adjungitur, forſan ex eo, quod pari animorum conſenſione, & zelo uterque Ordo in hujus Tribunalis tuitionem, & conſervationem conſpiraverit. Die item Mercurii, ſi non ſit impedita, vel a Conſiſtorio, vel a Feſto, tunc enim die Martis antecedenti fit Congregatio in Conventu Sanctæ Mariæ ſupra Minervam cum Cardinalium præſentia, quibus reſolutiones die Lunæ a Conſultoribus captæ referuntur. Et tandem Congregatio die Jovis coram Pontifice agitur, a quo, ſi nihil obſtet, decreta in utraque Congregatione edita confirmantur, & approbantur, itemque caſus aliquis magis urgens, & ſpecialis deciditur.

13. Cæterum cum inter hujus Congregationis facultates, ut ſupra innuimus, recenſeatur, libros de erro-

[a] *Reg.* 14. *Canc. tom.* 2. *Reg.* 42. *tom.* 3. *Reg.* 49. *tom.* 4.

errore ſuſpectos, eorumque lectionem, retentionemque interdicere, & ſi ſubverſionis periculum abſit, eoſdem permittere, non immerito ad revidendos, examinandoſque libros ultra Officiales, ſeu Miniſtros expoſitos Qualificatores deſtinantur, a qualificatione cenſuræ dicti, ut exiſtimat Vaneſpen (a), iique licet nunquam ad Congregationem accedant, niſi ad referenda negocia ipſis commiſſa, nec ullo hinc privilegio donentur, æquali tamen ſecreti obligatione pro iiſdem negociis obſtringuntur. Cum tamen forma, & methodus, qua iidem Qualificatores ſenſus ſuos in reviſione librorum aperire debeant, diſertiſſime expreſſerit Benedictus XIV. *in Conſtitutione incipien. Sollicita, edita die 7. Julii* 1753. qua methodus præſcribitur in examine, & proſcriptione librorum, ejuſdem Conſtitutionis ſummam proferre judicamus. Primo igitur Pontifex ſanxit, ut uni ex Qualificatoribus, aut Conſultoribus a Congregatione deſignando liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat, tum cenſuram ſuam ſcripto conſignet locis indicatis, & paginis, in quibus notati errores continentur. Mox ut liber cum animadverſionibus Reviſoris ad ſingulos Conſultores mittatur, qui in Congregatione ſingulis feriis ſecundis haberi ſolita de libro, & cenſura ſententiam dicat. Ipſa deinde cenſura cum libro, & Conſultorum ſuffragiis ad Cardinales erit tranſmittenda, ut hi in Congregatione feria quarta haberi ſolita de tota re definitive pronuncient; Poſtea vero ab Aſſeſſore acta omnia ad Pontificem referatur, cujus arbitrio judicium omne abſolvetur. Cum autem ſit ex veteri inſtitutione receptum, ut auctoris Catholici liber non unius tan-

[a] *Juris Eccleſ. univer. titulo* 22. *n.* 27.

tantum Relatoris cenſura illico proſcribatur, ad normam Decreti Menſis Julii 1750. eadem praxis retineri jubetur, ita ut ſi primus Cenſor librum judicet proſcribendum, alteri Reviſori liber, & cenſura tradantur, ſuppreſſo primi nomine: ſi autem ſecundus Reviſor primo aſſentiatur, utriuſque animadverſiones ad Cardinales mittentur, ut de libro decernant. At ſi ſecundus a primo diſſentiat, tertius Cenſor eligatur, cui ſuppreſſo priorum nomine cenſura communicatur, ejuſque relatio deinde Cardinalibus immediate tradetur, ſi a priori Conſultorum ſententia non abſcedat, alias iterum Conſultores ſuffragium ferent, & Cardinalibus omnia proponentur. Quod ſi Pontifex coram ſe in Congregatione feriæ quintæ libri cauſam referri voluerit, tunc ſatis erit eidem, & Cardinalibus Conſultorum ſuffragia communicare. Verum amplior hac de re ſermo redibit, cum de Congregatione Indicis pertractabitur.

14. Quoniam vero ſupra dicebamus, Aſſeſſorem hujus Congregationis, (qui quidem licet olim eſſet Togatus, nunc ex albo Præſulum ſemper aſſumitur) non levem operam in decidendis eorum cauſſis impendere, qui ſervitio Tribunalis addicuntur, vel alias ſunt patentati, reliquum eſt, ut pro coronide hujus materiæ, quæ a Benedicto XIV. in Conſtitutione incip. *Ad ſupremum*, *die* 21. *Julii* 1755. quæ inſcribitur *Super deputationibus*, *&* *privilegiis Officialium Miniſtrorum Sacr. Inquiſitionis* ſtatuta ſunt, exhibeamus. In eadem igitur Conſtitutione, præmiſſa diſtinctione patentatorum, inter privilegiatos, & ſimplices, inter alia ſtatuitur pro Urbe, & Statu Eccleſiaſtico Patentatos privilegiatos quinque excedere non debere, nempe Inquiſi-

quiſitorem, Fiſcalem, Procuratorem Reorum, Notarium, & Mandatarium, idque in locis, ubi Inquiſitores reſidere conſueverunt, ubi enim Vicarii Foranei ſimpliciter extant, ternarium numerum excedere non debere cavetur, Vicarium nempe, Notarium, & Mandatarium; eoſque omnes a Congregatione deputandos per literas patentales gratis concedendas, ne dum bona præditos fama eſſe debere, ſed nec milites, nec Sacerdotes, aut alterius Curiæ Miniſteriis addictos, niſi aliud neceſſitas urgeat; iiſque inter alia privilegia jus deferendi arma non prohibita etiam pro famulo, exemptio ab oneribus commutativis perſonalibus, & realibus ad inſtar Clericorum conceditur: quod variis tamen limitationibus, & cautelis in praxi ſervandis ampliſſime declaratur. Quod inſuper ſpectat ad Patentatos ſimplices, qui aliquo modo Tribunali Inquiſitionis inſerviunt, ut ſunt Conſultores, ii quidem, ſi Regulares ſint, a Conventu, ubi extant, inconſulta Congregatione amoveri non poſſe ſtatuitur, pro ſæcularibus vero præter Indulgentiarum gratias privilegium delationis armorum ad famulum extendibile, ut ſupra de Patentatis privilegiatis dicebamus, conceditur; eoſdem vero Conſultores ab Inquiſitoribus localibus nonniſi per patentales literas a Cardinalibus Inquiſitoribus approbandos, ſecus autem per particularia eorundem Inquiſitorum bilietta eligendos eſſe cavetur. Ad hæc pro Tenuta Conchæ in agro Romano poſita, & a Sancto Pio V. domui Inquiſitionis Urbis attributa, plura in eadem Conſtitutione adjiciuntur, præſertim vero, quod hujus Tenutæ Patentati comprehenſis perſonis Affictuariorum, & eorum famulorum n. 150. excedere non poſſint; quodque his eadem privilegia ad inſtar Patentatorum

ſupra

ſupra expoſitorum conceſſa intelligantur, excluſa ſemper Immunitate Locali, quæ tam eorum domibus, quam univerſę Tenutæ expreſſe denegatur. Atque hæc de Tribunali ſacræ Inquiſitionis dicta ſufficiant. Cum vero inter media cæteris utiliora ad ſacroſanctam Religionem conſervandam cenſeatur Congregatio Rituum, ad eum præciſe finem inſtituta, ut nihil ſuperſtitioſum in Eccleſiaſticis præſertim actibus exerceatur, ſed omnia ſancte peragantur, merito ad hanc Congregationem, quæ in aliquo ſenſu Congregationis Inquiſitionis appendix appellari promeretur, incunctanter pertranſimus.

TITULUS XXIX.

De Sacra Rituum Congregatione.

CÆteras inter profectò Congregationes, quas ſummo Chriſtianæ Reipublicæ emolumento inſtituit Sixtus V. in pluries citata Conſtit. 74. incip. *Immenſa*, Congregatio pro ſacris Ritibus, cæremoniis, aliiſque rebus ad divinum cultum pertinentibus erecta merito adſcribitur. Nemo enim eſt, qui non videat, quantum Religionis interſit, quod debitus in ſacris functionibus ordo ſervetur, quodque ii, quorum cultum Eccleſia Fidelibus proponere intendit, nonniſi prævio maturo examine, accuratiſque cautelis ad eundem cultum promoveantur. Dixi, *debitus in ſacris functionibus ordo ſervetur, quodque ii, quorum cultum Eccleſia Fidelibus proponere intendit, nonniſi prævio maturo examine, exactiſque cautelis ad eundem cultum promoveantur.* Duo quippe ſunt negotiorum genera, quæ in hac

in duas ſpecies videtur eſſe diviſa, quarum prima *ordinaria*, altera *extraordinaria* vocatur, utraque vero componitur ex Cardinalibus, & Prælatis, qui plerumque in Congregatione extraordinaria tres eſſe ſolent antiquiores Rotæ Auditores, veluti, qui præſumuntur Canonum peritiſſimi, atque ultra Cardinalem Præfectum, & Præſulem Secretarium accedunt, ubi Sanctorum cauſſæ tractantur (quod in extraordinaria Congregatione contingit), Fidei Promotor, unus ex Protonotariis participantibus in memoriam venerandæ antiquitatis, quùm a primis etiam Eccleſiæ initiis certum undique ſit Protonotarios conſtitutos fuiſſe, qui acta Martyrum ſcriberent, unde Protonotariorum Collegium fuit inſtitutum, itemque plures Theologi ex Regularibus præſertim Ordinibus, quos Conſultores dicimus, inter quos recenſentur Mag. Sacr. Palat. ex Ordine Prædicatorum, & Sacriſta ex Auguſtiniana Familia, nec non Medici, & Chirurgi in Philoſophia excellentiores, qui mature dijudicent, an vi naturæ fieri potuerint ea, quæ de Servis Dei miracula prædicantur, & demum Magiſtri Cœremoniarum Pontificis in eadem Congregatione admittuntur, quorum Suffragium, ſi de ſacris Ritibus ſermo ſit, paſſim exquiritur. In unaquaque vero cauſſa Cardinalis Ponens a Secretario deputatur, qui rei ſtatum proponit, & quamquam ſi de cauſſis primi generis, nempe Præeminentialibus, vel aliis in Congregatione ordinaria diſcuti ſolitis ſermo ſit, nec ipſe, neque alii ſuffragantes ſecreto adſtringantur; contrarium tamen ſervatur, ſi de cauſſis ad ſacrum cultum directis tractetur, in quo quidem cauſſarum genere ſub pœna excommunicationis ipſo facto ſecretum cuſtodire adſtringuntur, eademque ſecreti

lege tenentur duo Familiares, quos Cardinales, & Secretarius in adjutores ſtudiorum pro his cauſſis adſciſcere valent, & unus, quem Auditores Rotæ poſſunt aſſumere, ad quod quidem ſecretum ſervandum jurisjurandi Religione omnes indiſcriminatim obligantur.

3. In Palatio ſane Apoſtolico ordinaria Congregatio convocatur, ſolique Cardinales Suffragium ferunt; & regulariter de cauſſis Sanctorum, ſeu de eorum Canonizatione ibi non agitur; altera vero in ædibus, ut dicitur, Cardinalis Ponentis, ſeu Relatoris habetur, ſi Antepræparatoria ſit, ut illam appellant, ſeu ad Congregationem in Palatio Apoſtolico coram Pontifice habendam præambula. Aliquando tamen pro arbitrio Pontificis particularis Congregatio agitur, ad quam aliqui Cardinales, & nonnulli Conſultores cum Secretario, & Fidei promotore adſciſcuntur. Neque eſt prætereundum, nunquam Conſultores ad ſuffragandum in ea cauſſa admitti, in qua de beatificando, vel canonizando viro ejuſdem Inſtituti, ſeu Religionis tractetur, a qua quidem regula ſoli Epiſcopi Regulares, & Magiſter S. Palatii excipiuntur. Cum vero fuerit iteratis Congregationibus tam ſuper virtutibus, quam ſuper miraculis cauſſa digeſta, primum coram Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto, poſtea in ſolemniori altero Conſiſtorio præſentibus Epiſcopis in Urbe adſtantibus a Pontifice deveniri poſſe ad Canonizationem definitur, & demum Pontifex ipſe eandem ſolemniter perficit ſequenti decreto = *Ad honorem Sanctæ Individuæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & BB. Apoſtolorum Pe-*

Petri, *&* *Pauli*, *ac noſtra*, *de fratrum noſtrorum Conſilio decernimus*, *&* *definimus*, *bonæ mem. NN. Sanctum eſſe*, *&* *Ss. Catalogo adſcribendum*, *ipſumque Ss. Catalogo adſcribimus*, ut univerſæ hujus functionis ſeriem, & ordinem diſertiſſime inter alios refert Gonzalez (*a*). Cæterum cum alia, quæ Ss. Beatificationem, & Canonizationem antecedunt, comitantur, & ſubſequuntur, ſeu qua forma, & methodo ad Beatificationem, vel Canonizationem ſit procedendum, luculenter expoſuerit Benedictus XIV. in opere *de Canonizatione Sanctorum* juxta recentiorem editionem in 12. *tomos* diviſo præſertim *lib.* 1., & preſſius *cap.* 16. cujus titulus eſt *de Sacra Rituum Congregatione*, quod brevius etiam repetitur in Synopſi libri ſeptimi P. Azevedo Soc. Jeſu appendice nona, ſuperfluum eſt amplius rem iſtam exponere.

4. Gratis vero, immo cum manifeſta veritatis injuria hæretici, vel alii Romanæ Curiæ nimium infenſi obloqui ſolent, indaginem Rituum Sacrorum, & functionum Eccleſiaſticarum examen Romanæ Sedi reſervari non debuiſſe, eoque minus Canonizationem, quam hæretici quidem perperam carpunt, aſſerentes cum Gentilium apotheoſi confundi, quæ ſolemnis erat alicujus hominis inter Deos adſcriptio, aliqui ex Catholicis, inepte licet, Epiſcoporum Judicio remittendam arbitrantur, quibus diu, & per multa ſæcula competiiſſe non dubitatur. Quod enim Eccleſiæ, ejuſque capiti ſit reſervandum de Ritibus, ſacriſque Cœremoniis decernere, cæteris argumentis omiſſis, prævalida, urgenſque ea congruentia ſuadet, quod alias uniuſcujuſque hominis arbitrio concreditum foret, novos Ritus, & Cœremonias invehere cum ſumma Reipub. Chri-

(a) *Comment. in Jus Canon. in cap. Audivimus, de Reliq. & Venerat. SS. n.* 8.

Chriſtianæ perturbatione. Unde illud, quod olim in veteri Lege ſequebatur, ut licet pauciſſimi Ritus haberentur ſub Moyſe, ad magnam tamen copiam inde redacti, ut tres libros Numerorum, Levitici, & Deuteronomii facile implerent, in novo etiam Teſtamento facile reviviſceret. Accedit, quod cum Apoſtolus Paulus de Inſtitutione Euchariſtiæ diſſerens a Domino illam accepiſſe teſtetur(*a*), Ritus autem in ejuſdem Sacramenti Miniſterio ſervandos deinde ſe diſpoſiturum affirmaverit (*b*), inquiens: *Cætera cum venero diſponam*; cumque nunquam fuerint deinde ab Apoſtolo diſpoſiti, relicti hinc, & reſervati cenſeri debent poteſtati Eccleſiæ, & conſequenter ejuſdem viſibili capiti, ut diſponantur, ut egregie concludit Angelicus Doctor (*c*).

5. Quod vero Gentilium apotheoſis nullatenus confundi poſſit cum Canonizatione Sanctorum, ex eo præſertim eruitur, quod per hanc non inter Deos, ſed inter Servos Dei, & amicos Servi ipſius adſcribantur, ac cooptentur, ut advertit inter alios cit. Benedictus XIV (*d*); utque id clarius intelligatur, abs re non erit Theologorum doctrinam proferre de cultu, qui dicitur *Latria*, de eo, qui vocatur *civilis*, *& obſervantia quædam humana*, de eo, qui appellatur *Dulia*, necnon de alio *Hyperdulia* communiter dicto. Sane tres ſunt ſpecies excellentiæ, divina videlicet, & infinita, cui reſpondet prima cultus ſpecies, quæ vocatur *Latria*: humana, ſeu naturalis, quę poſita eſt in virtutibus, ac dignitatibus humanis, cuique cultus, qui dicitur civilis, *& quædam obſervantia humana* reſpondet; tum

(a) *Ad Corinth.* 7. (b) *Ad Corinth.* 11. (c) *In* 1. *ad Corinth.* 11. (d) *In cit. opere de Serv. Dei Beatif. & Canoniz. lib.* 1. *n.* 13.

tum vero media quædam excellentia inter divinam, & humanam eſt accenſenda, qualis eſt gratia, & gloria Sanctorum, cui quidem cultus Duliæ ob excellentiam, majoremque præſtantiam tribuitur. Quia vero humanitas Chriſti ſi ſeorſim conſideretur ſingulariter propter unionem cum Verbo, creaturas, Sanctoſque omnes excellit, ac ſupereminet; & ſimiliter B. Virgo, ut Mater Filii Dei inter alios Sanctos ita major exiſtit, ut dici merito poſſit Domina & Regina noſtra, quod de Sanctis aliis nequaquam niſi admodum imperfecte aſſeri poteſt; Hinc iidem Theologi dividentes *Duliam* in *Duliam* proprie dictam, & hyperduliam, ſeu ſupraduliam illam Sanctis ceteris, hanc vero ſoli humanitati Chriſti, ac Deiparæ Virgini competere docent. Ex qua quidem diviſione, plane intelligitur, tantum abeſſe, ut cultus creaturis tribuatur, ut potius inferatur omnino, cultum omnem occaſione Beatificationis, vel Canonizationis Dei Servis exhibitum in Deum præciſe refundi.

6. Neque vero ſubſiſtit, quod Judicio Epiſcoporum Sanctorum Canonizatio ſit reſervanda; Cum enim materia iſthęc ſit de gravioribus cauſſis, quæ judicio Eccleſiæ ſubjiciuntur, omnis ęqui, bonique ratio poſtulat, quod ab Apoſtolica Sede præviis Cœremoniis, & Ritibus deſcriptis in Cœremoniali Romano (*a*), ſolemniter peragatur, præſertim quia cum vel a ſæculo octavo, ut aſſerit Bellarminus (*b*), vel a ſæculo X. ad Romanos Pontifices fuerit in hoc negotio perpetuo, conſtanterque recurſum, cumque Decretalis *Innoc. III.* relata *in Capitulo* 1. *de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, qua Romanæ Sedi privativa iſtarum cauſſarum cogni-

(a) *Lib.* 1. *ſect.* 6. (b) *In controv. de Beatificatione Sanctorum lib.* 1. *cap.* 8.

locis imminutis, relicto tamen onere Miſſam audiendi, ut actum fuit pro nonnullis Diœceſibus Hiſpaniæ decreto 62. Item pro Diœceſi, Nycien. decreto 128. Pro nonnullis pariter locis Regni Poloniæ decreto 138. relatis in *Bullario tom.* 1. quibus alia pro diverſis regionibus ſucceſſerunt. Subſequitur item aliud decretum ſolemnis celebrationis indictæ Feſti Apoſtolorum Petri, & Pauli per totam octavam Romæ celebrandi, (quod eſt 3. *eod. tomo*) cum deſtinatione Capellarum in diverſis Eccleſiis, ubi pretioſa extant eorundem Apoſtolorum monumenta, a præſtantioribus Urbis Ordinibus ſingulis octavæ diebus habendarum, & injuncto variarum Confraternitatum ad eaſdem Eccleſias acceſſu. Item alterum de retinenda crucifixi Salvatoris imagine palam, & viſibiliter expoſita ſuper altaribus, ad quæ Miſſarum Sacrificia peraguntur, quod eſt 17. *tom.* 2. *ejuſdem Bullarii*, reprobato uſu Miſſam celebrandi in altaribus, quæ carent Imagine Crucifixi, vel ſi ipſa incommode ſtatuatur ante celebrantem, vel ſi ita tenuis, & exigua ſit, ut Sacerdotis, & populi adſiſtentis oculos penitus effugiat, aliaſque circa Crucis elevationem provide in eodem decreto definiuntur. Quibus accedit alterum in eodem Rituum genere Decretum evulgatum ad conſervandam inter Epiſcopos, & Archiepiſcopos cum Gubernatoribus in ditione Eccleſiaſtica exiſtentibus animorum conſenſionem, abuſuſque omnes irreptos in honoribus ſibi invicem deferendis removendos, quod certis conſtitutis legibus idem Pontifex ſtatuit; eademque decreta in *Appendic. tom.* 1. *Bullarii* referuntur.

8 Has vero, aliaſque hujus Pontificis Conſtitutiones coronavit amplior illa occupatio ab eodem

Pontifice habita in reformatione Breviarii Romani, quod cum S. Pius V., Clemens VIII., & Urb.VIII. inconſulta Sede Apoſtolica immutari poſſe vetuerint, ut in ejus fronte legitur, cumque aliqua emendatione indigere recognitum fuerit, incredibili plane labore idem Pontifex, accitis eruditis, doctiſſimiſque viris, manus operi admovit, quod licet adhuc ineditum fuerit, ſperatur aliquando Sedis Apoſtolicæ auctoritate fore imprimendum.

9. Neque profecto intra Urbem, ejuſque diſtrictum hujus Pontificis zelus, & vigilantia in Ritibus ſtatuendis, vel reformandis ſtetiſſe deprehenditur, ſed in diſſitas etiam, exteraſque regiones, vel Regna porrecta fuit, atque ampliata, qua quidem in claſſe repeti poſſunt Conſtitutiones editæ 57. de Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, 59. de Ritibus, ſeu Ceremoniis Sinenſ. 87. de Ritibus Grecorum, 107. de Ritibus Orientalium, 114. de Ritibus pariter Sinenſibus, 129. de Ritibus Coptorum; quæ omnes extant *tomo* 1. *ejuſdem Bullarii* locis mox allegatis; Quibus ſuperaddi promerentur æque utiles Conſtitutiones emanatæ, una nempe, quæ ad removendos exceſſus, ſummaſque exuberantes pro taxatione expenſarum in Beatificatione, vel Canonizatione, ſub die 14. Aprilis 1741. edita fuit, quæque per extenſum refertur *Appendice* 15. *ad librum* 1. *operum de Canonizatione ejuſdem Pontificis c.* 6. *novæ editionis*. Altera item Conſtitutio, ut in poſterum Beatificationes, & Canonizationes cohærenter ad decretum Alexandri VII. in Baſilica Vaticana celebrentur, certa Secretario ejuſdem Baſilicæ contributione in ſingulis Beatificationibus, & Canonizationibus, & ſumma præfixa; quæ eſt *la* 36. *in Bullario tomo* 1. quæque etiam refertur appendi-

pendice ſecunda ad primum librum eorundem Operum novæ editionis *cap.* 3.; Et poſtremo tertia, quoad ritum in poſterum ſervandum in Servorum Dei Canonizatione, incipien. *Sollicitudini noſtræ*, *edita die* 1. *Octobris* 1745. *ls* 141. *tom.* 1. *Bullar.* quæque inſcribitur *De cautelis in conficiendis proceſſibus ſuper fama Sanctitatis Servorum Dei*; quas quidem, aliaſque hujus Pontificis Conſtitutiones inutile ſat eſt, quin eorum tenorem per extenſum referamus, ne alias brevis hæc Romanæ Curiæ tractatio in voluмen excreſcat. Cum autem præter Congregationem Inquiſitionis, & Rituum, quas expoſuimus, Indicis quoque, & Indulgentiarum, ac Sacrarum Reliquiarum Congregationes ad ſartam, tectamque Sacroſanctam Religionem conſervandam, & ab erroribus expurgandam optime fuerint inſtitutæ, ad has oportet deſcendamus, primum de Congregatione Indicis, mox de altera Indulgentiarum, ac Sacrarum Reliquiarum tractaturi.

TITULUS XXX.

De Congregatione Indicis.

DIximus, ad Sacroſanctam Religionem conſervandam plurimum Indicis Congregationem conferre, qua, ut notum eſt, certo aſſignato numero Cardinalium, & Conſultorum cum Secretario ex Ordine Prædicatorum aſſumpto libri de errore ſuſpecti imprimi, & retineri prohibentur, nec (niſi abſit ſubverſionis periculum,) legi, & retineri permittuntur. Quàm verò rationabiliter Congregatio iſthæc fuerit conſtituta, planè ſuadet rerum omnium magiſtra experientia, quæ comprobavit

eorundem ſuſpectorum, & multò magis hæreſim continentium librorum lectione homines corrumpi, atque in doctrinas a vero diſſitas paſſim abire, cui certè maximo Chriſtianæ Reip. detrimento avertendo ſupremus præſertim Eccleſiæ Paſtor debuit opportunè proſpicere; Præſertim quia Apoſtolica, Eccleſiaſtica, & civilia etiam monumenta in idem conſpirarunt: Apoſtolica quidem, in actis quippè Apoſtolicis legitur (*a*): *Multi autem ex eis, qui erant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt*, iiſque libris combuſtis adauctum fuiſſe, atque inſignitèr confirmatum numerum Fidelium Sanctus Lucas teſtatur (*b*)inquiens:*Fortitèr creſcebat verbum Dei,& confirmabatur* S.Clemens item ſeu alius auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum refert,Apoſtolos prohibuiſſe ab initio Fidelibus libros Gentilium, & falſorum Prophetarum. Scribit etiam Euſebius (*c*), Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum, qui floruit anno 250. a Fidelibus repræhenſum, quod libros legeret hæreticorum; in eamdemque imo laudabilem praxim Imperatores etiam conſenſerunt. Conſtat enim, Conſtantinum primum Imp. Chriſtianum juſſiſſe Arianorum libros comburi pœna Capitis impoſita eos clàm retinentibus, ut referunt Socrates (*d*), & Sozomenus (*e*). Libros etiam Eutichetis, & Apollinaris Valentiani, & Martiani Impp. juſſu combuſtos fuiſſe conſtat *ex leg. Quicumque Cod. de hæreticis*, quæ etiam repetitur *in Lege Damnato Cod. eodem*, ſimiliſque rex pari jure *in lege Mathematicos Cod. de Epiſcopali audientia* profertur, ubi Honorius, ac Theodo-

(*a*) *Cap* 19. *v*.19. (*b*) *Ibidem v*. 20. (*c*) *Lib*.7 *Hiſt. Eccleſiaſticæ cap*.6. (*d*) *Lib.I. Hiſt.c.I.* (*e*) *Lib. I. Hiſtor. cap*, 22.

doſius Imperatores ſolemniter edixerunt, a Mathematicis omnibus libros, in quibus aliquid Catholicæ Religioni averſum reperiebatur, ſub oculis Epiſcoporum cremari debere, plurimaque alia congerit Bellarminus(*a*), Quibus ſanè exemplis ab Apoſtolica, Eccleſiaſtica, & Civili Hiſtoria depromptis adacti, meritò Summi Pontifices *tam in Bulla Cœnæ*, quæ ſingulis annis ſolemnitèr in die Cœnæ Domini evulgatur, quàm *in Indice Librorum prohibitorum*, de quo infra, hæreticorum, vel alios ſupectos libros vetuerunt.

2. Et quidem perſpicua ſunt verba ejuſdem Bullæ, quæ ità concipiuntur = *Excommunicamus hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine authoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcientèr legentes, ac retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore.*

3. Dixi autem, & rationabiliter, ultra Bullam Cœnæ *in indice etiam peculiari eoſdem* libros Pontifices vetuiſſe; Etenim ſanctum Gelaſium primum in Concilio 70. Epiſcoporum habito Romæ anno 496. Indicem librorum vetitorum confeciſſe teſtatur citat s Bellarminus (*b*); licet alii arbitrentur (*c*), Indicem vere hunc non fuiſſe, tum quia ibi lectio in Eccleſia tantum publica agenda prohibetur, tum quia ii etiam libri in eodem Indice continentur, qui ab Eccleſia recipiuntur. Parique exemplo conſtat, auctoritate Pii IV., a quo negocium hoc librorum prohibendorum Tridentinæ Synodo fuerat remiſſum, abſoluto Concilio Indicem a Deputatis

(*a*) *De Laicis Lib. 3. Cap.20.* (*b*) *Loco cit.* (*c*) *Vaneſpen. tomo I. juris Eccleſiaſtici tit. 22. Cap.40.*

tis actum fuiſſe approbatum, ut liquet ex litteris ejuſdem Pii IV. die 24. Martii 1564. incipien. *Dominici gregis*. Certumque item habemus, præcedenter a Paulo IV. anno 1557. Inquiſitoribus Romanis injunctum fuiſſe, ut Indicem librorum efformarent; & poſtremò exploratiſſimum eſt, Clementem VIII. in d. *Conſt. incipien. Sacroſanctam* novum Indicem confeciſſe. Nec defuere, qui novos Indices adjunxerint, ut Pater Catalanus (*a*) Presbyter Congregationis Oratorii S. Hieronymi Charitatis Urbis, vir in Eccleſiaſtica præſertim Hiſtorià verſatiſſimus, teſtatum reliquit. Verum, ut maturius negocium Prohibitionis librorum ageretur, Sanctus Pius V. Congregationem ex nonnullis Cardinalibus, & Conſultoribus anno 1571. ſolemnius inſtituit, quàm præcedenter extaret, & licet non reperiatur Conſtitutio, ex regeſtis tamen Congregationis apparet, novaſque facultates Sixtus V., & Clemens VIII. auxerunt, qui facultatem pariter Cardinalibus dedit non ſolùm libros, ſive impreſſos, ſive imprimendos prohibendi, verum etiam aliis permittendi, ut libros vetitos legere poſſent (*b*).

4. Cum verò non omnes hæreticorum, & aliorum male de fide ſcribentium libri ſint comburendi, vel prohibendi, operæ pretium erit pro clariori hujus materiæ Intelligentia diviſionem prohibitionis indicare. Triplicis igitur generis ſunt libri ab Indice proſcripti, videlicet I. II., & III. claſſis. Ad primam ſane claſſem pertinent libri, qui propter ipſos auctores *Hæreticos* fuerunt damnati, atque prohibiti. Itemque omnes ab Auctore hæretico, vel de hæreſi publicè ſuſpecto compoſiti, qui de *Religione* ex profeſſo pertractant; ſicuti ſunt libri hæreticorum, qui

(*a*) *De Secret. Cong. Ind. Cap. 6.* (*b*) *Catalanus cap. 7. & 8.*

qui hæreſim invenerunt, aut ſuſcitarunt, vel hæreticorum capita, aut duces fuerunt, ut *Lutherus*, *Zuinglius*, *Calvinus &c.* quorum quidem libri omnes, & ſinguli, quamvis de *Religione* non tractent, nec hæreſim contineant, ſed de quacumque alia re agant, prohibentur, idque conſentaneè ad juris communis regulam, quà edocemur: *Damnato auctore damnantur ejus Scripturæ, libri, & opera*, ut habetur in *Cap. Fraternitates tit. de hæreticis*. Imo relati libri, non ſolùm ab Indice, ſed etiam per Bullam Cœnæ ſupra enunciatam proſcribuntur. Libri verò II. Claſſis non propter Auctorem, ſed propter non ſanam, ſuſpectam, aut moribus Fidelium repugnantem, quam continent, doctrinam, prohibentur, quales ſunt etiam libri Catholicorum de rebus laſcivis, & obſcænis pertractantes. Item libri eorundem Chriſtianis moribus, aut fidei contrariam, vel in hac materia ſuſpectam doctrinam continentes. III. demum Claſſis libros pariter prohibitos, ob doctrinam malam, quam ſive in genere *moris*, ſive in genere *Religionis*, & *Fidei* complectitur. Cujuſcumque verò claſſis libri indicantur in Indice librorum prohibitorum, ad libros primæ Claſſis appoſita Rubrica *Auctores primæ claſſis*, vel Rubrica *Certorum auctorum libri prohibiti*, iique ordine alphabetico deſignantur, ſicut in primæ claſſis ſerie *incertorum Auctorum* libri prohibiti exprimuntur, & quidem plurimi alphabetico Ordine recenſentur, ut egregie advertit inter alios Reinfeſtuel (*a*).

5. Ex his autem deſcendit, non omnes hæreticorum libros eſſe comburendos, vel indiſcriminatim vetandos, immò aliquando ſervandos, & retinen-

(*a*) *Lib.5. Decretal. tit.7. §. 9.*

tinendos, ut eorum errores confutentur, & rejiciantur. Secundò libros hæreticorum prohiberi non quod Catholici his malè utantur falſa interpretatione eorum, quæ vera in ipſis continentur, ut hæretici perpetuo jactitant, ſed quod revera falſa, & pernicioſa dogmata doceant 3. prefatos libros nec omnibus concedendos, nec omnibus prohibendos, ſed immò permittendos his, qui poſſunt eos ad trutinam revocare. 4. demùm Scripturam vernacula quaque lingua translatam meritò prohiberi, non quod reipſa ejus lectio noceat, & obſit, ſed ne ex ejus ſiniſtra lectione, vel interpretatione, aut interpolata traductione, nulla Eccleſiæ auctoritate, & approbatione edita, Plures erroris anſam arripiant. Quoniam verò diximus ultra Cardinales, & Conſultores etiam per Secretarium ex Ord. Prædicatorum Congregationem Indicis conſtitui, præſtat, ut de hoc Secretario aliqua innuamus.

6. Ejus igitur munus eſt Congregationem indicere, ſeu convocare, in qua denunciationes, vel accuſationes librorum legit, qui ad Congregationis Tribunal deferuntur, eoſque ad Conſultores tranſmittit, ut ſtata Congregationis die, quæ fit in Apoſtolico Palatio, ſenſus ſuos exponant, ut deinde Cardinales judicent, poſteaque Cardinalium vota, ſeu Reſolutiones Summo Pontifici pro Confirmatione denunciat, a quo etiam obtinere ſolet, ut qui libros in Congregatione retulerit, inter Conſultores adſcribatur. Poteſt poſtremò idem Secretarius novas licentias ad triennium pro legendis, ac retinendis libris vetitis impertiri, & novas prorogare: quamobrem ſingulis ſabbatis expedire eas ſolet ſolo ſuo nomine appoſito, & Cardinalis Præfecti ſigillo munire; eædemque licentiæ gratis ſunt concedendæ. Quam-

7. Quamvis autem nunc in Palatio Apoſtolico, nunc in Regione Campi Martii in via Paulina, in loco vulgo dicto *Babuino* Secretarii hujus Congregationis habitare cum ſociis conſueverint, a tempore tamen Alexandri VII. in Conventu Minervitano ſtabiliter permanent; idque Clemens VIII. peculiari Brevi edito die 16. Junii anni 1604. pro ipſo, ac ſocio ejuſdem Ordinis, & uno Scriptore ſtatuit, nec non 10. ſcuta in ſingulos menſes anticipate ſolvenda, annuamque penſionem ducentorum ſcutorum Cameræ iis aſſignavit. Atque hæc circa Congregationem Indicis, ejuſque Secretarium dixiſſe ſit ſatis; qui plura deſiderat, adeat Patrem Catalanum, qui peculiarem tractatum in eamdem rem, ut ſupra innuimus, eruditè congeſſit.

8. Generalis autem regula circa licentias legendi libros obtentas eſt, ut nonniſi ad triennium concedantur, quod plane tamen, & facilè eo elapſo prorogatur; idemque dicendum de Magiſtro Sacri Palatii pro Urbe, & de Congregatione Sacræ Inquiſitionis pro toto Orbe, quibus omnibus indultum a Summis Pontificibus eſt, poſſe aliis facultatem legendi, & retinendi libros prohibitos impertiri, & quidem præmiſſo teſtimonio Ordinarii, ſi de ſæcularibus, & Prælati Regularis, ſi de Regularibus agatur, quod eàdem licentia non ſint abuſuri, aut ſaltèm, quod alterius Teſtis fide digni auctoritate idem comprobetur. In eademque facultate excipi perpetuo ſolent libri ſuperſtitioſi, opera Gumenii, Caroli Molinæi, Petri Bayle, Nic. Macchiavelli, Lucretii italicè traducti, Conſtantini Grimaldi, Ado Marini, cæteraque de obſcœnis ex profeſſo tractantia; Hiſtoriæ item Ludovici Maimburgi, & Petri Giannoni, Hiſtoria Eccleſiaſtica

Gallicè ab Anonymo, Italice verò a Selvaggio Canturano edita, & libri Hæreticorum, in quibus ex profeſſo Religio catholica impugnatur, quos etiam in Bulla Cœnæ vetitos eſſe docuimus. Quoniam vero plures ſunt controverſiæ, quæ circa intelligentiam hujus decreti a Doctoribus excitantur, abs re non erit, ut nihil huic materiæ deſiderandum ſuperſit, aliqua ſubnectere. Et quidem, cum ut innuimus ex duplici fonte prohibitio librorum vetitorum oriatur, nempè ex Bulla Cœnæ, & ex Indice, illud communiter admittitur, quod libri Hæreticorum vel Hæreſim continentes ſub pœna excommunicationis ipſo facto expreſſa *in Bulla Cœnæ* prohibeantur, alii vero omnes, qui doctrinas falſas, & erroneas, vel etiam bonis moribus oppoſitas complectantur, ſub pœna peccati gravis, aliiſque Epiſcopis beneviſis interdicantur, ut eruitur *ex regula decima Indicis Librorum, & ex Conſtitut. Alexandri VII. ſuper obſervantia ejuſdem Indicis, edita Anno* 1664. *incipien. Speculatores, eſtque* 15. *inter Conſtitutiones ejuſdem Pontificis tom.* 5. *Bullar.* qui quidem Pontifex nedum novum librorum Indicem efformari mandavit, verum etiam decem regulas Indici ceteroquin antiquo cohærentes adjunxit, quæ per extenſum referuntur a Reinfeſtuel (*a*).

§. 9. Ut autem excommunicatio latæ ſententiæ, quæ contrà legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes hæreticorum libros in Bulla Cœnæ, ut diximus, ſtatuitur, incurratur, primo requiritur, ut auctor ſit hæreticus, ſecundò ut de Religione pertractet, vel hæreſim contineat, tertiò ut ſcienter nempè cum notitia auctoris hæretici, & de Religione tractantis, ac hæreſim continentis legatur, vel

(*a*) *In lib. 5. Decret. tit. 7. de hæret.* §. 3. *n.* 101.

vel retineatur, vel imprimatur, vel defendatur, quartò demum, quod ſine facultate Apoſtolica directe, vel indirectè conceſſa id peragatur.

10. Errant tamen, qui ſibi falſo blandiuntur, Epiſtolas, Conciones, breveſque alias Scripturas hæreticorum ſub hac prohibitione non contineri, ex quo forſan agatur de re odioſa, & ſtricte intelligenda, qua quidem in re breves iſtæ Scripturæ librorum nomine non comprehenduntur; idem affirmando ſi manuſcriptus ſit liber, ut ſenſerunt Sanchez (*a*) Bonaccin. (*b*), aliique, melius enim judicaſſe arbitramur Farinac. (*c*), Suarez (*d*), alioſque, qui cum æquale periculum perverſionis in grandi, ac parvo libro, modo Hæretici ſit, vel hæreſim habeat, recognoſcant, æquale ſuſtinent proferendum eſſe judicium; præſertim quia poſterior hæc ſententia declaratione ſacræ Congregationis Concilii, quam innuit citatus Reinfeſtuel (*e*), munitur, ac confirmatur.

11. Æqualique inſubſiſtentia alii arbitrantur, Bullam Cœnæ, vel Indices librorum prohibitorum illas Regiones non afficere, in quibus non fuerunt recepti; deſtruit enim hoc aſſumptum jus condendi legem Eccleſiaſticam, abſque Populi acceptatione, cui quidem contrarium aſſerere vetitum eſt propoſit 28. Alex. VII. ac ratione ipſa ab intrinſeco confirmatur, qua quidem, ſicuti compertum habemus non a Populo, ſed a Chriſto jus condendi leges Eccleſiam habuiſſe, ita populo non indiget, ut obligationem inducant, ut fuſius alibi advertimus (*f*). Poſtremo gratis, aut ſaltem ſine ſolido fundamento alii aſſerunt, Indulto Apoſtolico non indigere Regula-

 res,

(a) *Lib. 2. Moral. cap.* 10 *num.* 29. (b) *Diſput. II. de cenſuris q.* 5. *punct.* 4. (c) *De hæreſi quaſt* 80. *n.* 30. (d) *Diſput.* 20 *sect.* 2. *n.* 10. (e) N. 43. (f) *Lib. I. tit. I. §. 2. Inſtit. Can.*

res, ut libros vetitos legant, atque retineant, ex quo, ut inquiunt, Gregor. XIII. Societati Jeſu hanc facultatem conceſſerit, & per communicationem privilegiorum ad alios etiam Regulares, præſertim Mendicantes, ſeu verius ad Superiores eorundem Ordinum jus indulgendi ſubditis facultatem legendi libros inconſulta Sede Apoſtolica translatum videatur, ut dixit inter alios Pellizzarius (*a*).

12. Aliud enim ſtatuerunt poſteriores Pontifices, ſignanter vero Gregor. XV. in Conſtitut. *Apoſtolatus Officium* 40. *tom.* 3. *Bullarii*, & Urbanus VIII. in altera incipien. pariter *Apoſtolatus Officium* 116. *ejuſdem Bullarii*, necnon Alexander VII. in citata Bulla incipien. *Speculatores* 15. *tom.* 5. *Bullarii*, ubi, nedum Bullam Cœnæ, & Indicem librorum eſſe religioſe ſervandum, verum etiam quæcumque forent conceſſiones, & facultates legendi expreſſe abſtulerunt, & revocarunt, ut ex earundem Conſtitutionum lectura ſe manifeſtat. Quamobrem quemadmodum in genere edixit Sanctus Carolus Borromæus in primo Mediolanenſi Concilio, cui præfuit anno 1565. *Ut Epiſcopi regulas Indicis de libris vetitis ab iis, qui illi negotio a Tridentina Synodo præfecti fuere ex auctoritate Pii IV. editas ab omnibus librorum Impreſſoribus, cæteriſque omnibus Laicis, & Eccleſiaſticis Perſonis ſervari juberent*; Id ſibi etiam Prælati Regulares indictum dijudicabunt: Præſertim quia cùm aliàs Regulares Præſides auctoritatem Epiſcopis, & Inquiſitoribus in 4. Indicis regula datam de permittenda lectione, aut retentione Sacrorum Bibliorum vulgari lingua editorum ſibi arrogaſſent: hinc quartæ Indicis regulæ hæc, quæ ſequuntur, juſſu Clementis VIII. fuerunt.

[a] *In Manual. Regul. antiquæ editionis tractatu* 1. *cap.* 5 *n.* 37.

runt ſuperaddita : *Animadvertendum eſt circa ſuperaddita, quartam Regulam Indicis fel. record. Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem, & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & juſſu Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam novi, qua veteris Teſtamenti partes, quamvis vulgari lingua editas, ac inſuper ſummaria, & compendia etiam hiſtorica eorundem Bibliorum quocunque vulgari idiomate conſcripta, quod quidem inviolate ſervandum eſt* ; ut refert etiam Benedictus XIV. (*a*). Concurrente autem etiam relate ad alios libros rationis identitate, idem pari jure videtur affirmandum Nunc de Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum brevius agendum.

TITULUS XXXI.

De Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum, ſeu Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita.

INnuimus in Inſtitutionibus noſtris Canonicis (*b*), præter Sacramentum Pœnitentiæ alium extare in Eccleſia Dei Theſaurum Indulgentiarum, per quas

[a] *De Synodo Diœceſana lib. 6. cap.* 10. [b] *Lib.* 2. *tit.* 8. *in fin.*

Google

quas, applicatis Fidelibus meritis Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum, pœna, quam pro peccatis luere deberent, relaxatur, atque deletur, Varioſque Auctores, per quos hæc veritas ab Hæreticorum calumniis ſolide vindicatur, ibi opportune protulimus. Cum vero Tridentina Synodus, qua hoc catholicum dogma definitur (*a*), ſubdiderit = *In iis concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem eſſe adhibendam, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur* (quod ipſum antea provide injunxerat Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, ex quo deſumptum eſt *c. Cum ex eo, de Pœnitentiis, & Remiſſionibus*) (*b*) probe animadvertens, quantum detrimenti in Chriſtianam Rempublicam vergat, ſi ex ſuperſtitione, irreverentia, aut aliàs quomodolibet in Indulgentiarum materia abuſus invehatur, eoſdem abuſus ab Epiſcopis ad Romanum Pontificem deferendos injunxerit: Provido hinc, opportunoque conſilio Clemens IX. Indulgentiarum Congregationem certo Cardinalium, Prælatorum, aliorumque Conſultorum numero, & Secretario conſtitutam erexit *in ejus Conſtitutione 36. incip. In ipſis Pontificatus, edit. anno* 1669. cui quidem auctoritatem conceſſit, *falſas, apocryphas, indiſcretaſque Indulgentias typis imprimi vetandi, impreſſas recognoſcendi, & examinandi, & poſt relationem Romano Pontifici factam illius auctoritate rejiciendi*. Quod æquali ſollicitudine pro Eccleſia Mediolanenſi, & Suffraganeorum Diœceſibus ſtatuit Sanctus Carolus Borromæus (*c*): *Ne ſcilicet edantur* Sum-

[a] *Seſſ. 25. in Decreto de Indulgentiis*. [b] *In eodem Decreto De Indulg. ſeſſ. 25.* (c) *In Conc. Provin. Actor. Eccl. Mediol. pag.* 1203.

Summaria Indulgentiarum, niſi collationata, & ſubſcripta ab Ordinario loci, ſeu ejus Vicario, & Bullarum tranſumptis fides non adhibeatur, niſi ſint ſubſcripta, & ſigillo munita alicujus Metropolitani, ſeu ejus Vicarii. Omneſque Indulgentiæ Epiſcopis examinandæ tradantur, qui legitimas probabunt, reliquas nulla auctoritate roboratas rejiciant.

2. Hinc inter præcipuas hujus Congregationis curas adſcribitur iſtarum Indulgentiarum examen, ut nimirum quas apocryphas, & ſuſpectas deprehenderit, abolendas injungat; qua quidem in re cùm Pater Theodorus a Spiritu Sancto ejus Congregationis Conſultor in univerſo opere *de Indulgentiis* nuper compoſito Bullas, Brevia, & Decreta retulerit, quibus plurium Indulgentiarum proſcriptio continetur, in more hinc poſitum habet eadem Congregatio, quandocumque de evulgatione alicujus Indulgentiæ tractatur, quæ in iiſdem Bullis forſan declaratur apocrypha, eandem rejicere; præſertim ſi nullum afferatur authenticum documentum, quo illius conceſſio reſultet, neque ex antiquiſſimi temporis lapſu, aut gravi altera circumſtantia erui poſſit earundem Indulgentiarum identitas, & ſubſiſtentia, ut advertit etiam Benedictus XIV. (*a*).

3. Pari autem jure ſpectat etiam ad eandem Congregationem materiam communicationis Indulgentiarum, quomodolibet interpretari, & vel pro revocatione Romanum Pontificem in peculiaribus circumſtantiis conſulere (ut factum extitiſſe deprehendimus prævio ejuſdem Congreg. decreto a Bened XIV. Conſtitutione incip. *Romanus Pontifex*, quæ eſt 94. *tom.* 1. revocata communicatione Indulgentiarum inter

[a] *In Tractatu de Synodo Diœceſana lib.* 13. *cap.* 18.

inter Confratres B. Mariæ de Monte Carmelo, & Tertiarios S. Franciſci) vel etiam eidem Pontifici ſupplicare, ut ſi de ſubſiſtentia Indulgentiarum perſpicue non conſtet, dubiarum loco alias certò ſubſtituat, ut ab eodem Benedicto XIV. eadem Congregatione conſulente factum apparet Eccleſiis Filialibus, & aggregatis Baſilicæ Lateranenſi, cujus Conſtitutio, quæ incipit: *Aſſiduæ ſollicitudinis*, refertur *n.* 45. *tom.* 3. *ejus Bullar.*

4. His accedunt Altaria privilegiata, quorum conceſſio, ſive in perpetuum, ſive ad ſeptennium fiat, nonniſi certo Miſſarum numero dieim, & quidem ſtabiliter celebrandarum præfixo ab eadem Congregatione expeditur, item Indulgentiæ Stationum, quæ a S. Gregorio primum datę creduntur aliquibus Eccleſiis Urbis, quas Fideles ſtatutis diebus conveniebant, quæque aliquando ad alias ab eadem Congregatione etiam extra Urbem amplientur. Ad hæc conceſſio Indulgentiæ plenariæ occaſione ſolemnis Communionis in aliqua Eccleſia peragendæ; ſimilis pariter Indulgentia in Feſtis Sanctorum, quorum titulo Eccleſiæ decorantur; necnon in ſeptem Feſtivitatibus B. Mariæ Virginis, præſertim ſi eidem Eccleſia fuerit dedicata; eoque pronior eſſe ſolet eadem Congregatio in impertiendis Indulgentiis cuilibet indiſcriminatim Eccleſiæ in ſextis feriis Quadrageſimæ, ut tali ſcilicet medio Fideles ad recolenda Reparationis noſtræ myſteria facilius alliciantur, pro quibus tamen omnibus gratiis ultra decretum a Cardinali Præfecto, & Secretario ſubſcribendum, Brevia etiam, omniaque gratis, a Secretario Brevium obtinentur, ut de conceſſione Indulgentiarum ſolemniter conſtare dicatur.

6. Cum vero inter Catholicæ religionis veritates

tes non ſolum Indulgentiæ, ſed ſacrarum quoque Reliquiarum cultus accenſeatur, huic etiam ſacra iſthæc Congregatio cohærenter ad dictam Conſtitutionem Clementis IX. proſpicere debet. Ad ſubmovenda tamen æquivoca Lectores monitos vo'umus, quod quemadmodum Congregationi Inquiſitionis privative competit eos, qui Indulgentiarum poteſtatem Eccleſiæ relictam fuiſſe perperam impugnarent, vel qui Sanctorum Reliquias non eſſe venerandas aſſererent, debitis pœnis coercere, cùm utrumque fidei dogmati, primum nempe a Tridentino definitum dicta *ſeſſ.25. De Indulgentiis*, alterum in eadem *Seſſ.* 25. *in Decreto de Sanctorum Reliquiis*, opponatur; Ita, qui non in jure, ſeu in dogmate, ſed in facto delinqueret, vel ſuppoſititias Indulgentias evulgando, vel falſas Reliquias pro veris exponendo (ut execranda prorſus audacia factum fuiſſe a quibuſdam Clericis, & Monachis Divus Gregorius (*a*), & Divus Auguſtinus (*b*) teſtantur) hujus Congregationis Indulgentiarum Judicio ſubjiceretur; Quamobrem ad hanc Populi Chriſtiani ſeductionem, quam ſerio evitandam eſſe alias ſtatuerat Innocentius III in dicto Concilio Lateranenſi, cujus definitio refertur in *cap. Cum ex eo, de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*, ſummam ſollicitudinis partem ab hac Congregatione impendendam eſſe non dubitatur, licet rarus ſit caſus quo ad praxim illam reducat, præventa a Cardinali Vicario, & Viceſgerente, ſeu a Cuſtode Reliquiarum, qui detineri conſuevit, ut cryptas, ſeu cœmeteria Urbis pretioſoMartyrum ſanguine redundantia)quæque idcirco antiquorum etiam Fidelium diurna Viſitatio-

[a] *Lib. 3. Epiſt. 12. & 30.* [b] *Lib. de Opere Monachor. cap. 28.*

tatione, nocturniſque vigiliis fuiſſe frequentata referunt inter alios Ferrandus (a), Ricciolus (b), & noviſſime P. Marangonus (c) perluſtret, collectaſque Martyrum Reliquias Fidelibus opportune diſtribuat, irreptoſque omnes in materia Reliquiarum abuſus tempeſtive Cardinali Vicario denunciet, ut hujus auctoritate tollantur, noviſque aditus præcludatur. Hactenus de Congregationibus tractatum eſt, quæ ad vindicandam, expurgandamque ab erroribus Catholicam Religionem inſtitutæ ſunt; nunc ad alteram accedamus, quæ ad eandem Religionem ampliandam fuit provide erecta, quæque idcirco Congregatio Propagandæ Fidei vocari conſuevit.

TITULUS XXXII.

De Congregatione Propagandæ Fidei.

QUamquam ab Eccleſiæ naſcentis exordio ad hæc uſque tempora conſtantiſſime, & perpetuo voluerit Eccleſia, ne dum Evangelicam doctrinam a Chriſto, & Apoſtolis hauſtam a quavis labe erroris immunem a ſuis Fidelibus conſervari, ſed ulterius illam in diſſitas etiam, remotaſque Regiones transferri curaverit, probe, optimeque memor præcepti a ChriſtoDominoApoſtolis dati: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ* (d); Quemadmodum tamen non ante ſæculum 13. Romani Pontifices Congregationem, quę Inquiſitionis dicitur, & quam ſupra expoſuimus, utpote ad inquirendum contra hæreticam pravitatem

[a] *Diſquiſitione Reliquiarum lib. 1. cap. 8.* [b] *Lib. 1. Lucubrationum fere per totum.* [c] *In Hiſtoria de Cœmeteriis.* [d] *Matth. 4.*

tem erectam inſtituerunt: ita licet perpetuo fuerit a piis, Religioſiſque viris Evangelium diſſeminatum, ut præclariſſimorum Martyrum ex omni ſexu, & genere exploratiſſima geſta, & Hiſtoriæ cumulate teſtantur, cum tamen ſæculo præſertim 15. per navigationem maris Oceani variæ detectæ eſſent Regiones *Indiarum* nomine nuncupatæ, occaſione hac arrepta Paulus III. plures in illas electos Miſſionarios tranſmiſit, ſubindeque Gregorius XV. Congregationem ex Cardinalium, & Prælatorum numero cum Secretario ad inſtar aliarum Congregationum erexit, ſub vocabulo *Congregationis Propagandæ Fidei*, cujus quidem auctoritas, & juriſdictio erecto per Urbanum VIII. ad radices Pincii Montis conſpicuo ædificio ad congreſſus habendos, & pro Secretarii, inferiorum Officialium, & Miſſionariorum ad Urbem forte advenientium habitatione, peramploque item Collegio ad educandos Juvenes pro Miſſionibus tranſmittendos, inſignibus ad hunc effectum aſſignatis redditibus, aliorum quoque munificentia ſæpiſſime adauctis, inſtituta pariter Typographia pro omnibus linguis, fuit notabiliter ampliata (*a*).

2. Quamvis autem primarium hujus Congregationis inſtitutum ſit idoneos Miſſionarios in illas regiones tranſmittere, quæ diro Othomannorum vel hęreticorum ſubduntur Imperio, ut Chriſtianos, & reſpective Catholicos in ſacra Religione confirment; Infideles vero, quantum circumſtantię patiuntur, ad Fidem reducere ſatagant; ad quem quidem effectum, ne dum iis eadem congruos redditus opportune ſuppeditat, verum etiam auctoritate Summi Pontificis curat, aliquem Epi-

(a) *Cardinalis de Luca in relat. Rom. Cur. diſ. 23.*

ſcopum, vel Archiepiſcopum in Vicarium Apoſtolicum deſtinari; aliquando tamen etiam in negociis forenſibus ſe immiſcet, & quęſtiones decidit inter Miſſionarios, aliaſque perſonas ſibi ſubditas emergentes, qua quidem in re laudabiliter adeo procedere ſolet, ut Samuel Pufendorſius (*a*) auctor cęteroquin hęreticus, laudem hanc Romanę Religioni vel invitus tribuere coactus ſit, aſſerendo, quod ſive ſtudium pacis inter Operarios, & Evangelicos Miniſtros promotum, ſive Religionis amplianda zelum ſpectemus, Romani Pontifices, Proteſtantium, & Infidelium mores in immenſum pene ſuperaſſe videantur

3. Quum vero, ut diximus, hujus Congregationis ſcopus pręcipuus ſit, ut Miſſionariorum ope, Infideles ad Fidem redigantur, fideles autem magis confirmentur: Hinc inter principaliores ſollicitudines ab eadem adhibitas duę recenſentur, una ſcilicet cavere, ne Chriſtiani in Turcicis regionibus degentes, vel infideles converſi Turcarum, vel infidelium moribus ſe ullo modo ita conforment, ut Turcicę, vel alterius cujuſvis ſectę profeſſores exiſtimentur, licet intimo corde Chriſti Fidem retinere fateantur; Et merito quidem: ſuppoſita enim Redemptoris noſtri denunciatione, qua ſe ultima Judicii die illos minime in ſuos agniturum affirmat, quos puduit ipſius Sectatores ſe profiteri (*b*): *Qui me erubuerit &c. hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua*, exploratiſſimum eſt, nec nomina Turcica, nec aliud Turcicæ profeſſionis argumentum poſſe ab iis retineri, qui Chriſtum ſequuntur, & definitum pariter fuit a Bened. XIV. *in*

(a) *In ſuo lib. de Monarchia Pont. Romani §. 4.* (b) *Luc. cap. 9.*

in Conſtitutione incip. Inter omnigenas, quæ eſt 89. *tom.* 1. *Bull. & in Epiſtola Encyclica ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & Miſſionarios Albanenſes directa, incipiente Quod provinciale Concilium, edita die* 1. *Aug.* 1754: Alterumque inſuper enixe curare conſuevit hæc Congregatio, ut ne dum Miſſionarii ſtatum Miſſionum accurate, frequenterque deſcribant, confectaſque relationes ad Congregationem tranſmittant, ut opportunæ proviſiones capiantur, ſed ut etiam Epiſcopi, ſi quas ederent Synodos, ad Sedem Apoſtolicam pro approbatione, & confirmatione tranſmittere curent, prout ab omnibus fere Epiſcopis fieri conſueviſſe notavimus in Inſtitutionibus noſtris Canonicis (*a*).

4. Quamobrem ſcimus, Synodum a Petro Epiſcopo Beritenſi Vicario Apoſtolico in Tunkino celebratam in pago Diughieu Provinciæ Kinam die 4. Februarii 1670. quæ Provincialis potius, quam Diœceſanæ indolem videtur præſetuliſſe, poſt ejuſdem examen præmiſſum ab hac ſacra Congregatione confirmatam fuiſſe a Clemente X. per Apoſtolicas literas datas 23. Decembris 1673. quæ extant inter Conſtitutiones Apoſtolicas pro Miſſionibus Sinarum, Tunkini &c. *typis Pariſienſibus impreſſas an.* 1676. *part.* 1. *pag.* 121. *& ſeq.* Similiter a Paulo V. approbatum fuiſſe Concilium Provinciale Mecliinienſe anni 1607 conſtat ex ejuſdem Brevi, quod conciliaribus ſanctionibus inſeruit Harduinus *ſuæ collectionis tom.* 10. *columna* 1969. aliaque his ſimilia exempla non deſunt.

5. Cæterum ut Apoſtolica Sedes Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Orientales ad labores pro Religione acriter ſuſcipiendos alliceret, præteri-

(a) *Sub tit. De Epiſcopis lib.* 1. *tit.* 4. *§.* 3.

terire non debemus, ne dum ampliſſimis privilegiis & juribus eos decoraſſe, ſed Orientalibus Patriarchis Catholicis latinum Pallium poſcentibus illud quandoque conceſſiſſe, ut a Clemente XI. factum novimus anno 1710. favore Patriarchę Alexandrini, itemque a Benedicto XIV. anno 1750. Patriarchę Armenorum in Cilicia, ut ipſe teſtatur in *Tractatu de Synodo Diœceſana* (a); ubi etiam allocutio in Conſiſtorio habita, qua univerſæ rei materies continetur, accurate refertur. Hactenus egimus de Congregationibus ad Fidei conſervationem, vel ampliationem deſtinatis, ordo nunc poſtulat, ut de illis aliqua proferamus, quæ diſciplinam reſpiciunt, cujuſmodi ſunt Congregationes Concilii, Epiſcoporum & Regularium, Diſciplinæ regularis, Immunitatis Eccleſiaſticæ, & Fabricæ, de quibus mox diſſerendum.

TITULUS XXXIII.

De Sacra Congregatione Concilii.

NE Sacræ Tridentinæ Synodi decreta pro univerſo Catholici orbis bono evulgata debita executione fraudarentur, aut in diverſos ſenſus, temere extorquerentur, exemplo Juſtiniani Imperatoris, qui *in l. 1. Cod. de veteri jure enucleando §. noſtram autem* expreſsè vetuerat, ne ad Codicem a ſe repetitum commentaria ab aliis ederentur, nedum Pius IV. cujus auctoritate, & Conſtitutione Tridentina Synodus fuerat abſoluta, confirmata, & evulgata in Conſtitut. *incip. Benedictus Deus*, edita 7. Kal. Februarii 1563. prohibuit commentaria, & gloſ-

(a) *Lib. 13. cap. 15.*

& gloſſas ad Tridentinum Concilium fieri, ſed ſubindè amplius declaravit, ut quatenus neceſſitas foret, ab iis dumtaxat conciliares diſpoſitiones interpretarentur, qui intentionem, & mentem conciliarem plane perſpectas haberent, ad quem quidem effectum octoCardinalium conſeſſum,ſeuCongregat. in Conſt.incip. *Aliàs nos*, edita 4. nonas Auguſti ſequentis anni 1564. providè inſtituit, quæ religioſæ exactæque ejuſdem Concilii executioni provideret, &, ſi quod dubium occurreret, Pontifici denunciaret.

2. Quoniam vero ſive ex circumſtantiarum, & temporum viciſſitudine, ſive ex alia qualibet excogitabili cauſa experientia compertum eſt, Conciliares ſanctiones, aut conſulto ſemper & indiſcriminatim Pontifice executioni demandari non poſſe, aut dubitari, an caſus nonnulli ſub decretis conciliaribus comprehenderentur, exemplo hinc ejuſdem Juſtiniani, qui poſtquam *in l.1. Cod. de vet. jur. enucl.* §. *noſtram* vetuerat, ne ad ſuum Codicem commentaria ederentur, prudentibus verò deinde interpretandarum legum auctoritatem conceſſit *in cit. l. 1.* §. *His itaque*: Hujuſmodi inquam exemplo innixi primum S. Pius V. ut advertit Fagnanus *in cap.Quoniam, de Conſtitutionibus*, deinde vero Sixtus V. in Conſtitutione *Immenſa* 11. *Kal. Februar.* 1587. eidem Congregationi facultatem indulſit in iis, quæ morum reformationem, vel diſciplinam reſpiciunt,dubia interpretandi, amplioreſque alias facultates conceſſit in aliàs citata Conſtitutione 74. Decreta Synodorum Provincialium recognoſcendi,Epiſcoporum poſtulatis circa diœceſum ſtatum reſpondendi, ea,quæ ad divinum cultum, chriſtianique Populi mores ſpectant, demandandi, aliaque hujuſmodi ab eadem Con-

Congregatione indulſit poſſe decerni in eadem conſtitutione contenta; quæ ut rite, & qua decet maturitate exequatur, habet hæc Congregatio ſuum ad inſtar aliarum Congregationum Præfectum, qui cum Secretario ex albo Præſulum ſelecto, appoſito ſigillo litteras, & Decreta ſubcribit, & vel bis in menſe, prout fit hyemali tempore, vel ſemel, prout fit in æſtivo, Congregationem eandem in Palatio Apoſtolico convocat, ex iis præſertim Cardinalibus conſtitutam, qui in jure Canonico magis verſati judicantur; ſubſcriptio autem, & ſigillum adeo requiruntur, ut de hac quoque Congregatione ſtatuerit Urbanus VIII. 2. Aug. 1632. quod ſupra de Congregatione Rituum advertebamus, declarationibus ſcilicet ſive impreſſis, ſive imprimendis, ac etiam manuſcriptis nullam fidem in judicio, vel extra debitam eſſe, niſi in authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejuſdem Congretationis fuerint munita.

3. Fruſtra vero Vaneſpen (a) hujus Congregationis erectionem redarguit, eo præſertim ex capite, quod non accitis e ſingulis Provinciis, aut ſaltem ex illis, unde difficultas orta eſt, intelligentibus viris, ut a Tridentino (b) fuit inſinuatum, ſed potius ex Cardinalibus, & plerumque Italis, & Curiæ Romanæ opinionibus, ut inquit, unice imbutis, & aſſuetis, Congregatio iſthæc fuerit inſtituta; Ultra quod enim in objecto decreto Tridentinæ Synodi remiſſum undique fuit Pontificis arbitrio, ut vel evocatis eiſdem viris, vel commodiore alia quavis ratione ei viſum fuiſſet, decretorum Conciliarium exe-

(a) *L. 1. tit. 22. Jur. Eccleſ. Univer. cap. 5.* (b) *Seſſ. 25. in fin. de recipiendis, & obſervandis decretis Concilii.*

executionem procuraret. Nemo ulterius non videt, quanto melius ac ſalubrius bono Eccleſiarum provideatur per hanc Congregationem erectam, & ſufficienti Cardinalium in jure præſertim Canonico peritorũ numero conſtitutam, cùm arduum nimis, & difficile alias foret in unaquaque controverſia viros iſtos ex diſſitis Provinciis accitos, & itineribus prægravatos in Urbe expectare. Cui etiam accedit, quod ne dum regulariter Cardinales exteri de Provinciarum moribus informati, & in Urbe morantes huic Congregationi inteveniunt, ſed quod plus eſt, nunquam, aut perrarò negocia in hac Congregatione expediuntur inauditis Ordinariis, quorum judicio, & relationi plurimum deferri conſuevit.

3. Diximus ſupra, inter alias facultates huic Congregationi conceſſas adſcribi decreta Synodorum Provincialium recognoſcere, Epiſcoporum poſtulatis circa Diœceſum ſtatum reſpondere, eaque demum, quæ ad divinum cultum, Chriſtianique populi mores ſpectant, decernere; Et quidem quod attinet ad recognitionem decretorum ab Archiepiſcopis, vel Epiſcopis in ſuìs Synodis editorum, meminiſſe iterum oportet eorum omnium, quæ in Inſtitutionibus Canonicis (*a*), & alibi etiam innuimus (*b*), nimirum ad tramites Conſtitutionis Sixti V. incip. *Immenſa*, quæ eſt 107. *tom.*4 *Bullarii part.* 4. debere Archiepiſcopos *Provinciales Synodos* ad Urbem transmittere a Congregatione Concilii revidendas, & approbandas. Dixi *Provinciales Synodos*, tantum enim abeſt, ut ad id teneantur Epiſcopi relate ad Synodos Diœceſanas, ut contrarium evidenter appareat, ex reſponſo ejuſdem Congre-

 ga-

(a) *Tit* 2. *§.* 3. *num.*50. (b) *Hoc lib. ſub tit. de Congregatione Propagandæ fidei.*

Digitized by Google

gitionis, quæ rogata, ut recognoſceret acta diœceſanæ Synodi Strongolenſis die 17. Junii 1645 Reſpondit, ſe non conſueviſſe revidere, & approbare, niſi Synodos Provinciales ex Conſtitutione Sixti V. & quod idcirco Epiſcopus uteretur jure ſibi ex ſacro Concilio competente, ut habetur *lib.* 17. *decretor. pag.* 484.

4. Quæri ſolet, an ſi Provincialia Concilia, vel facto verbo cum Pontifice, vel immediate ab ipſo Pontifice confirmentur, ut de Conciliis Provincialibus Mediolanenſibus a Gregorio XIII. confirmatis teſtatur Giuſſanus (*a*) pro hoc ſaltèm, caſu univerſam Eccleſiam adſtringant; Rem autem negativè reſolvit Fagnanus cum aliis ab eo citatis (*b*), advertendo confirmationem, adjicere quidem vires actui confirmato, ulterius tamen illum minime extendere, niſi aliud Superior expreſſerit, id unice limitando, ſi de rebus agatur alias ab Apoſtolica Sede approbatis, vel in corpore juris redactis, in quibus terminis egregiè applicatur vulgatum juris Eloquium (*c*). *Noſtra facimus, quibus noſtram auctoritatem impertimur.*

5. Diximus ulterius alteram hujus Congregationis facultatem eſſe reſpondendi Ordinariis circa Eccleſiarum ſuarum ſtatum eam conſulentibus; Qua quidem in re repetenda opportune eſt Conſtitutio Benedicti XIV. incip. *Decet*, quæ eſt 8. *in Bull. tom.* 1., qua quidem ne dum obligatio iiſdem Ordinariis injuncta a Sixto V. in Conſtitutione incip. *Romanus Pontifex* de viſitandis per ſe, aut per alium Apoſtolorum liminibus, alteraque ejuſdem Si-

(a) *In vita S. Caroli lib.* 6. *cap.* 2. (b) *In Cap. Canonum ſtatuta n.* 13. *de Conſtitutionibus*. (c) *L. l. Cod. de Vet. jure Enucleand.*

Sixti V. Conſtitutio incip. *Immenſa*, quam ſupra citavimus, de reddenda ratione ſtatus Eccleſiarum eidem Pontifici confirmavit, ſed particularem quandam Congregationem ex Cardinali Præfecto, & Secretario pro tempore Congregationis Concili, & nonnullorum Prælatorum Romanæ Curiæ cum Secretario Latinarum Epiſtolarum erexit, eidemque Congregationi Concilii hanc veluti appendicem adjunxit, decernendo, ejuſdem Congregationis Secretarium negocia ab Ordinariis ad Congregationem remiſſa, diligenter expendere debere, ut in peculiaribus Congregationibus relata, & reſoluta Romani Pontificis judicio per Secretarium Concilii ſubjicerentur.

6. Poſtremo diximus, huic Congregationi injunctum eſſe decernere, quæ reformationem morum, divinumque cultum reſpiciant. Quoniam vero difficile eſt generali aliqua regula ampliſſimam hanc nulliſque penè limitibus coercitam facultatem definire, magis enim a particularibus actibus, ſeu circumſtantiis, quam a generico, & indefinito jure ejuſdem Congregationis dependet; merito Card. de Luca ſequentes materias magis obvias, & ab eadem Congregatione reſolvi conſuetas, quæque ad caput reformationis morum, vel ampliandi divini cultus reducuntur, enumerat (a); ad Epiſcoporum ſcilicet, aliorumque beneficiatorum reſidentiam, ad reductionem Miſſarum ex cauſa decreſcentiæ fructuum, ac redditiuum pro earum celebratione deſtinatorum, ad cauſas profeſſionis Religioſæ ab illis emiſſæ, qui per metum eam emiſiſſe fatentur, vel qui velint poſt quinquennium adverſus eam reclamare, ad alias item diſpenſationes matrimonia-

Mm 2

(a) *In Relat. Rom. cur. diſcur.* 15.

niales, vel in impedimentis dirimentibus, vel in alia quavis materia a Tridentino prohibita, ad diſpenſationes pariter ab aliqua irregularitate publica, præſertim ex cauſa homicidii voluntarii contracta, prout etiam ad uniones beneficiorum, quæ ad tramites ejuſdem Concilii, aut Seminario, aut Canonicatibus, aut Eccleſiis Parochialibus fiant, ad permutationes inſuper vel reſignationes ab iiſdem Ordinariis admiſſas, ad juſtas vel injuſtas rejectiones a Parochialibus eorum, qui in concurſu ad eas adſpirabant, & demum ad quæſtiones juriſdictionales cum Prælatis inferioribus ſuper juriſdictione activa, vel cum exemptis ſuper viſitatione ac juriſdictione paſſiva, quæ in concernentibus curam animarum ſæpe excitantur; quas quidem materias ſummis ſaltem labiis attingere pro ulteriori eruditione non in opportunum judicamus.

7. Porro circa Epiſcoporum, aliorumque beneficiatorum reſidentiam ea ſunt in memoriam revocanda, quæ in Inſtitutionibus Canonicis(a) cumulatè protulimus, præſertim vero de onere reſidendi beneficiis parochialibus, & reſidentialibus injuncto, de cauſis a reſidentiæ onere excuſantibus, de fructibus, quos lucrantur reſidentes ſimul, & intereſſentes, ad differentiam aliorum, quos ſoli reſidentes acquirunt, & de aliis ad hanc materiam ſpectantibus, quæ conſulto hìc prætерimus, ne actum agere videamur; illudque ad effectum, de quo nunc agimus, innuiſſe ſat erit; quod nempe extra caſus a jure permiſſos, quos in eiſdem inſtitutionibus (b) expoſuimus, Romanum Pontificem ſacramque Congregationem Concilii adire oportebit, ad quam privative pertinet, a quovis tandem jure reſidentiæ onus

(a) *Lib. I. tit. 25.* (b) *Loco mox citato.*

Digitized by Google

onus deſcendat, beneficiarium ab eodem onere diſpenſare, & vel Præbendarum fructus, quos *groſſos* barbarè dicunt, ſimpliciter reſervare, vel etiam minutos in diſtributionibus conſiſtentes, ſi ita circumſtantiæ ſuadeant.

8. Progredimur jam ad alterum caput reductionis Miſſarum ob diminutionem redditutuum iis celebrandis deſtinatorum; circa quam quidem eſt opportune adnotandum, quod licet in puncto juris diſceptari poſſit, an Epiſcopi, aliique Ordinarii diminutis redditibus, Miſſarum onera, quæ ſtabiliter, & perpetuo celebranda forent, reducere valeant, per ea quæ advertit Fagnanus (*a*), qui etiam decretum Tridentinæ Synodi (*b*) profert, tamen cum deinde ſuperacceſſerint decreta Urbani VIII. confirmata ab Innoc. XII. per ſuam Conſtitutionem incip. *Nuper*, per quam Miſſarum reductio privative S. Sedi reſervatur, hinc ad Summum Pontificem, ſacramque Congregationẽ Concilii neceſſe erit recurrere, cum de eadem reductione tractatur, quæ inſpectis circumſtantiis id ſtatuet, quod in Domino expedire crediderit.

9. Quamvis autem eadem Congregatio Concilii delegare conſueverit Epiſcopos, alioſve Prælatos, ut ejus nomine Miſſarum onera reducant; imo quamvis BenedictusXIII.in decreto impreſſo inConcilio Romano anno 1725.(*c*) celebrato, ad omnes Epiſcopos, qui per ſe, vel per alium eidem Concilio interfuerant, decretum alias ab Innocentio XIII. favore omnium Superiorum regularium indultum reducendi onera Miſſarum extendiſſet; Tamen tam pro iſtis, quam in genere pro Epiſcopis, vel aliis Or-

(a) *In cap. ex parte n.41. & ſeq. de conſtitut.* (b) *Seſſ.25. cap.4. de reformatione*. (c) *Tit.15. cap.8.*

Ordinariis, quibus facultas reducendi delegatur, data eadem ſemper intelligitur exceptis ſubſidiis dotalibus, vel aliis diſpoſitionibus a defunctis quomodolibet factis, quæ ſub nomine Miſſarum non comprehenduntur, & ſervatis aliis conditionibus, quæ continentur in inſtructione, quæ inſeri ſolet in facultate iiſdem Epiſcopis, & Ordinariis attributa.

10. Hæc vero ad has conditiones redigitur, quod ſcilicet imminuti fuerint redditus pro onere Miſſarum aſſignati, ita ut ab altero, cui de jure competerent, ſuppleri non poſſint, ut late oſtendit præter alios Paſqualigus(a). Ulterius ut Miſſæ perpetuæ ad rationem ſcutorũ 60. regulariter reducantur. Item, quod ſi teſtator Miſſas Cantatas præſcripſerit, ipſæ primò reducantur, ut quod ex redditibus cuicumque legato aſſignatis ſupererit in celebrationem Miſſarum lectarum erogetur. Præterea quod remiſſis, ſeu condonatis Miſſis retracto tempore non celebratis infra octavam Commemorationis omnium Defunctorum, Anniverſarium pro iis, a quibus relictæ fuerant, nec celebrari potuerunt, celebretur. Et demum quod ſi Miſſæ perpetuæ ſint reducendæ, ad rationem Miſſæ manualis, ſeu illius Eleemoſynæ, quæ juxta ſtylum regionis pro manualibus Miſſis præfixa eſt, reducatur, adauctiſque redditibus, Miſſarum quoque numerus augeatur, ut diſertiſſime expoſuit Benedictus XIV. qui edita Conſtitutione 30. Junii 1741. incip. *Quanta, quæ eſt la 22. in Bull.* cohærenter ad antiquiores Conſtitutiones generaliter ſanxit, a quolibet Sacerdote (de Miſſis manualibus loquendo) ſtipendium, ſeu Eleemoſynam majoris pretii pro celebratione Miſſæ retinendo, non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſ-

(a) *Quæſt. 1168. de Sacrificio novæ legis.*

juſmodi celebraturo minus ſtipendium, ſeu eleemoſynam erogari, imo quamlibet mercaturam, & negociationem in Miſſis fieri ſub graviſſimis pœnis prohibuit in Encyclico Brevi, quod eſt in Bullario *num.*23. *eod. Tomo* 1., a quo plurima ex iis, quæ protulimus, ſicuti ex *tractatu de Synod. Diœceſana lib.*3. *cap.*11. excerpſiſſe profitemur.

11. Subſequitur nullitas profeſſionis Religioſæ ab iis in judicio promota, qui per vim, & metum, vel alia quavis ex cauſa nulliter profeſſionem emiſiſſe contendunt, eamque poſt quinquennium revocare conantur; prout etiam diſpenſatio matrimonialis, quæ vel in impedimento dirimente, vel in alia quavis re a Tridentino prohibita poſtulatur, quæque pariter ad hujus Congregationis indaginem regulariter ſpectat. Cum vero de utroque rerum genere ampliſſime tractaverimus in Inſtitutionibus Canonicis, de primo quidem *tit. ult. lib.* 1. de altero item *lib.* 2. *tit.* 9. nec non ſupra *de Dataria Apoſtolica* agentes, illud ſuperaddendum unice judicamus, nimirum a Benedicto XIV. providam editam fuiſſe die 4. Martii 1748. Conſtitutionem incip. *Si datam*, quæ eſt *la* 47. *tom.* 2. *Bull.* qua in cauſis prætenſæ nullitatis profeſſionis regularis hęc methodus ſervanda præſcribitur. Diſtinguitur ſcilicet ibi nullitas profeſſionis, quæ intra quinquennium a die ipſius profeſſionis introducatur, ab alia, quæ quinquennio jam completo proponitur: Et ad primum quidem genus quod attinet, inter alia cavetur, quinquennium computari debere a die Profeſſionis etiam in caſu metus permanentis, & impedimenti ad reclamandum, item actionem intentatam intra quinquennium licet deſertam, tamen ab Ordinario, & a Superiore regulari eſſe judicandam; pariter per Su-

Superiorem regularem ad effectum, de quo agitur, intelligi Superiorem localem de tempore motæ litis, & idem eſſe pro Monialibus affirmandum, ſi regularium regimini ſubſint, quo caſu ab Ordinario loci ſimul, & a Superiore Regulari cauſſa erit cognoſcenda, ad differentiam alterius caſus, quo ſoli Ordinario ſubjiciantur, tunc enim a ſolo Ordinario judicium proferetur. Cavetur inſuper, Apoſtatas repelli a limine judicii, niſi ad Religionem redierint, ac Judicium inniti debere rigoroſis probationibus, & proceſſibus judicialibus, in eoque judicio citari debere defenſores Monaſterii, & omnes intereſſe habentes. Ad hæc ab omnibus locorum Ordinariis defenſorem profeſſionum ſtatuitur deputandum, & ſi ad Judicem ſecundæ inſtantiæ appellatum fuerit, vel ſi eadem cauſſa ſit renovanda, in omnibus judiciis defenſorem profeſſionis ſemper adeſſe debere. Poſtremo a prima ſententia pro nullitate lata per dictum defenſorem appellandum eſſe decernitur, ac executionem unicæ ſententiæ pro nullitate ſuſpendi, donec in ſecunda, & ulteriori inſtantia cauſſa ab aliis Judicibus, ad quos de jure poſt ſententiam Ordinarii in gradu appellationis devolvitur, revideatur, ita tamen, ut una cum Superiore Regulari monaſterii ejuſdem Ordinis, iidem Ordinarii indiſtincte procedere debeant, unico excepto caſu, quo cauſa apud Apoſtolicam Sedem cognoſcatur.

12. Progreditur deinde Conſtitutio ad caſum, quo poſt quinquennium ab emiſſa profeſſione ejus nullitas proferatur, quo caſu reſtitutio in integrum petitur, & hanc ab Apoſtolica Sede privative concedendam ſtatuitur, ejus tamen conceſſionem Judicibus inferioribus aliquando delegandam, nec niſi præ-

ſi prævio proceſſu, & examine cauſſarum, & ſub pœna nullitatis actorum, defenſorem profeſſionis adſiſtere debere, tam confectioni proceſſuum de cauſſis reſtitutionis in integrum, quam examini cauſſæ principalis apud Sanctam Sedem agendæ, duplici examine requiſito antequam Ordinarius, & Superior etiam in puncto reſtitutionis in integrum procedere valeant; & denique prohibetur, ne quis ſub clypeo unicæ reſolutionis pro conceſſione reſtitutionis in integrum editæ e religioſis clauſtris migrare, & habitum regularem deponere audeat.

13. Pari autem vigilantia non ſolum idem Pontifex neceſſariæ diſcuſſioni cauſſarum ad obtinendas diſpenſationes matrimoniales allegatarum proſpexit in Conſtitutione incipiente *Ad Apoſtolicæ*, quæ eſt *la* 45. *in Bull. tom.*1. cujus alias meminimus *in tit. de Datario*; ſed ut frequentiæ cauſſarum earundem, quæ ad obtinendam declarationem nullitatis matrimoniorum, vel diſpenſationis ſuper matrimonio rato, in Tribunalibus Urbis, & præſertim in Congregatione Concilii, vel coram Pontifice proponebantur, alteram Conſtitutionem evulgavit 8. Novembris 1741. incipientem *Dei miſeratione*, quæ eſt *in Bull. tom.* 1. *n.* 33. In hac vero Conſtitutione Pontifex ſapientiſſimus, quod ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo cauſæ matrimoniales committuntur, relatis encyclicis litteris ad Ordinarios die 26. Auguſti 1741. ſcriptis, in quibus ea præſcripſerat, quæ ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis conſona ſunt, illis adjunxit, quod quamvis Decretum Concilii Tridentini, quo cauſæ matrimoniales ſubtractæ fuerunt a Judicum inferiorum judicio, & Epiſcoporum examini reſervatæ, pro-

cedat de iis inferioribus Judicibus, qui dd. cauſſarum cognitionem ſibi adrogabant; nihilominus cauſſas matrimoniales non niſi Epiſcopis, & his deficientibus Judicibus ſynodalibus committendas mandavit, ſtatuitque, ut ab omnibus Ordinariis in ſuis reſpective Diœceſibus perſona aliqua idonea eligatur, quæ matrimoniorum defenſor nominabitur, ad cujus officium ſpectabit hujuſmodi cauſas coram Judice diſceptare, iſque debebit in quolibet actu citari, & matrimonii validitatem tueri, & ad Judicii validitatem perſona neceſſaria cenſeatur, ſive unus, ſive ambo ex conjugibus in judicium veniant; Defenſor autem, cùm ei munus hujuſmodi committetur, juramentum præſtabit; & quæ peracta fuerint eo non citato irrita declaravit, & ſi a Judice pro matrimonii validitate judicabitur, & nullus ſit qui appellet, ipſum etiam ab appellatione abſtinere mandavit, ſin autem contra matrimonii validitatem ſententia proferatur, defenſor appellabit adhærens parti, quæ validitatem poſtulabat. Inſuper poſt unicam ſententiam ſive appellatum ſit, ſive non, nemini licere ad alia vota tranſire ſub pœnis contra Polygamos ſtatutis injunxit.

14. Circa defenſoris inſuper officium, quæ in prima inſtantia præfinivit, eadem in ſecunda inſtantia cuſtodienda mandavit; Et ſi Judex in ſecunda inſtantia fuit Metropolitanus, aut Nuncius, aut Epiſcopus vicinior, Matrimonii defenſor erit, qui ab ipſis fuerit electus, prout etiam ſi commiſſa ſit cauſſæ cognitio Judici Commiſſario, qui juriſdictionem ordinariam non habeat, voluit, ut idem utatur defenſore illius Ordinarii, in cujus Diœceſi & Curia cauſſa cognoſcetur. Poſt duas vero conformes eſſe in arbitrio conjugum voluit novas nuptias contra-

trahere, niſi appellatum ſit, vel alicui eorum ob aliquod impedimentum fuerit vetitum, vel niſi aliquid novi detegatur. Pro iſtis denique cauſſis coram Cardinali Vicario in Urbe diſcutiendis in prima inſtantia, ab eodem defenſorem Matrimonii deputandum. Pro cauſſis extra Urbem, quas omnes judicari voluit in ſacra Congregatione Concilii, vel in cauſſarum Palatii Auditorio, defenſorem a Cardinali Præfecto, vel ſi in Palatii Auditorio, a Decano, vel demum in Congregatione particulari a perſona ejuſdem Congregationis digniore eſſe eligendum, & in omnibus hiſce Tribunalibus unicam ſententiam ſuper nullitate Matrimonii minime ſufficere, voluit ad tribuendam facultatem novas nuptias contrahendi, ſed rurſus in iiſdem Tribunalibus cauſſam ad defenſoris inſtantiam reproponendam; decrevitque demum, inſtantiam pro diſpenſatione Matrimonii rati, & non conſummati non recipi a dictis Congregationibus abſque remiſſione Pontificis, nec abſque ejus oraculo poſſe definiri.

15. Accedunt his, & inter facultates Congregationis Concilii item recenſentur diſpenſationes ab irregularitate ex homicidio voluntario, item uniones beneficiorum, necnon permutationes, & reſignationes ad formam Conciliaris diſpoſitionis agendæ, de quibus abunde in Inſtitutionibus Criminalibus, & Canonicis actum eſt, in criminalibus quidem *lib.* 4. *tit.* 4. ubi plura de irregularitate congeſſimus, circa quam unice ſuperaddimus, non deeſſe exempla ſimilium diſpenſationum a Congregatione Concilii indultarum, tam pro illis, qui ad Ordines jam erant promoti, quam pro aliis, qui voluntarii homicidii crimen egiſſent, antequam Ordinibus initiarentur, dummodo tamen graviſſimum

crimen per atteſtationem Ordinarii, aliorumque qualificatorum virorum diuturna, & publica pœnitentia expiatum fuiſſe, & de utilitate in proximum ex diſpenſatione obventura conſtaret, ut teſtatur Benedictus XIV. (*a*). De unionibus autem *tit.* 12. *lib.* 2. & de permutationibus, vel renunciationibus *tit.* 16 *lib.* 1. *Canonicarum Inſtit.* pertractavimus, ad quos Lectorem remittimus, illud dumtaxat hic ſubjiciendo, quod licet ex Conſtitutione S. Pii V. incipiente *Quanta*, quæ eſt *la* 58. *Bullarii veteris tom.* 2. qua vetitum fuit Ordinariis, aliiſque collatoribus, in quorum manibus reſignationes, vel permutationes fierent, ne idem beneficium ſuis, aut reſignantis conſanguineis, vel familiaribus darent, de qua quidem Conſtitutione ampliſſime agit Inſtitutio Benedicti XIV. 91. latinæ editionis; conſtans tamen fuit Congregationis Concilii mens, eandem Pianam Conſtitutionem, neque ad permutationes bona fide, & citra fraudem factas, neque ad vacationem per obitum, neque ſi a Romano Pontifice fiant, porrigi debere, ut pluribus citatis advertit idem Benedictus XIV. (*b*).

16. Rejectiones poſtremo ab Ordinariis factæ eorum, qui ad Parochias adſpirant, & præeminentiales quæſtiones ab iis promoveri ſolitæ, qui qualitatem Nullius, ſeu territorium ſeparatum habere præſumunt, inter materias hujus Congregationis occurrunt. De utroque autem genere ſatis tractatum eſt in aliàs citatis Inſtitutionibus Canonicis, nimirum de concurſu habendo ad beneficia curata *lib.* 1. *tit.* 23. Illudque unice in hanc rem ſuperaddendum arbitramur, nimirum pro beneficiis, quibus cura ani-

(a) *De Synodo Diœceſana lib.* 16. *cap.* 10. §. 19. (b) *Lib.* 13. *cap.* 24. *de Synod. Diœceſana.*

animarum adnexa eſt, ſive a Romano Pontifice ob ſequutam in menſe Apoſtolico vacationem, ſive ex alio affectionis, & reſervationis titulo conferantur, nec ad Ordinariorum ſpectent collationes, ex cenſura Conſtitutionis Bened. XIV. incip. *Cum illud*, quæ eſt 68. §. 19. *ejus Bullarii tom.* 1. cautum fuiſſe, ut vacante beneficio curato reſervato Sanctæ Sedi ratione menſis, habitoque concurſu, ejus Acta ad Datariam ab Ordinariis non tranſmittantur, ſed dumtaxat Datario ſignificandum, quem ipſi magis idoneum exiſtimant; Si vero ex alio quovis titulo beneficium reſervetur, habitu m tunc concurſum ad Datariam mitti oportere per familiares litteras ad Datarium conſcriptas, deſignando, quem ipſi cenſeant digniorem, & an quiſquam ex concurrentibus occulto aliquo crimine ſit irretitus. Quamvis autem pro eo præſertim caſu, quo Parochiarum, vel beneficiorum Curatorum collatio ab Ordinariis dependeat, fas undique ſit ab eorum judicio ad Congregationem Concilii provocare, abſtinere enim debent a judicio, quando collatio Apoſtolicæ Sedi reſervatur; Debet tamen univocis, & luce meridiana clarioribus probationibus irrationabilitas iſta Judicii conſtare, cùm in quovis dubio Ordinariorum electioni ſit deferendum.

17. Reſolutio autem quæſtionum præeminentialium inter Epiſcopos, & Prælatos inferiores, cùm unice pendeat a qualitate territorii ſeparati, de qua quidem tractavimus in iiſdem Inſtitutionibus Canonicis (a), ad eas pariter Lectorem remittimus, ne plus æquo in rebus, quas ſummis labiis deguſtaturos promiſimus, immorari videamur. Verùm cùm eo jure, quo privativa interpretatio decretorum Con-

(a) *Lib.* 1. *tit. ult.*

Concilii Tridentini huic Congregationi, quæ idcirco Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum nuncupatur, attributa eſt, aliis etiam Congregationibus competat, & præſertim illi, quæ *Epiſcoporum, & Regularium* dicitur, executionem Decretorum ejuſdem Concilii decernere, merito ad Congregationem Epiſcoporum, & Regularium properamus.

TITULUS XXXIV.

De Congregatione Epiſcoporum, & Regularium.

Dominici ſane Gregis cura Romano Pontifici concredita præcipue flagitat, ut inter Regulares familias promoveatur concordia, divinus cultus augeatur, & gravamina illa, quæ aliquando a Prælatis in ſubditos inferuntur, removeantur, ac moderentur. Proindeque Sixtus V. in pluries memorata Conſtitutione 74. inter alias Congregationes erectas illam, quæ *Epiſcoporum, & Regularium* dicitur, provide inſtituit ex Cardinalibus, & uno Prælato, qui Secretarii munus gerit, compoſitam, ut in forma ſummaria, &, ut inquiunt, extrajudiciali, ſeu, quod idem eſt, abſque ſtrepitu, & figura Judicii cauſſas expediret.

2. Triplex vero eſt procedendi modus, qui juxta diverſitatem negociorum in hoc Tribunali ſervatur; vel enim agitur de negociis ordinariis, aut quæ moram non patiuntur, & a Secretario una cum Cardinali Præfecto præviis neceſſariis informationibus extrajudicialiter præmittendis, & aut ab Ordinariis, aut ſi ipſi ſuſpecti ſint, a Metropolitanis, vel vicinioribus, vel ab aliis etiam qualificatis perſo-

nis

nis requiſitis, reſolvuntur, aſſumpto nomine Congregationis, ejuſque auctoritate, idque vel per epiſtolas ab utroque ſubſcriptas, vel per ordines, aut in ſcriptis, aut oretenus datos præſertim Epiſcopis præſentibus in Curia, ſi agatur de eorum Diœceſibus, vel Procuratoribus Generalibus, ſi res inter Regulares agatur.

3. Alia item negociorum genera ſunt, quæ ampliorem indaginem flagitant, atque iſta quidem proponenda ſunt a Secretario in plena Cardinalium Congregatione, ut maturius reſolvantur, in qua quidem Congregatione Secretarius, qui refert, voto caret, refertque dumtaxat ſupplicum libellorum porrectorum a partibus accuratum reſtrictum, ſive compendium cum documentis, quæ gratiam retrahere, aut faciliorem reddere poſſunt.

4. Ultima demum negociorum qualitas eorum eſt, quæ graviora cæteris reputantur, & in quibus partes hinc inde ſcripturas diſtribuunt, aut ipſemet Secretarius opportunè credit materiam pertractandam a Cardinalibus Congregationem componentibus examinari, quo quidem caſu unum Cardinalem in Ponentem, ſeu Relatorem deputare ſolet, qui in plena Congregatione, quæ ſingulis feriis ſextis, niſi aliquid obſtet, in Palatio Apoſtolico habetur, iiſdem Cardinalibus a partibus, eorumque Advocatis, vel Procuratoribus præventive informandis referat, atque proponat.

5. Quemadmodum verò tam in Congregatione Rituum, quàm Concilii decreta debent eſſe a Cardinali Pręfecto, & Secretario ſubſcripta, & ſigillo munita, ut ſibi fidem adſciſcant (*a*), ut in ſuis locis

(a) *Vaneſpen Jur. Eccl. tit. 22. n. 6. Card. De Luca in rel. Curiæ hoc tit.*

locis innuimus, ita de hac Congregatione eſt aſſerendum, cujus etiam decreta, vel per litteras in forma Brevis, vel per monitoria Auditoris Cameræ executioni ſæpe mandantur, ut notavit Card De Luca (*a*). Neque eſt circa eadem decreta, vel reſcripta hujus Congregationis prætereundum, quod ut ea exactius cuſtodiantur, non ſolùm in Regeſtis per extenſum deſcribuntur, ſed ulterius indicantur in altero libro, quem *Vacchettam* barbare dicunt, in quo quidem libro ſeparatim negocia colliguntur Epiſcoporum, vel Diœceſum, aut Regularium virorum, aut demum Monialium, ut deinde habita notitia reſcriptorum editorum, & dierum, quibus edita ſunt, in regeſtis integre recognoſcantur, niſi fortaſſe res fuerit de negociis ſecretis, quæ quidem in peculiari altero libro, quem *Vacchettam ſecretum* vocant, deſcribuntur, atque notantur, ne aliis abſque expreſſo ordine Secretarii manifeſtentur, ſive ad evitandum ſcandalum, quod aliàs ſequeretur, ſive ex aliis prudentialibus, & œconomicis motivis, quæ in iis, qui huic Tribunali præſunt, peculiari quodam jure deſiderantur.

6. Porro tam ex titulo hujus Congregationis, quam ex diviſione materiarum, quas innuimus, probe, optimeque intelligitur, vel circa Epiſcopos, vel circa Regulares univerſas hujus Tribunalis materias eſſe directas; & quemadmodum Epiſcoporum nomen latiſſime accipitur pro omnibus Prælatis, Ordinariis, Vicariis, & Officialibus quibuſcumque, ita Regularium nomen in æquali extenſione uſurpatur, ut mendicantes, & non mendicantes, alioſque omnes comprehendat, quos in Inſtitutionibus Canonicis(*b*) ſub hoc nomine intelligi affirmavimus; imo

(a) *In hoc tit. in relatione Curiæ*. (b) *Tit. ult. lib. 1.*

imo eorum bona ſub hac denominatione imbibuntur, quæ ad Eccleſias ipſas, vel Eccleſiaſticas perſonas quomodolibet pertinent. Illud vero in more habet hæc Congregatio, cùm de prima ſpecie negociorum tractatur, ut quandocumque contra Ordinarios recurſus proponuntur, præmiſſa neceſſaria informatione, de qua ſupra, debitam juſtitiæ adminiſtrationem gravatis injungendam eſſe decernat.

7. Quod ſi ita circumſtantię ſuadeant, & de juſto timore conſtet, quod ſævities contra aliquem ab Ordinario exerceatur, illud etiam adjungitur, ut ſcilicet procedere nequeat Ordinarius ad actus irretractabiles excommunicationis, carcerationis &c. niſi aut eadem Congregatione, aut Metropolitano ſatis inſtructis, obtentaque ab ipſis facultate procedendi, ut notavit Pignattellus (*a*). Quod tamen non extenditur ad caſum, quo quis in gravi crimine in fragranti deprehenderetur (*b*).

8. Imo ſi de criminibus ab iiſdem Ordinariis forte patratis, vel de infamia per eoſdem contracta, ratione cujus impares adminiſtrandæ Eccleſiæ videantur, agatur, gravioribus etiam, & extraordinariis remediis uti hæc Congregatio conſuevit, vel vocandi Epiſcopos ad Urbem, vel in Monaſterium eos ſaltem ad tempus detrudendi, vel Vicarios Apoſtolicos deputandi; quæ quidem una eſt ex facultatibus peculiari jure huic Congregationi attributis in citata Conſtitutione 74. Sixti V.; quorum quidem Apoſtolicorum Vicariorum cùm meminerimus in Inſtitutionibus Canonicis (*c*), cumque inter alios Præſul Jo: Baptiſta Baſſi de Vicario Apoſtolico accuratum tractatum ediderit, uberiora prętermittimus;

(a) *Conſultatione* 124. *tom.* 10. (b) *Ex decret. ejus Congreg.* 5. *Martii* 1660. (c) *Lib.* 1. *tit.* 13.

mus; Illudque unice ſuperaddimus, ne dum pro eo caſu a Congregatione Epiſcoporum Apoſtolicum Vicarium deputari conſueviſſe, quo ex Epiſcopi culpa publica infamia contracta ſit, ut ab Epiſcopatus adminiſtratione idcirco ſuſpendatur, aut removeatur, ſed etiam cùm metus urget, ne diutius Eccleſia viduata Paſtore remaneat, ſive cùm adverſa valetudine affectus Eccleſiam gubernare non poteſt, aut demum cùm in Vicarii Capitularis electione ob ſciſſuras forte in Capitulo exortas, vel ob negligentiam in eligendo, alter a Congregatione deputatur, ut advertit Benedictus XIV. (*a*), qui etiam præcedenti cap. 9. adnotavit, Vicarium Capitularem ſemel electum, non poſſe inconſulta hac Congregatione revocari (*b*).

9. Hæc circa Epiſcopos, alioſque Ordinarios innuiſſe ſat eſt, nunc ad Regularium negocia, quæ ab eadem Congregatione abſolvuntur, tranſeamus, in quorum claſſe cùm præcipue adſcribantur Fundationes Monaſteriorum, & Conventuum, tranſitus ab uno ad alterum Monaſterium, egreſſus a clauſura Monialibus aliquando permiſſus, licentia Puellis indulta, ut in Monaſterio educentur, Famularum quoque pro Monialium ſervitio introductio, dotis pariter augmentum, vel diminutio juxta circumſtantias, & Monialium qualitates præſcripta, diſpenſationes pro eligendis, ſeu pro iis, qui eligere non poſſunt, Confeſſariorum extraordinariorum deputatio, exfiliationes item de uno in alterum Conventum Regularibus viris permiſſę, Religioſorum graduum iiſdem conceſſio, recognitio gravaminum iiſdem Regularibus, quandoque a Prælatis inflictorum, & inſpectio ſeu indago electionum,

(a) *De Synodo Diœceſana lib. 2. cap. 10.* (b) *Ex Barboſa de Canonicis, & dignitatibus cap. 42.*

ctum, vel alienationum, quæ inconſulta Sede Apoſtolica fieri non poſſunt. Ad has idcirco rerum, & negociorum ſpecies explanandas accedimus, ut retenta eadem methodo, qua in recenſendis facultatibus S. Congregationis Concilii uſi ſumus, facultates hujus Congregationis in his omnibus proferamus.

10. Fundationes igitur Conventuum primo ſeſe offerunt inter materias Regularium ab hac Congregatione cognoſci conſuetas; Exploratum quippe eſt ex cenſura textus *in cap. Religionum 55. de Religioſ. domibus in 6. & in c. Cum ex ea, de exceſſ. Prælator. pariter in 6.* novorum Monaſteriorum aquiſitionem Regularibus fuiſſe interdictam, itemque Conſtitutione Innocentii X. quæ extat *num. 17. in Bullar. Rom. tom.* 4. Monaſteriorum, & Conventuum erectionem præſertim in Italia, Inſuliſque adjacentibus, Sedis Apoſtolicæ, & hujus Congregationis judicio eſſe reſervatam. Quamviſque Trident. (*a*) edixerit, Monaſteria ſive Virorum, ſive Mulierum, inconſulto Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſita ſunt, erigi non poſſe, nihil tamen inde ademptum eſt (quidquid ſit de Hoſpitiis) primævo juri Sedis Apoſtolicæ, ut animadverſum fuit a Rota in Heiſtetten. fundationis per tres Decis. Unam die 10. Maji 1726. alteram die 26. Aprilis 1728., quæ repetuntur & tertiam aliarum confirmatoriam coram bon. mem. Ratto, quæ eſt 258. *tom.* 3.

11. In approbandis autem Conventibus, & Monaſteriis illud præ oculis habere ſolet iſthæc Congregatio, an ſcilicet concurrant conditiones, & requiſita præſcripta a Conſtitutionibus Apoſtolicis, præſertim Clementis VIII. *Conſtit.* 74. *in Bullar. novo tom.* 3. & Gregorii XV. *Conſtitut.* 31. qui amplian-

(a) *Seſſ. 25. de Regul. cap. 3.*

pliando Conſtitutionem Clementis VIII. in qua præſcribebatur, novos Conventus fundari non poſſe, niſi auditis Religioſis illius loci, ubi erigi volebant, illud adjecit, ut præter eoſdem audiantur, qui per quatuor millia paſſuum in illis circumvicinis locis exiſtunt, ne ſcilicet ex nova erectione Miſſarum, aut aliarum obventionum eleemoſynæ Conventibus, & Eccleſiis jam erectis minuantur, divinus cultus decreſcat, & inter Regulares familias perturbationes, & rixæ facile excitentur, quæ quidem cauſſæ ſi ceſſent, aliquando idem conſenſus defectus diſtantiæ ſuppleri, & relaxari conſuevit, ut notarunt inter alios Lezana (*a*), Rodriquez (*b*), Ventriglia (*c*), aliique.

12. Tranſitus etiam de una ad alteram Religionem nedum a Sacra Pœnitentiaria, ut ſupra notavimus, ſed ab hac quoque Congregatione Regularium indulgetur, & quidem ſive Religioſis, ſive Monialibus. Ad Religioſos quod attinet, paſſim hujuſmodi tranſitus præſertim ad ſtrictiorem conceduntur etiamſi forte fugitivi ſint; & Apoſtatæ Regulares tranſire volentes, juxta diſtinctionem, quam in Inſtitutionibus Criminalibus (*d*) notabamus. Requiritur tamen indiſtincte, ut ad alium Ordinem commigretur, in quo regularis vigeat obſervantia, ex *Tridentin. ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 4. item ut Superior alterius Ordinis paratus exiſtat ad eum recipiendum; & demum quod recta via ad alteram Religionem tranſitus fiat ex Conſtitutione Bened. XIII. incipiente *Licet* 112. *tom.* 12. *Bull. Rom.* novæ editio-

(a) *De dubiis Regular. verbo Monaſterium n.* 5. (b) *Quæſt. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 35. *art.* 7. (c) *In praxi de nov. Monaſt. ædific. adnot.* 18. *§. unico*. (d) *Sub titulo de Apoſtaſia*.

tionis, & ex altera Bened. XIV. incipiente *Paſtor bonus*, quæ eſt 95., ubi, excepto ordine S. Joannis de Deo, ad militares, vel hoſpitales Ordines vetitum eſt commeare; Imo ſi de Religioſis Soc. Jeſu tractetur, excepta Religione Cartuſiana, poſt nuncupata tria ſimplicia vota nequeunt ad aliam Religionem pertranſire, ex Conſtitutione Gregorii XIII. confirmata a Clemen. XI. in Conſtit. *Sacri Apoſtolatus* 264. *pag.* 2. *tom.* 11. *Bullarii Romani* novæ editionis.

13. Tranſitus Monialibus quoque aliquando ab hac Congregatione conceditur, ſi ob ſævitiam aliarum Monialium, vel aerem inſalubrem diutius in Monaſterio perſiſtere nequeant, ſoluta tamen nova dote Monaſterio ad quod, niſi ex culpa Monaſterii a quo cauſſa diſceſſus contigerit (a). Egreſſum item a Clauſura Monialibus pariter hæc Congregatio impertitur, ſi graves circumſtantiæ illum expoſtulent, quarum quidem tres præcipue referuntur in Conſtit. S. Pii V. incipiente *Decori*, *& honeſtati*, quæ eſt 8. *tom.* 2. *Ball. Vet. &* 13. *tom.* 4. *part.* 2. novæ impreſſionis, magni nimirum incendii, lepræ, & epydemiæ, ſeu peſtis; deinde tamen magis ſpiritum, quam corticem Pianæ Conſtitutionis attendendo ad alios ſimiles caſus fuerunt auctoritate Sedis Apoſtolicæ eædem cauſæ extenſæ, nimirum ſi Moniales valetudinis cauſſa Cœlum aeremque meliorem debeant immutare, aut neceſſe habeant ſalubres aquas potare, vel earum balneis mergi in locis, in quibus e naturali fonte erumpunt, vel ſi inſania corripiantur, aut ſi phthyſi, vel ſcorbuto adeo inficiantur, ut ſine aliarum Monialium periculo, nequeant in Monaſterio perſiſtere, in quibus ſane caſi-

(a) *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 12.

caſibus ſolet ab hac Congregatione Ordinariis committi egreſſus a Monaſterio, dummodo honeſtis Matronis Moniales tradantur, niſi Patris, vel patruorum, vel fratrum, vel matris fidei, aut aliarum honeſtarum mulierum cuſtodię conſanguinitatis vinculo junctarum commodius, & ſecurius poſſint concredi; item quod nunquam Monialis habitum dimittat; & demum, quod recta a Monaſterio diſcedant, & recta ad Monaſterium, ceſſante morbo, vel alia cauſa, revertantur: Late Bened. XIV. (*a*), qui etiam iteratis Conſtitutionibus cohærenter ad antiquiores privative S. Sedi reſervavit facultatem egrediendi a Clauſura Monialibus dandam, in Conſtitutione incipien. *Cum Sacrarum* 21. & in altera incipien. *Salutare* 40. *tom.* 1. *Bull.*

14. Subſequuntur licentiæ puellis datæ, ut intra Monaſteria educentur, vel ut in qualitate famularum Monialibus ſerviant, necnon diſpenſationes vel circa dotem, vel circa habilitationem ad ſuffragandum, vel circa officia, vel demum circa Confeſſarios extraordinarios. Et ſane circa licentias puellis datas, ut in Monaſteriis educentur, uſus invaluit, ut pro Urbe, & Italia typis Cameralibus imprimantur, & ſubſcriptæ a Secretario ejus Congregationis exhibeantur Epiſcopis, qui in Monaſteriorum viſitatione præcipue recognoſcere adſtringuntur, an pro educandis locus a Monialibus ſeparatus exiſtat, an ſumma pro alimentis in pecunia numerata fuerit anticipate ſoluta, alięque conditiones a Decretis Apoſtolicis præfixæ, quas refert inter alios Pellizar. (*b*) religioſe ſerventur. Quod vero ad ancillas, & famulas ſpectat, ſervanda omnino

(a) *De Synod. Diaceſ. lib.* 13. *cap.* 12. (b) *De Monialibus cap.* 5. *num.* 185.

nino eſt, prout ſervari ab hac Congregatione conſuevit, Conſtitutio Bened. XIV. incip. *Per binas, edita die* 24. *Januarii* 1747. quæ eſt *la* 18. *tom.* 2. *Bull.* ubi præſcribitur ordo ſervandus pro ingreſſu puellarum educandarum, ſive famularum in Monaſteria, ad quæ admitti non poſſunt ſine legitima authenticaque Sedis Apoſtolicæ licentia toties, quoties opus fuerit impetranda, & prævio examine, ſuper moribus, fama, habilitate, & neceſſitate educandarum, vel famularum per Antiſtites locorum Ordinarios tantummodo habenda, ſub canonicis cenſuris, ac pœnis contra Moniales, & quaſcumque fœminas cum facultate impertita Epiſcopo abſolvendi de præterito tantum, aliiſque etiam ad hunc effectum ſubdelegandi.

15. Dotis pariter diminutionem iiſdem puellis profiteri in Monaſterio volentibus aliquando hæc Congregatio impertitur, aliquando vero illius augmentum expoſcit. Qua quidem in re peculiariter perſcrutatur, an iis redditibus Monaſterium, proviſum exiſtat, quæ ſuſtentandę Moniali pares exiſtant, cohærenter ad cenſuram Tridentini *cap.* 3. *&* 5. *de Regular.* ſtatuentis, ut in Monaſteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum is tantum numerus conſtituatur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis congrue poſſit ſuſtentari; Quamobrem ſi Monialis ſupra numerum recipiatur, vel ſi inhabilis ſit ad aliquod Monaſterii munus obeundum, quod debeat per aliam ſuppleri, vel ſi alia ſimilis circumſtantia concurrat, dos duplicata eſſe debebit, aut ſaltem erit augenda; minuenda contra, ſi inops præſertim ſit Virgo accipienda, vel aliqua qualitate decorata, ratione cujus ejus receptio ſit Monaſterio proficua,

ſicua, vel ſi redditus Monaſterii ſint adeo excreti, & ad eam copiam adaucti, ut ex eadem receptione nullum ſit illi incommodum obventurum, ut relatis S. Congregat. Decretis notavit Monacellus (*a*).

16. Sæpe etiam ab hac Congregatione diſpenſatur iis, quæ vel eligi non poſſunt, vel alias eligere nequeunt. Porro circa eas, quæ eligi non poſſunt, repetenda ſunt, quæ in Inſtitutionibus Canon. (*b*) late protulimus; nimirum de requiſitis, quæ in Monialibus exiguntur, ut ad regimen Monaſterii aſſumantur, quorum quidem ſi aliquod deſit, ſacram hanc Congregationem oportet adire, ut inſpecta qualitate, & merito ejuſdem Monialis, præmiſſoque Judicio Ordinarii, opportune diſpenſet; Prout æqua lance agendum eſt, ſi de diſpenſatione tractetur iis concedenda, quæ ſive quia plures ſunt ſorores, ſive ob delictum commiſſum privantur jure ſuffragii, ut citatus Monacellus exponit (*c*).

17. Poſtremo non ſolùm a Pœnitentiaria, ut ſupra innuimus, ſed ab hac quoque Congregatione Confeſſarii extraordinarii ſive ſæculares, ſive Regulares deputantur; etſi enim Regularibus ſine bujus Congregationis Decreto vetitum ſit Moniales alloqui, & ad earum clauſtra accedere, niſi forte ſint in primo, vel ſecundo gradu conjunctæ, quo caſu poſſunt Epiſcopi facultatem impertiri ex animadverſis a Tambur. (*d*), & Monacell (*e*), Tamen ſi de earum Confeſſionibus excipiendis agatur, tantum abeſt, ut id ſit ullo modo prohibitum, ut Conſtitutione Bened. XIV. incipien. *Paſtoralis Curæ* 56.

ejus

(a) *Form. Legal. pract. tom.* 1. *Annotat. tit.* 11. (b) *In tit. de electione.* (c) *Form. Regul. pract. tit.* 11. *num.* 20. *& ſeq.* (d) *De jure Abbatiſſ. diſp.* 26. *quaſt.* 3. *n.* 1. (e) *Dict. tit.* 11. *tom.* 1. *form.* 18.

ejus Bullarii tom. 2. ſuadeatur Epiſcopis horum Confeſſariorum deputatio unicuique etiam Moniali juſte eam petenti concedenda ; Pariterque Superioribus Regularibus injungitur, ut ſaltem quotannis iiſdem Monialibus ſibi ſubjectis, ſive ex Clero ſæculari, ſive ex altero Regulari Inſtituto Extraordinarium Confeſſarium deſignent, *iiſque negligentibus* Epiſcopis, deputatio ſubſidiarie committitur.

18. Præter negocia Monialium, ampliora longe ſunt, quæ circa Regulares viros ab hac Congregatione expediuntur, præſertim verò exfiliationes de uno in alterum Conventum Regularibus permiſſa, Religioſorum graduum conceſſio, gravaminum a Prælatis iiſdem Regularibus inflictorum cognitio, & demum generica inſpectio electionum, vel alienationum, inconſulta Sede Apoſtolica quæ fieri non poſſunt.

19. Non in omnibus ſane Monaſteriis, & Conventibus exfiliationes admittuntur, ſed in illis dumtaxat, in quibus cùm vita communis ſaltem perfecta introducta, & recepta non fuerit, nec profeſſio ſummæ ſaltem, arctiſſimæque paupertatis exerceatur, Livellorum hinc uſus invaluit. Sunt autem livella portiones redditaum ad inſtar peculii Caſtrenſis, vel quaſi Caſtrenſis a Religioſo ex propriis laboribus, V. G. ex Concionibus, Cathedris, vel aliis ſimilibus induſtriis, aut etiam ex paternis redditibus in profeſſione reſervatis ad Religioſum uſum conſtitutæ, quarum quidem exempla in Monialibus æque, ac Religioſis viris. paupertatem, vitamque communem ſaltem perfectam non profitentibus paſſim occurrunt. Qui de vita communi, ejuſque præſtantia uberiora deſiderat, adeat Bened.

XIV. (*a*), necnon Tractatum Romæ impreſſum anno 1695. De vita Communi.

20. In iſtis ergo Virorum Conventibus, præſertim Ordinis Prædicatorum, Conventualium, S. Auguſtini &c. filiationes fuerunt etiam vigore Conſtitutionum admiſſæ, vi quarum inter alios effectus ita intelligitur Religioſus Conventui aggregatus, ſeu, ut inquiunt, incorporatus, ut quemadmodum Pater adoptivus, multoque magis naturalis, filio ſuccedit, ita Conventus poſt obitum Filii Religioſi, quem affiliatum habebat, quidquid ſive in pecunia, ſive in mobilibus, ſive in libris, ſive in altera rerum ſpecie ſuperfuit, liberè acquirit. Quoniam verò ſępè contingit, ſive intuitu hujus ſucceſſionis, ſive ob meritum alicujus Religioſi, ſive ex alia quavis rationabili cauſa, ut tranſitus ad alium Conventum pro nova filiatione poſtuletur, debet pro hoc caſu ad Sacram hanc Congregationem recurri, quæ licet audito Priori Generali conſenſum filiorum Conventus a quo diſpenſare ſoleat, ac relaxare, generaliter tamen, & indiſtinctè conſenſum filiorum Conventus ad quem exigere conſuevit, ne alias alteri Conventui invitis illius filiis inferatur injuria, & quiſquam aggregatus eidem, Conventui cum ſumma omnium perturbatione remaneat, juxta praxim, de qua Card. De Luca (*b*); & quam petiit etiam Urſaya (*c*).

21. Graduum quoque Religioſorum conceſſio ſæpè ab hac Congregatione à Regularibus petitur, quando præſertim deſunt iis requiſita a Conſtitutionibus

(a) *De Canoniz. Sanctorum lib. 3. cap. 41.* (b) *De Benef. diſcur. 11. num. 10. & de Canon. diſcur. 28. num. 6., & de Regul diſcur. 53. num. 4.* (c) *Diſcept. Eccleſ. tom. 3. part. 2. diſcept. 296. & ſeq.*

nibus volita, ſed hoc non obſtante per æquipollens iis munitos eſſe ſibi blandiuntur, ut ſi alicui officio, vel miniſterio vacaverint, quod æque debeat apud cordatos viros reputari, & ita in Religione ipſa fuerit alias exiſtimatum. Atque huc ſpectant Magiſteria, Paternitates Provinciæ, Diſcretatus, aliique his ſimiles honores plerumque conſtituti in jure ſuffragii in Capitulo Generali, vel Provinciali, & in præcedentia ſupra reliquos Religioſos; In quo quidem rerum genere quamquam prævia informatione Prioris Generalis, aliquando Congregatio non abnuat, cautè tamen ſe gerit, ne honores illi, & Privilegia iis a Conſtitutionibus Ordinum jure, meritoque præfinita, qui gradatim per meritorum ſemitam inceſſerunt, nimia deindè facilitate, & cum aliorum injuria vileſcant.

22. Utinam verò inter frequentiores, magiſque obvias Regularium inſtantias non occurrerent recurſus pro gravaminibus, & moleſtiis a Prælatis ipſis illatis, quorum ratione ſæpe fugã arripere, & Religionẽ deſerere compelluntur. In qua quidẽ rerum ſpecie monitos Regulares volumus, quod licet variis Religionibus pro ſimilibus recurſibus evitandis plura fuerint Privilegia conceſſa, ut gradatim, & ordine ſuo a Religioſis ad Superiores provocetur, nempè a Guardiano, vel Priore ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem &c. appellatione quavis altera prohibita, nunquam tamen intelligitur inde excluſa hæc Congregatio, etiamſi omiſſo medio ad illam recurratur, tum quia quoties in hoc Tribunali Cauſæ diſcutiuntur, intra eundem Ordinem Regularem examinari, & judicari cenſentur, ut notavit Card. De Luca (a), & ſimat etiam Thomas de

 Jeſu

(a) *In hoc tit. n. 16.*

Jeſu (*a*); tum quia etiam pro caſu vetitæ appellationis, id debet intelligi de appellatione frivola, inſulſa, nec ſolito fundamento munita, ut advertimus in Inſtitut. Canon. (*b*). Quibus accedit, vix, ac ne vix quidem fieri poſſe, ut recurſus etiam immediatus ad Principem, & miniſtros illum repræſentantes intelligatur excluſus, quin ipſe Princeps ſeipſum imperio expoliaſſe videatur.

23. Illud etiam inter gravamina Religioſis inflicta aliquando accenſetur, de quo in hac Congregatione conqueruntur, ut ſcilicet eos a Religione tanquam incorrigibiles dimittere Prelati Regulares contendant, quando aut incorrigibiles verè non ſunt, aut incorrigibilitas iſta non eſt undequaque probata. Mandat autem hæc (vel altera quævis Congregatio ſive Concilii, ſive Diſciplinæ Regularis, de qua infra,) *ut decreta alias edita religiosè ſerventur*. Antiquioribus autem Decretis omiſſis, quæ leguntur penes Paſqualigum ſuper controverſiis Laureti de Franchis, anno 1693., nova prodierunt Innocen. XII. approbante, quibus cautum eſt, ut annalis carcer in pœnitentia, & jejunio antea ab Urbano VIII. ſtatutus ad ſex menſes contraheretur, & Provinciales, aſſentientibus ſex ex eadem Provincia Religioſis deſignandis in Congregatione Provinciali, & a Generali confirmandis, incorrigibiles expellere poſſint, reſervato jure eidem Generali, & multo magis Apoſtolicæ Sedi ſententiam expulſionis infirmandi, & revocandi ut advertit Ben. XIV. (*c*). Neque eſt in hoc genere prætereundum, quamlibet expulſionis ſolemnitatem abeſſe, ſi de Presbyteris Congregationis Miſſionis, vel Philippinis,

(a) *De viſit. Regul. Tract. 3. cap.* 17 (b) *Lib. 3. tit.* 17.
(c) *De Synod. Diæceſan. lib. 3. cap.* 11.

pinis, vel Piis Operariis agatur, qui cum vota permanendi in Religione minime emittant, inde libere poſſunt abire, & æquali libertate dimitti.

24. Parum verò immorandum eſſe credimus in electionibus, quarum nullitates paſſim in hac Congregatione ad trutinam, ut præmiſimus, revocantur, in quarum quidem examine opportunè diſtinguitur, num vitio intrinſeco eadẽ electio fuerit infecta; an ſecus; & licet priori caſu eandem ſacra iſthæc Congreg. ſoleat infringere, & infirmare, ſeu verius nullam, & invalidam declarare, in altero tamen caſu œconomicè potius, quam juridicè agendo eandem ſanare conſuevit, ut teſtatur citatus Urſaya (*a*). Poſtremo attingendas non credimus alienationes Bonorum ad Regulares quomodolibet, immo ad Eccleſias quaslibet, & loca pia etiam ſæcularia pertinentes, quæ inconſulta hac Congregatione fieri nequeunt cum de iſtis in Inſtitutionibus Canonicis ampliſſimè tractaverimus (*b*); unde abſtinemus ea, quæ, diximus, in medium proferre, ne rem jam actam agere videamur. Quum tamen Appendix, & filia Congregationis Epiſcoporum, & Regularium altera videatur, quæ *Diſciplinæ Regularis dicitur*, ad illam progredimur.

TIT.

(a) *Part. I. diſcept. 36. num. 231., & part. 2. diſcept. 16. num. 49., & alibi paſſim.* (b) *Lib. 2. tit. 20.*

TITULUS XXXV.

De Congregatione Diſciplinæ Regularis.

QUamquam iteratis Sanctionibus Tridentinæ Synodi (*a*), itemque Clementis VIII. generalibus Decretis anno 1596., & 1599., necnon Innocentii, & Alexandri VII. pro Novitiorum receptione, & Profeſſorum educatione ſalubriter editis ſperari potuiſſet; nihil ulterius fore ad optimum Regularium Familiarum regimen deſiderandum; cùm tamen experientia planè comprobaſſet, faciles nimium ſe præbere Prælatos in Novitiorum admiſſione, ut ſic numerus Regularium excreſceret, providas inſuper Fundatorum Leges a Novitiis accuratè ſervandas manifeſtè contemni, aliaque his ſimilia contingere, quæ præclariſſimos cæteroquin, & de univerſa Eccleſia optimè meritos Regularium Ordines minus, quàm par eſt, Eccleſię eidẽ proficuos inſipientibus ſaltem, quibus etiã debitores ſumus ex Apoſtolo (*b*), credere faciunt; hinc opportuno planè conſilio præter Congregationem Epiſcoporum, & Regularium a Sixto V. inſtitutam, de qua hactenus egimus, alteram erexerat Innocentius X. *ſuper ſtatu Regularium* nuncupatam, & ex nonnullis Cardinalibus, & Romanæ Curiæ Præſulibus compoſitam, ad eum præcisè finem, ne ſcilicet ex parvis Regularium cœtibus, & ex difficultate inde eruta exequendi Regulas pro unoquoque Ordine præfixas Regularis rueret diſciplina. Hac verò Congregatione erectà novam inſtituit, aut ſaltèm antiquam reſtauravit Innocentius XII.

(a) *Seſſione* 25. *de Regul.* (b) *Prima ad Tim.* 7.

XII. *in Conſtitutione 96.* ejus Bullarii, quam *Diſciplinæ regularis* vocant, cui quidem omnes illas facultates attribuit, quæ ab Innocentio X. Congregationi *ſuper ſtatu Regularium* fuerant attributę.

2. Inter has porrò facultates præcipuè recenſentur, poſſe intra fines Italiæ, Inſularumque adjacentium, deſignare Conventus, Monaſteria, & domos quorumcumque Regularium virorum pro Novitiis, & Profeſſis, eoſque mutare, transferre, ſupprimere, prout utilitas, & neceſſitas poſtulaverit, nec non licentiam Prælatis Regularibus indulgere, recipiendi Novitios, Religioſorum numerum ſtatuendi, eumque juxta circumſtantias augendi, & minuendi; ad eandemque demum Congregationem ſpectat præcipuè inſiſtere ſuper inſtitutione, & educatione Novitiorum eorumdem ad formam Conſtitutionis Clementis Octavi, & exequendi Conſtitutionem Innocentii X. incipien. *Inſtaurandæ*, & decretum ejuſdem incipien., *Ut in parvis, edit. die* 10. *Februarii* 1654., quibus omnes Conventus ſupprimebantur, in quibus ſex ſaltèm Religioſi honeſtè ſuſtentari non poſſent, ſubjiciendo Ordinariorum poteſtati illos, in quibus duodecim ſaltèm Religioſi juxta alteram Conſtitut. Urbani VIII. non alerentur.

3. Meritò autem ad formam alterius, quæ *ſuper ſtatu Regularium* dicebatur, Congregatio iſthæc fuit, ut diximus, inſtituta, ut admittendorum ſcilicet Religioſorum numero, & Novitiorum educationi præeſſet. Scimus enim cauſam, cur tot reperiantur profugi, apoſtatæ, ejecti, & pravis moribus imbuti Regulares, potiſſimùm eſſe redundantem eorum numerum, nimiam inſuper facilitatem, qua ad habitum aſſumuntur, & poſtremò

mò contemptum Regularum, quæ ad probandam Novitiatus tempore eorum vocationem inſtitutæ providè ſunt, ut in principio hujus tituli advertebamus, & totidem ferè verbis advertit Benedictus XIV. (*a*), qui appoſitè ſubdit, nihil inde detractum eximio Regularium Ordinum merito, quibus veluti firmiſſimis munimentis Eccleſia fulcitur, Catholicis probatiſſimæ vitæ ratio exhibetur, hæreticis autem confuſio, ut notavit etiam Raynaldus (*b*).

4. Sane ut iſtis omnibus abſurdis opportuno conſilio proſpiceretur, Benedictum XIV. *Conſtitutione* 47. *tom.* 2. *Bullarii* non modicas Paſtoralis ſollicitudinis partes direxiſſe intelligimus. Circa numerum verò Religioſorum ad mittendorum repeti poteſt literale decretu Trid. (*c*), quod ſupra innuebamus de Congregatione Epiſcoporum, agentes nimirum ut in prædictis Monaſteriis, & domibus virorum, & mulierum is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis congruè poſſit ſuſtentari; quod quidem decretum ab Innocentio X. innovatum fuit in Conſtitutione incipiente *Apoſtolici Monaſterii* §. 14. confirmata a Benedicto XIII. per aliam incipien. *In ſupremo Militantis Eccleſiæ*; ampliorique plane modo huic etiam puncto proſpexit Innocentius XII. in ſuo decreto *de ejectis*, *&* *ejiciendis* anno 1693., & ulterius Regularium Ordinum bono conſulere volens præ-

(a) *De Synodo Diœceſana lib.3. cap.II.* (b) *Tom.17. ſuorum operum, & præſertim in opere, quod inſcribitur De Apoſtaſia a Religioſis Ordinibus pagina 17. & ſequentibus.* (c) *Seſſione 25. cap.3. de Regularibus.*

prædictam, ut diximus, Conſtitutionem evulgavit, in qua hanc Congregationem erexit, & per ſumma capita ſanxit, in unaquaque Provincia deſtinandum eſſe Conventum, in quo vita communis religioſè ſervetur, in eoque Novitios eſſe recipiendos, in Conventibus item ad Novitiatum deſtinatos nonniſi graves exemplareſque Religioſos intra eum numerum, qui ex eorum redditibus, aliiſque obventionibus ali poſſint, recipiendos, aliaque his ſimilia in eadem Conſtitutione præſertim circa vitam communem in Conventibus introducendam providè ſtatuuntur.

5. Antequam inſuper Novitii ad Habitum admittantur, hujus Congreg. licentia præmittenda eſt, quam petere adſtringuntur omnes Ciſmontanæ Provinciæ, eaque obtenta, Miniſter Provincialis debet in ſua Provincia concurſum indicere, & concurrentes in definitorio ſervatis ſervandis receptos, ſeu admiſſos cum eorum requiſitis Generali præſentare, ut ipſe conſulto Procuratore Generali ex eis eligat, quos noverit in Domino magis idoneos, intra numerum tamen a Congregatione permiſſum.

6. Poſtremo quod ſpectat ad alteram hujus Congregationis facultatem de numero duodecim Religioſorum in Conventibus exigendo, & de ſupprimendis illis, ubi ſex ſaltèm Religioſi commodè congrue non poſſint, non eſt prætereundum, quod licet d. Innoc. X. in citato decreto *Ut in parvis* ſuppreſſos jam Conventus Religionibus reſtituerit, ſubjici tamen eoſdem voluit Ordinariis, ſi duodecim Religioſi ſuſtentari non poſſint, quoad alios verò in ſuppreſſione ab eo facta non comprehenſos, viſitationi, & ſubjectioni Ordinariorum, tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatorum pari jure

ſubjecit, ſi ſex Religioſi non alerentur, quorum ad minus quatuor Presbyteri forent, ut conſtat ex decreto ejuſdem Pontificis per extenſum relato a Monacello (*a*), qui etiam varias declarationes ad nonnulla dubia circa interpretationem Conſtitutionis *Inſtaurandæ*, & decreti, *Ut in parvis* accuratiſſimè refert. Cum ergo aliquando oporteat eoſdem Conventus, vel ſuppreſſos, vel ſupprimendos, attenta qualitate Locorum, Inſtantiis Principum, & præſertim defectu alterius Eccleſiæ, ubi populus Sacramenta recipiat, Regularibus reintegrari, vel etiam Conventus ſupprimere, aut ſaltèm contingat dubia circa interpretationem Innocentianæ Conſtitutionis excitata definire, hujus Congregationis erit hoc munus obire.

7. Mirabitur fortaſſe quiſquam, quod Congregationem hanc *Diſciplinæ Regularis* in numero aliarum adſcripſerimus, quæ totius Orbis bono præficiuntur, cùm cæteroquin intra fines ſolius Italiæ ejus juriſdictio, ut diximus, circumſcribatur. Mirari tamen deſinet, ſi ſeriò animadvertat filiam hanc eſſe Congregationis Epiſcoporum, ut ſupra pariter præmiſimus; Item ſæpè etiam ultra Montes vigore ſpecialium facultatum a Pontifice obtentarum eandem Congregationem procedere. Poſtremò abuſivè ſaltem vocari poſſe Congregationem in totius Orbis bonum directam, cùm nemo ignoret, quantum in univerſum Orbem emolumentum, & commodum ex optima, accurataque Regularium diſciplina reſultet. Nunc de Congregatione Immunitatis agendum.

T I-

(a) *Ad formularium legale practicum pagina* 438. *tomo primo*.

TITULUS XXXVII.

De Congregatione Immunitatis.

QUàm impenſe curaverit Apoſtolica Sedes, ut debita locis, rebus, & perſonis Deo dedicatis Immunitas illæſa, & ſarta tecta cuſtodiretur; ex alia verò parte ne Delinquentes, & Rei eadem Immunitate abuterentur, aut extra ſacrorum Canonum fines eadem Immunitas arbitrariè extenderetur cumulatiſſimè viſum eſt in Inſtitutionibus Canonicis (*a*), ubi Immunitatis originem, ſpecies, & effectus abundè protulimus. Cùm igitur expediret, certum aliquod Tribunal inſtitui, quod occurrentibus dubiis circa eandem immunitatem, quæ a Laicis præſertim excitantur, commodè poſſet adiri, provido hinc opportunoque conſilio S. Mem. Urbanus Octavus Congregationem hanc juriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ erexit. Diximus, ab Urbano Octavo hanc Congregationem erectam; antiquitus enìm per alteram Epiſcoporum & Regularium negocia ad immunitatem ſpectantia tractabantur, ut aſſerit Cardinalis De Luca (*b*), quamquam incerta res undique ſit, num vivæ vocis oraculo, an per decretum Conſiſtoriale, aut per Conſtitutionem aliquam, quæ in Bullario ejuſdem Pontificis relata non ſit, eadem inſtitutio fuerit acta.

2. Privativa porrò immunitatis cognitio, quæ huic Congregationi reſervatur, extrajudicialiter & ſummariè plerumque exercetur per Epiſtolas ad Nuncios, alioſque Prælatos directas, quibus provi-

Q q 2 ſio-

(a) *Lib.2.tit.3.* (b) *In Relat. Rom. Curiæ ſub hoc tit.*

ſiones, & reſolutiones captæ præviis neceſſariis informationibus denunciantur.

3. Quod ſi contingat, cauſſam aliquam graviorem proponi, ea quidem per Prælatos a Pontifice deputatos, & mediante reſtrictu ex proceſſibus, ab Ordinariis, aliiſque Judicibus tranſmitti ſolitis eruto, Cardinalibus hanc Congregationem componentibus referri conſuevit. Immo plerunque quatuor ſunt Præſules ſtabiliter, & fixè ad hanc Congregationem deputati, Secretarius ſcilicet, unus ex Auditoribus Rotæ, unus ex Clericis Cameræ, & Advocatus Fiſci, ultra alios pro arbitrio Pontificum ſelectos. Præeſt quoque huic Congregationi Cardinalis, qui Præfectus dicitur, & ſigillum aſſervat, quique regularitèr ſemel in menſe Congregationem convocat die Martis in Palatio Apoſtolico habendam; & ſi graviores controverſiæ contingant Pontificem adit; ut quatenus juridica remedia non proſſint immunitatis Eccleſiaſticæ refractarii, prudentibus illis, & œconomicis temperamentis, & proviſionibus compellantur, quas rerum circumſtantiæ ſuadeant.

4. Cæterum principaliores Cauſſæ in hac Congregatione propoſitæ, præſcindendo ab illis, quæ cum Supremis Principibus pertractantur, quæque per organum Secretariæ ſtatus, aut Congregationis particularis reſolvuntur, rediguntur ad examen criminum, quæ immunitate non gaudeant juxta Conſtitutiones Apoſtolicas in iiſdem Inſtitutionibus noſtris Canonicis allegatas, vel ſuper modo, vel ſuper loco capturæ, prout etiam ſuper vectigalibus, & Gabellis, quas Magiſtratus, vel Communitates Sæculares perſonis, & locis piis imponere audeant. Circa quæ quidem negocia qui reſolutiones, & decreta à Congregatione Immunitatis edita in unum

unum collecta deſiderat, adeat Petrum Andream Riccium Abbatem Generalem Congregationis Refor. S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſium, qui Typis Taurinenſibus anno 1719. Synopſim eorundem accurate evulgavit. Non eſt tamen pro coronide prætereundum, ad ſatis tenuem molem hujus Congregationis negocia ætate noſtra fuiſſe redactam, cùm Benedictus XIV. ſummo, quo effervit zelo conſenſions & pacis inter Sacerdotium, & Imperium, varias concordias cum Principibus Laicis inierit. Concordata porro celebriora ſunt inter Sanctam Sedem, & Regem Sabaudiæ, quæ impreſſa leguntur typis Taurinenſibus anno 1741., quæque refert Rigantius (*a*). Alia item extant inter S. Sedem, & Regem utriuſque Siciliæ typis Neapolitanis, quæ refert idem Rigantius (*b*); & demùm concordata circa beneficia vacantia in Hiſpaniis his acceſſerunt, quæ licet non impreſſa, nec typis adhuc (quod ſciamus) mandata, omnibus tamen notiſſima ſunt.

TITULUS XXXVII.

De Congregatione Fabricæ.

UT fatiſcentem, & ob ſui vetuſtatem reſtauratione indigentem Baſilicam Sancti Petri in ampliorem formam Summi Pontifices redigerent, pari animorum fœdere, & zelo conſpirarunt. Julius porrò II. in Conſtitutione incipiente *Liquet*, quæ eſt 22. uberrimas Indulgentiarum gratias illis con-

(a) *Ad Regulam 2. Cancell. Tomo I. §. 1.* (b) *Ad Regulas Cancellariæ in regula 24. Cancel. §. 3. Tom. 2. num. 5., & ſequent.*

conceſſit, qui eleemoſynam, aut operam ejus ſtructuræ conferrent, commiſſarioſque huc illucque pro eleemoſynarum collectione tranſmiſit, eorumdemque Commiſſariorum facultatem Leo X. Conſtitutione 10. ampliavit, ſtatuens eos poſſe pia, & incerta Legata Fabricæ applicare. His verò facultatibus cùm Commiſſarii abuterentur, Clemens VII. Conſtitutione tertia Collegium 60. virorum ex univerſis Nationibus ſelectorum inſtituit, a Juriſdictione Cardinalis Archipresbyteri ejuſdem Baſilicæ eos eximendo in iis, quæ fabricam reſpicere poſſent, iiſque facultatem concredidit Judicem deputandi, qui debitores compelleret, illudque Collegium eo uſque creditur pervaſiſſe, donec ædificii moles ad deſignatam ab initio formam redacta videretur. Sixtus itèm V. Conſtitutione 102. Cardinali Archipresbytero juriſdictionem ſupra hoc Collegium attribuit cum facultate eoſdem viros mutandi, corrigendi, aliaque decernendi, quæ in fabricæ commodum redundarent. Clemens ulterius VIII. Conſtitutionibus prætermiſſis aliorum Pontificum, *Conſtitutione ſeptima, & octava* eodem Collegio ſuppreſſo, peculiarem Congregationem Fabricæ erexit, in qua præter Cardinalem Præfectum, deſignatoſque alios Curiæ Prælatos, nempè Auditorem Cameræ, Theſaurarium, Præfectum Apoſtolici Palatii, Decanum S. Rotæ, & unum ex Clericis Præſidentibus Cameræ, nec non Judicem Ordinarium ipſius Fabricæ, ejuſdemque Fabricæ Generalem Œconomum, tamquam Congregationis Secretarium, & Fabricæ Advocatum, plures alios Cardinales, & Prælatos adjunxit, cum Perito ratiocinatore, qui computorum reviſioni præeſſet, alteroque Miniſtro, qui in fabricæ directione ſe ingere-

reret, eaſdemque Conſtitutiones Innoc. XII. Conſtitutione III. *in ejus Bullario fol.* 12. confirmavit, & tandem Benedictus XIV. Conſtitutione incipien. *Quanta* 53. *ejus Bullar. tom. III.* eaſdem pariter declaravit, confirmavit, & ampliavit.

Ad duas autem claſſes hæc Congregatio dividi ſolet, ſeu duæ hujus Congregationis ſpecies recenſentur; una dicitur *major*, ex Cardinalibus ſimul, & Prælatis compoſita, eaque *generalis* etiam vocatur; altera *minor*, ſeu particularis ex Officialibus, & ex antiquiore ejuſdem Congregationis Cardinali, ſeu ex Præfecto uti capite conſtituta. Utraque verò Congregatio duo cauſſarum genera diſtinguit, quarum aliæ ſunt contentioſæ, œconomicæ aliæ. In contentioſis porro pro Urbe, & Statu Eccleſiaſtico agitur contra Defunctorum hæredes, vel alios, ad quos ſpectat pro piarum diſpoſitionum exequutione, aut cum Legatariis, qui incapaces prætendantur, ſeu quod iis excluſis fabrica ſubingrediatur, quod quidem in iis præſertim caſibus accidit, quibus vel ob propriam incapacitatem, ſive juris, ſive facti, vel quia ignorant, cui hæreditates, vel legata tradere debeant, ex quo is eſt undique incertus, fabricæ ſunt applicanda, ut latius oſtendunt Quaranta, & Urſaya (a). In quibus ſane controverſiis in prima inſtantia ad inſtar aliorum Magiſtratuum per ſupradictum Judicem fabricæ ſententia profertur, & ſi ſuſpectus is ſit, Prælatus alter hujus Congregationis a Cardinali Præfecto deputatur, idque procedit, ſi cauſſę ſint appellabiles, ſi enim fuerint executivæ, coram prędicto Cardinali Pręfecto ſummarie diſcutiuntur, ejuſque definitioni ſi partes non acquieverint, ad plenam Congregationem deferuntur; niſi for-

(a) *In Compendio Privilegiorum Fabricæ S. Petri.*

forte de graviori aliqua cauſſa tractetur, quę prę-
vio voto Rotę reſolvi quandoque conſuevit, ut notavit Cardinalis De Luca (a).

3. Ad œconomicas autem hujus Tribunalis facultates quod attinet, eæ porro reducuntur in ſumptibus pro ſarta tecta ſervanda fabrica Templi S. Petri, aliiſque Vaticanæ Baſilicæ opportunitatibus perſcrutandis, quos quidem ſi quingentorum ſcutorum ſummam non exceſſerint, etiam ſine Congregationis particularis, aut Summi Pontificis aſſenſu Cardinalis Præfectus, una cum Oeconomo fieri jubent, aliàs enim Congregationis particularis judicio ſubjiciuntur, cui quidem Congregationi ſingulis 4. menſibus computa generalia erunt exhibenda, excitata Conſtitut. Bened. XIV. incipien. *Quanta* 53. *tom.* 3. *Bullar.* qui novam Congregationem ad dirigenda negocia œconomica ex Cardinali Præfecto & tribus Cardinalibus compoſitam provide erexit; & quemadmodum in Congregatione Generali bis quolibet anno habenda cauſſas contentioſas, ita in dicta œconomica particulari Congregatione cauſſas rerum ad œconomiam ſpectantium tractari mandavit.

4. Compoſitio porro una eſt ex frequentioribus materiis, quæ ab hac Congregatione, vel ab ejus Secretario expediuntur, cujus nomine intelligitur remiſſio, ſeu condonatio Miſſarum non celebratarum, pro quibus recepta eſt eleemoſyna, vel fructus in caritativum ſtipendium pro earum celebratione, & applicatione addicti fuerunt in diverſos uſus erogati. Quamvis autem certa plane res ſit, tam condonationes eaſdem, quam reductiones Apoſtolicæ Sedi eſſe reſervatas, neque Epiſcopos,

(a) *Diſc.* 20. *in Relat. Curiæ n.* 26. *&* 27.

pos, alioſque Ordinarios in iiſdem ſe poſſe immiſcere, errant tamen, qui reductiones, cum condonationibus, ſeu remiſſionibus gratis confundunt; reductiones enim Miſſas in futurum celebrandas, quæque ob tenuitatem redditųum diminutorum celebrari non poſſunt, reſpiciunt, eaſque per organum Congregationis Concilii relaxari ſupra aſſeruimus (*a*); Condonationes contrà circa Miſſas in prçteritum non celebratas, & pro quibus eleemoſynæ receptæ ſunt, ut innuimus, diriguntur, quæque per Congregationem Fabricæ prævia compoſitione ab inſtantibus facienda condonantur, perpenſis tamen prius omiſſionum cauſſis, aliiſque circumſtantiis animadverſis, quæ condonationem eandem concedi flagitant, vel denegari. Verum ſi condonatio, ut plerumque accidit, indulgeatur, non aliter id fieri ſolet, quam congruum per inſtantes Miſſarum numerum ab aliquibus Cappellanis huic muneri deſtinatis in Vaticana Baſilica celebrari faciendo, modicamque aliquam eleemoſynam, quæ compoſitio dicitur, perſolvendo, præter reliqua opera pia juxta facti circumſtantias iis imponenda, qui condonationes expoſtulant. Imo condonationum, ſeu remiſſionum reſcripta, ut fraudibus occurratur, ſequenti clauſula debent eſſe munita juxta Conſtitutionem Innoc. XII. ſupra citat. *Monitos eſſe voluit Sanctitas ſua, condonationes, & reductiones ab eadem ſede non niſi ex rationabili cauſa, ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones verò a dicta fabrica attentis ſuis facultatibus, ſeu privilegiis, non niſi ex cauſa pariter rationabili, & cum clauſulis opportunis, & præſertim cum illa, dummodo malitioſe*

(a) *In tit. de Congr. Concilii.*

non omiſerint, animo habendi compoſitionem, alias gratia nullo modo ſuffragetur.

5. Fruſtraque hinc, imo cum manifeſta veritatis injuria aliqui conqueruntur de hujus Tribunalis inſtitutione, vel aſſerentes in præjudicium, & detrimentum ordinariæ Juriſdictionis Epiſcoporum Congregationem hanc inſtitutam fuiſſe, quorum auctoritas in contumaces, & negligentes Legatorum piorum exequutionem, certis fuit, ut inquiunt, limitibus definita, atque coercita, vel quod plus eſt temere jactitantes, telonium hoc eſſe expiſcandis aliorum pecuniis deſtinatum. Prima enim objecti pars facile ſolvitur advertendo, non ad omnes æque regiones hujus Tribunalis auctoritatem protendi; ita ut in locis eidem Tribunali non ſubjectis integra maneat Epiſcopis hujuſmodi rerum poteſtas. Urget vero ulterius, memoratum Tribunal in ipſis ſibi ſubjectis locis juriſdictionem ſuam exercere non poſſe, niſi ad ſupplendam Epiſcoporum negligentiam; ab obitu namque piorum teſtatorum integrum anni ſpatium iiſdem Epiſcopis datur, quo labente nihil fabricæ Tribunal aggredi poteſt, juxta Conſtitutionem 3. & 9. Clem. VIII. nec niſi poſt evolutum ab obitu teſtatoris annum piarum voluntatum executioni ſe immiſcet, eo plane modo, quo in aliquibus Synodis XIV., & XV. ſæculi legitur definitum, ut ſi intra annum executores a Teſtatore deſignati ejus voluntatem non implevissent, hujus executionis cura ad Epiſcopum devolveretur, ut notavit Thomaſſinus (*a*), & advertit etiam Benedictus XIV. (*b*), qui etiam appoſite ſubdit, pro caſu, quo nec Epiſcopus intra anni ſpatium Legatorum

torum

(a) *De Beneficiis tom. 3. lib. 1. cap. 24. n. 10. & 11.*
(b) *De Synod. Diœceſ. lib. 13. cap. 11. ſ. 3.*

torum piorum, onerumque Miſſarum executionem fuerit aggreſſus, neque poſt annum Tribunal fabricæ quidquam præſtiterit, & rebus utrinque acquieſcentibus longius ſpatium temporis forſan effluxerit, locum cumulative inter Epiſcopum, & Fabricam ſupereſſe, & rei notionem ad eum ſpectare, qui primo prævenerit; idque teſtatur etiam Urſaja (*a*), qui in compendio privilegiorum hujus Tribunalis caſus omnes exponit, & in ſpecie deſignat, quando ſuis privilegiis uti, vel non uti Fabrica poſſit.

6. Hactenus verò dicta facile etiam evincunt de mendacio, & calumnia eorum querelas, qui fabricam telonium eſſe ad extorquendas aliorum pecunias deſtinatum affirmant, nihil enim rationabilius eſt, quam quod piæ defunctorum voluntates executioni mandentur, & quatenus id negligatur, nec Epiſcopi, aliique Ordinarii adhibitis Juris remediis negligentes adſtringant, ſi vel ex incapacitate hæredis, vel Legatarii, vel injuncti operis incertitudine pia opera a Defunctis injuncta in pendulo maneant, Apoſtolica Sedes eo meliori modo, quo fieri poteſt, implendæ Defunctorum voluntati ſedulo invigilet; nulla vero excogitabilis eſt melior ratio ex præſumpta etiam Defunctorum voluntate piis haſce diſpoſitiones exequendi, quàm quod pecuniæ inde collectæ in reparatione, ampliatione, & conſervatione Vaticanæ Baſilicæ erogentur, quam totius Catholici Orbis pietas, & Fidelium ad eam confluentium Religio ſummo honore, & cultu undique dignam perpetuo reputavit; atque iſthæc quoque ratio fuit, per quam in albo, & numero Congregationum in bonum totius Orbis erectarum hanc

(a) *Tom. 1. part. 2. diſcept. 31. in fin.*

quoque recenſeremus. Ut vero nihil huic pariter materiæ deſiderandum ſuperſit, pro coronide non præteribimus, ab eodem Bened. XIV. in alias citata Conſtitutione *Romanæ Curiæ*, *edita* 21. *Decembris* 1745. *quæ eſt* 115. *tom.* 1. *Bullar.* cohęrenter ad decreta Congregationis particularis die 10. Januarii 1742. ab eodem confirmata, ſtatutum fuiſſe, Patentatos Rev. Fabricæ, ſive ſint Commiſſarii, ſive Procuratores, ſive Fiſcales, Notarios, aliosque Miniſtros, privilegio fori uti non poſſe, ſeu Judicis declinatoriam allegare non valere, niſi pro cauſſis, quæ Fabricam, eorúmque Miniſterium concernant, quod præventive Ven. Innoc. XI. definiverat in Conſtitutione incip. *Decet* 4. *Kal. Junii* 1689. Abſolutis itaque Congregationibus, in quibus abſque ſolemni forma, & ſtrepitu Judicii cauſſæ abſolvuntur, iiſque pretermiſſis, quæ magis ad Aulam, quam ad Curiam pertinere videntur, de quibus omnibus agit allegatus alias Cohell.(*a*), cùm alii extent in Urbe Magiſtratus, in quibus cum juridico, & forenſi ordine cauſſę tractantur, cujuſmodi ſunt Rota, Camera, Judices Commiſſarii, Signatura Juſtitiæ, & Gratiæ, de iſtis ſupereſt diſſeramus, a præclariſſimo Auditorio Rotæ initium facientes.

TITULUS XXXVIII.

De Auditorio Rotæ.

AMpliſſimum ſane illud Eccleſiæ Catholicæ regimen RomanoPontifici concreditum, ac demandatum a Chriſto Domino, quemadmodum præcipua Ra-

(a) *In not. Cardin. integro cap.* 15.

Ratio fuit, ut principaliores Orbis cauſſæ, quæ Eccleſiaſticæ forent, ad Sedem Romanam devolverentur, ita cùm Pontifex gravioribus curis præpeditus omnia per ſe ipſum digerere & ad trutinam revocare non poſſet, Cappellanos, ſeu familiares aſſumere cœpit, qui cùm in Palatio Apoſtolico momenta earundem cauſſarum diſcuterent, & deinde Papæ referrent, Auditores Sacri Palatii primum, deinde vero Auditores Rotæ vocari conſueverunt, ut notat Gomeſius (*a*), ſive quia Judices iſti dum conveniunt circulari menſa ad formam Rotæ aſſident, ſive quia cauſſæ per circulum, & ordinatim, ſeu per turnum ab illis proponuntur.

2. Quanta vero ſit hujus Tribunalis præſtantia, & amplitudo, nemo non videt, cùm cauſſas utriuſque Fori Eccleſiaſtici, tamquam Tribunal Vicarii Chriſti repræſentans, recognoſcat, ex Conſtitutione Pii IV. 44. incipien. *In Trono* & Pauli V. Conſtitut. incipien. *Univerſi*, cauſaſque inſuper civiles Urbis Romæ, totiuſque Status Eccleſiaſtici ad Civitatem Avenionenſem, & Comitatum Venaxinum in Gallia extenſi pari jure dijudicet (*b*).

3. Quamvis autem antiquitus pro arbitrio Papæ Auditores eligerentur, adeout uſque ad tempora Sixti IV. uſque ad triginta numerarentur, idem tamen Pontifex eorum numerum ad duodenarium reduxit *in Conſtitutione 2. incipien. Romani Pontificis*, forte quia ſicuti Moyſes ſeniores duodecim ex variis Tribunalibus ſelectos ad judicandas Iſraelitici Populi cauſſas deputavit, ita congruum videbatur, 12. emeritos viros ex diverſis Provinciis, & Regnis ad definiendas in lege gratiæ judiciales contro-

ver-

(a) *Ad Regulas Cancellariæ in proœm. de Rotæ immutatione*. (b) *Card. De Luc. in relat. Curiæ Rom. diſc. 32. n. 60.*

verſias Catholicorum aſſumi, ut in eadem Conſtitutione ſatis innuitur. Duodecim vero horum unus eſt Germanus, quem Imperator proponit, alter Gallus ex nominatione Regis Galliarum, duo Hiſpani, quos nominat Rex Hiſpaniarum ob Hiſpaniæ diviſionem unum ſcilicet ex Regnis Caſtellæ, & Legionis, atque alterum, tribus Regnis Aragoniæ; reliqui vero ſunt Itali, inter quos unus de dominio Veneto ad nominationem Reipubl alter Bononienſis ex Conſtitutione Julii III. ad liberam tamen Pontificis electionem; prout pariter ſunt Mediolanenſis ex Indulto Pii IV. & Ferrarienſis ex privilegio Clementis VIII. Cæteri verò ut plurimum ex Civibus Romanis ſeliguntur, excepto Etruſco, vel Peruſino, quod licet communius exiſtiment, propter quamdam ſpeciem alternativæ inter Etruriam fieri conſueviſſe, revera tamen ab arbitrio Pontificum hoc ipſum dependet, cùm ultimis etiam hiſce temporibus varios Peruſinos, vel aliarum etiam Civitatum Doctores ſucceſſive electos fuiſſe loco, & vice Etruſcorum non ignoremus.

4. Porro antiquitus in Palatio Vaticano Auditores Rotæ hyemali tempore conveniebant, æſtivo vero in Cœnobio Canonicorum Lateranenſium, & ſubinde, ut fertur, in Palatio Cardinalis Vicecancellarii; nunc vero vel in Palatio Quirinali, vel ad S. Petrum conveniunt. In Cancellaria tamen, & coram eodem Vicecancellario juramentum præſtare, poſtmodum publicas, & deinde privatas diſputationes agere ſolent, quæ quidem diſputationes præſertim publicæ, cùm contra communem opinionem propugnari olim conſueviſſent, Ben. XIV. probe optimeque animadvertens, inopportune theſes contra communem, & ſæpe contra veritatem ab eo coram

Car-

Cardinalibus,univerſaque Curia, exercitationis licet gratia ſuſtineri, qui ad ſupremum Magiſtratum ad judicandas totius Orbis cauſſas aſſumeretur, abolito hinc hujuſmodi uſu, provide ſanxit, diſputationes publicas habendas ab iiſdem Auditoribus non contra communem, ut antea, ſed juxta receptiorem ſententiam defendi debere.

5. Diximus, in Palatio, vel Vaticano, vel Quirinali, ubi Pontifex degat, nunc Auditores ad decidendas cauſſas convenire; id autem bis in hebdomada fit, feria nempe 2. & 5. vel iis impeditis feria 4. *& ſi hæc quoque impediatur, die Sabbathi*, exceptis feriis Natalitiis, ultima hebdomada bacchanalium feriis Paſchalibus, & ſolemnioribus feriis æſtivis, quæ a prima, vel ſecunda hebdomada Julii, uſque ad totum menſem Septembris perdurant; Kalendis enim Octobris denuo Rota aperitur, ad quam ſolemniter duo poſtremi Auditores cum comitatu Aulicorum Cardinalium, & Principum, Advocatorum inſimul, & Curialium accedunt, habitaque a juniore diſerta, & brevi oratione, Conſtitutiones Apoſtolicæ ſuper erectione, & privilegiis hujus Tribunalis leguntur, & defenſores cauſſarum ad earundem Patrocinium alacriter reſumendum excitantur.

6. Variis autem privilegiis Auditores Rotæ perfruuntur; utuntur enim Cappa, & Rocchetto, ſine quibus in Rota cauſas decidere, vel aliàs in publico, ubi Curia reſidet, incedere non poſſunt, ex Conſtitut. 14. Joannis XXII. incip. *Ratio juris*. Gaudent etiam omnibus privilegiis, & gratiis Referendariorum, ex Conſtitut. 12. Pauli III. §. 3. In recitatione horarum Canonicarum anticipare, vel poſtponere horas libere, & licite poſſunt, ex Conſt. 13. Clement.

ment.VII. §. 7. Lucrantur pariter indulgentias Stationum Urbis viſitando propriam Cappellam, ex ead. §. 10. A Gabellis vini eximuntur, ex Conſtit. Pauli III. d Conſtitut. 12. §. 3. Præcedunt itidem in Cappella Clericos, & Magiſtrum S. Palatii poſt reformationem factam ſub Alexand. VII. Diebus ſimiliter jejunii, & Quadrageſimæ poſſunt lacticiniis veſci, Procuratores, & Advocatos, qui in Rota, cauſſarum proponendarum Patrocinium ſuſcipere volunt, prævio examine per Decanum, vel alium a Rota deputandum, adhibitis duobus, vel tribus Procuratoribus de Collegio, admittunt; prout etiam prævio examine per Vicecancellarium, vel alium ab eo deputatum admittendi ſunt quatuor Notarii, qui Acta cauſſarum Rotalium conficere debent, juxta formam prædictę Conſtitut. 71. Pauli V. aliaſque Pontificum Conſtit. Gratis præterea expediunt, ſi ad Cathedrales Eccleſias promoveantur, vel de aliis Beneficiis fuerint forte proviſi; eorumque beneficia, utpote Officialium Papæ, Apoſtolicæ Sedi reſervantur, dummodo tamen non fuerint ſimpliciter creati, ſed recepti, & admiſſi, ut tradunt Card. De Luca (a), & Rigantius (b) (quod de aliis pariter privilegiis eſt intelligendum); & demum ultra interventum, quem ex peculiari privilegio in pluribus Congregationibus habent, tres enim eorum ſeniores tamquam Canonum periti in Congregationibus Rituum, quæ pro Canonizatione, vel Beatificatione Sanctorum fiunt, interveniunt, ut ſupra de Congregatione Rituum agentes advertimus; Unus item eorum in Congregatione Immunitatis, alter autem in Congregatione Fabricæ ſuffragatur, ut

(a) *De præeminentiis diſcurſ.* 28. *n.* 10. (b) *In regul. prima Cancellariæ* §. 4. *tom.* 1. *n.* 143.

ut pariter adnotavimus, honorificum inſuper Officium Regentis Pœnitentiariæ cum emolumento quingentorum ſcutorum uni eorum dari conſuevit, ut de Pœnitentiaria tractantes innuimus;& iis omnibus accedit jus deferendi Rocchettum in acceſſu ad Cappellas, cæteroſque publicos actus, & in receſſu cohærenter ad Breve Innoc.X.2. Martii 1645. a Benedicto XIV. in Conſtitut. incipien. *Præclara* 84. *in Bullar. tom.* 1. iis attributum, vel confirmatum.

7. Innuimus ſupra, privilegia iſthæc non ſimpliciter creatis, ſed admiſſis, & receptis tantum competere., poſtquam enim perſpicue conſtitit in proceſſu deſuper efformando de ingenuitate Natalium (illegitimi enim nunquam admittuntur), de vitæ pariter, & morum integritate (quæ ſemper a Principis electione præſumitur), de Doctoratu in aliqua publica Univerſitate in utroque jure recepto, & de annuo, fixoque redditu, qui ultra emolumenta Auditorii ad decenter, & honorifice vivendum exigitur(,computatis enim propinis cauſſarum, participatione emolumentorum, quæ ex actis Ordinatoriis Notarii percipiunt, illoque etiam centum ſcutorum auri Pontificia liberalitate aſſignato, parviſque aliis munuſculis in eſculentis, & poculentis conſiſtentibus, quæ bis in anno,nempe in vigilia Nativitatis Domini, & Kalendis Auguſti a Magnatibus in obſequium Tribunalis mitti ad Auditores conſueverunt, vix ſummam ſcutorum mille aureorum excedere creditur emolumentum iiſdem Auditoribus aſſignatum, impar omnino honorificæ tractationi, quam gradus expoſtulat;) poſt ulterius varias viſitationes uſque ad tœdium aliis ſodalibus factas, & poſt enunciatas diſputationes

publicas, & privatas, & demum poſtquam per duos Seniores Auditores, quorum unus Decanus exiſtit, (ſenior enim, ſeu antiquior Auditor, qui ſit præſens in Curia, vel abſens ex publica cauſſa a Pontifice approbata Decanatum aſſequitur (*a*)) conſpectui Papæ fuerit præſentatus, & coram Cardinali Vicecancellario debitum juramentum emiſerit, recepto jam Prælatitio habitu ad Rotam novus Auditor admittitur, quamquam exemplo Cardinalium, qui prima vice in Congregationibus adſciti a votando ſe abſtinent, etiam Auditores, ut rationem ſuffragandi ab aliis addiſcant ſe abſtinere conſueverunt.

8. Dixi, recepto Prælatitio habitu, circa quem tamen eſt opportune notandum, quod licet antiquitus renunciatus quis inter Rotæ Auditores, habitu Advocatorum Conſiſtorialium, niſi jam Præſul eſſet, indui deberet, atque illa ſolum tractamenta ab aliis Auditoribus reciperet, quæ aliis Advocatis Conſiſtorialibus dantur, ex recentiori tamen ſtylo ſtatim inter Prælatos adſciſcitur, eorumque habitu decoratur, ſive hoc factum ſit ad evitandum longiorem curſum functionum, quæ aliàs fieri debuiſſent, ſive ad præcidendas præeminentiales quaſdam controverſias ab Advocatorum Conſiſtorialium Collegio aliàs excitatas.

9. Cæterum jurisjurandi religionem, quam emitti debere ab Auditoribus diximus, præſertim de ſervando ſecretum, pari jure edere tenentur Adjutores ſtudiorum, quos ad minorandos labores retinere illis permittitur *ex Conſtitutione* 310. *Urbani VIII.* quos inter primus Adjutoris ſtudiorum nomen habet, alii vero pro arbitrio Auditoris aſſumpti ſecretorum titulo deſignantur, cum ratione juramen-

(a) *Late Rigantius ad Reg. 8. Cancell. §. 2.*

menti emiſſi ſecretum ſuffragiorum in cauſſis, aliaque ad Rotam ſpectantia pari jure cuſtodire teneantur (a). Quoniam vero nonnulla circa hujus Tribunalis ſtylum occurrunt peculiari animadverſione undique digna, non abs re erit illa ſummatim proferre.

10. Primo igitur illud in more habet iſtud Tribunal, ut res judicatas aliorum Judicum non exequatur, niſi de earum juſtitia fuerit ſatis inſtructum; ſecundo quod potius rationum momenta, quam cumulum doctrinarum attendat; Tertio quod ſi executio etiam rei judicatæ Rotalis diu, & poſt decem annos petatur, nonniſi audita iterum Parte conceditur; quarto quod ſi per contradictas & præſertim contra abſentes procedat, non ſoleat judicium poſſeſſorium abſolvere, niſi de bono jure in petitorio doceatur: eundemque ſtylum ſæpiſſimè retinet cum de ſummariſſimo judicio retinendæ poſſeſſionis, ſeu de revocatione attentatorum tractatur. Concordiam pariter in cauſis valdè dubiis vel inſinuat, vel etiam decernit; Præterea cùm adverſus reſolutionem editam novam audientiam indulſit, cauſam (niſi forſan clara undique ſit) expedire non ſolet, niſi dubio propoſito, *an ſit ſtandum in deciſis*, & quidem etſi Pars quæ audientiam obtinuit informare neglexerit. In cauſis inſuper præſertim Beneficialibus in Rota introductis executorem, vel Inſtitutorem ſi de Beneficiis agatur, non deputat, ſed ipſamet Rota exequitur, confert, vel etiam inſtituit. Ad hæc licet executio obligationis Cameralis ad Auditorem Cameræ privative pertineat, in ea tamen ſe etiam immiſcet, ſi iis, quæ in Tribunali pendent, eadem obligatio jungatur; cæteriſque

Sſ 2 omiſ-

(a) *Card. De Luc. diſcurſ. 32. n. 32.*

omiſſis, ſi victum in expenſis condemnat, inter juſtam, & injuſtam cauſam litigandi diſtinguere non ſolet, exceptis taxis, quæ infra attingentur, quæque ad ſportulas juxta taxas ſolvendas reducuntur; aliud enim omne emolumentum relaxat, niſi de cauſa ſpolii, vel alia ex mera calumnia & dolo excitata tractetur. Sed cum ſportula juxta taxam præfixam a Victo ſolvendam eſſe docuerimus, præſtat, ut illam hic innuamus.

11. Taxa igitur eſt, ut in cauſis pecuniariis, ſeu profanis, ſi æſtimatio rei non excedat ſummam mille ducatorum, aureos decem Auditores accipiant, a mille uſque ad 10000. viginti quinque, a decem millibus uſque ad viginti millia quinquaginta, ab inde ſupra uſque ad quamcunque ſummam centum; atque ita in beneficialibus cauſis, ſi redditus annuus non excedat ſummam centum ducatorum, decem, a centum uſque ad mille viginti quinque, a mille uſque ad tria millia quinquaginta, ab inde verò ſupra uſque ad quamcunque ſummam centum aureos pro quavis ſententia accipere valent, nec quidquam, exceptis eſculentis & poculentis, quæ intra triduum conſumantur, a Partibus accipere poſſunt ex d. Conſtitutione 7. Pauli V. §. 26.

12. Commiſſiones porrò cauſarum, quæ ad Rotam deferuntur, diſtribuendæ ſunt juxtà ordinem Turni ex d. Conſtitutione Pauli V. Conſt. 71. incip. *Univerſi Agri*, poſſuntque Auditores vigore unius Commiſſionis cauſas cognoſcere, & decidere; terminum ad docendum de attentatis etiam ſine nova Commiſſione præfigere; remiſſorias decernere, dilationes concedere, aliaque his ſimilia peragere *ex Conſt.* 44. *Pii IV.*, *& cit. Conſt.* 71. *Pauli V.*, eaque ratio communiter aſſignatur, quod licet Rotæ

Au-

Auditores uti ſinguli Judices ſint delegati, univerſim tamen accepti, ſeu totum Rotæ Auditorium cui commiſſio dirigitur, ordinaria juriſdictione perfungitur; ut notat Rigantius([a]), qui etiam de jurisdictione hujus Tribunalis Sede Vacante ampliſſime tractat.

13. Methodus autem referendarum cauſarum eſt, ut quatuor, qui juxta eum, qui cauſam proponit, & *Ponens* dicitur, a ſiniſtro Latere ſedent, quique ejus correſponſales vocantur, & de ejus Turno dicuntur, votum aliis audientibus promant, tribuſque eorum concordantibus ſenſus totius Tribunalis panditus dicitur. Quamviſque *Ponens* deciſionem ex votis correſponſalium erutam exſcribere, & evulgare debeat, ſuffragium tamen non habet, niſi forte *videntibus omnibus* cauſa ſit decidenda, vel prævio voto Rotali ſit negocium ab Auditore Papæ commiſſum; qua tamen in re, ſeu ſuper methodo votandi in Rota edita eſt Conſtitutio a Benedicto XIV. 9. Octobris 1740. incip. *Juſtitiæ & Pacis, quæ eſt la 21. in Bullar. tom. 2.* eademque Conſtitutione, ne dum cauſſæ ſtatuuntur in Rota proponendæ, & Rotales vocantur, ad differentiam earum, quæ coram Prælatis diſcutiendæ ſunt, & Prælatitiæ dicuntur, verum etiam nova ſuffragandi ratio pro Rotalibus cauſis eſt inſtituta.

14. Quod ſane ſpectat ad cauſſas Rotales, enunciatus Pontifex eas eſſe decrevit, quæ tamquam graviores, tam in Tribunali Vicarii, quam Auditoris Cameræ fuerint judicatæ, prout etiam cauſſas graviores de partibus, quas quidem in ſecunda inſtantia arbitrio appellantis, in ulterioribus vero privative ad Auditorium Rotæ voluit pertinere, cauſſaſque inſuper minus graves in Urbe judicatas Prælatis, vel

[a] *In Reg. 12 Cancellariæ §. 29. & ſeq.*

vel Auditoribus Rotæ uti Prælatis , prout etiam illas de partibus in ſecunda inſtantia Vicario, ſive A. C. deindeque in ulterioribus inſtantiis iiſdem Prælatis attribuit, eaſdemque cauſſarum ſpecies variis exemplis in eadem Conſtitutione contentis expoſuit, qualitatemque inſuper cauſſæ a Reviſore Commiſſionum exprimendam eſſe mandavit, ut ſtatim ex ipſa commiſſione, natura, & ſpecies cauſſæ intelligatur, cum ea differentia, quod in cauſſis quidem prophanis commiſſio ad Rotam non relaxetur a Reviſore commiſſionum , niſi cum clauſula, *attento quod agitur de cauſſa ultra montes aſcendente ad ſcuta mille auri*, & in Beneficialibus , *attento quod agitur de Beneficio excedente annuum valorem viginti quatuor ducatorum auri*, *vel attento quod agitur de prima dignitate in Cathedrali , vel Collegiata*. Et e converſo in commiſſionibus ad Prælatos, vel in cauſſis Prælatitiis, ut ſi cauſſa Prælatitia committatur Rotę *de conſenſu*, idem Officialis advertat in commiſſione clauſulam adeſſe debere *de conſenſu partium*, & commiſſiones contra ſupradictas leges expeditas, niſi ſignatæ ſint manu Pontificis, Pontifex irritavit. Mandavit inſuper (quod ſpectat ad methodum ſuffragandi in Rota) ut cauſſæ iterum proponendæ propter æqualia quatuor correſponſalium ſuffragia, cum iiſdem quatuor quinto etiam, ſexto, & ſeptimo adſcitis videantur , voluitque demum, ut quoties res ex aliqua cauſſa, vel ex ſpeciali commiſſione Romani Pontificis, vel ex reſcripto ipſius Rotæ omnes Auditores ſuffragium ferre debent , ſi Auditores ſuffragia ferentes diſparis numeri exiſtant, antiquus ſtylus ſervetur , nimirum quod Auditor proponens ſuffragium non ferat ; ſi vero ſuffragia ferentes ſint numero pares , vel caſu ali-

aliquo ad numerum parem reducantur, debeat tunc in ipſa cauſſa ſuffragium itidem ferre etiam Auditor Proponens, ut cauſſæ reſolutio omnino ſequatur.

15. Prætereundum poſtremo non eſt, Rotales cauſſas prævia concordatione dubiorum, vel coram Ponente, vel ſi altera pars non acquieſcat, in plena Rota facienda diſputari; editaſque reſolutiones per Deciſiones, ut diximus, a Ponente evulgatas partibus manifeſtari, quæ tamen non faciunt legem univerſalem, ut aliqui gratis affirmarunt, ſed duntaxat inter partes litigantes, & in eadem cauſſa, in qua latæ ſunt, niſi alia fundamenta forſan emerſerint, auctoritatem nanciſcuntur, ut alibi innuimus (a); ſunt enim eædem deciſiones motiva, quæ cauſſę Ponens collectis aliorum ſuffragiis partibus exponit, a quibus vel facto, vel jure ad meliorem lucem redacto non raro receditur; ex quo plane intelligitur non ſolùm hujus Tribunalis juſtitia, ſed docilitas ſumma, ratione cujus exterę etiam, diſſitæque Nationes illius majeſtatem venerantur, & ejus in graviſſimis controverſiis ſententiam expectant. Ut verò tractatum hunc noſtrum *de Romana Curia* excepturi, nedum Tribunalium ejuſdem Romanæ Curiæ originem diſcant, ſed etiam intelligant, qua methodo negocia in iis introducantur, præſertim vero in Rota, in qua ut flumina in mare intrant, omnes pene cauſſarum ſpecies agitantur, e re ducimus praxim hanc uberius exponere.

16. Suppoſita igitur diſtinctione cauſſarum in Rotales, & non Rotales, ſeu non Prælatitias, & Prælatitias, quam ſupra tetigimus, utriusque profecto generis cauſſæ mediante reſcripto Tribunalis Signaturæ, de quo infra ſermo redibit, ad Rotam re-

[a] *In tit. de Auctoritate Congregationum in genere.*

remittuntur, vel cum clauſula *Prelato uti Auditori Rotæ*, quando cauſſa eſt Rotalis, vel cum altera clauſula *alicui Rotæ Auditori uti Prælato*, ſi cauſa non Rotalis exiſtat; ad eoſdemque Judices quoties de cauſſa ex natura ſua appellabili agatur, antequam tranſeat annus a die interpoſitæ appellationis eadem cauſſa remittitur, ſive committitur, de qua quidem commiſſione ampliſſime Ridolphinus (*a*), qui appoſite advertit, illud inter cauſſam appellabilem, & non appellabilem diſcrimen ad hunc effectum verſari, quod ſi cauſſa de ſui natura appellabilis eſt, immediate committitur, alias enim plena Signatura pro obtinenda appellatione, ſeu ut cauſſam committat, eſt adeunda. Utroque autem caſu minuto charactere commiſſio in medio folii tranſcribitur, &, ut inquiunt, ad referendariandum alicui Romanæ Curiæ Prælato in primo caſu cauſæ appellabilis, in altero vero cauſæ non appellabilis, quo ad Signaturam plenam fuerit recurſum, Ponenti, vel in ejus defectum Decano Signaturæ, exhibebitur. Mox Reviſori Commiſſionum tradetur, qui illam reviſam, & a Cardin. Signaturæ Præfecto ſignatam ſecundo Reviſori, qui eſt Subſtitutus Regentis Cancellariæ, eandem conſignat, iſte vero eam reviſam, & a Regente ſignatam Magiſtro Curſorum tradit, a quo inſtante parte prævia ſolutione obulorum quinquaginta executioni mandatur, ſeu, ut inquiunt, incapſatur, & illius incapſatio per d. Magiſtrum Curſorum in Broliardo Notarii Rotæ, *ſi cauſa eſt Rotalis*, ſi vero ſit in Rota uti Prælato, per acta Archivii deſcribitur, ſive adnotatur, quod etiam in proceſſu aliorum actorum eſt accurate ſervandum, ut ſequitur = *R. P. D. N. Pro N. contra N. coram*

(a) *P. 3. cap. 5. n. 84.*

coram Domino, meque &c. N. Sanctiſſimi Domini Noſtri Curſor præſentavit commiſſionem ab Eminentiſſimo Signaturæ Juſtitiæ Præfecto ſignatam prout in folio ten. &c. hiſque peractis, & immediate poſt incapſatam commiſſionem ad dicendum contra eandem citatur. In capite autem citationum nomen illius Auditoris Rotæ in commiſſione deſtinati, quique idcirco dicitur Ponens, apponitur, & deinde titulus cauſſæ juxta facti contingentiam exprimitur, & in pede citationis adjicitur = *Rota Notarius* = ut ſequitur = *R. P. D. N. Romana &c. citatur N. ad dicendum contra commiſſionem in actis noviſſime exhibitam, videndum illam admitti, & juxta illius formam, & tenorem mandari procedi, & inhiberi ad primam diem Inſt. N. principali, ſive &c.* = *Rota* = & deinde antequam alius annus labatur, debet appellans acta ad Rotam transferre per medium ſubſtituti Notarii Judicis, a quo fuit a parte appellatum, ut infra = *R. P. D. N.* = *Pro N. contra N.* = *In Officio Subſtitutus Officii N. tranſportavit in actis meis &c. proceſſum de Partibus folior. N. inter dictas partes fabricatum in Curia Gubernatoris N. (vel alterius Judicis in partibus &c.) item extractum fabricatum inter eaſdem partes per acta N. Notarii A. C. foliorum N. omni &c.* =

16. Poteſt nihilominus appellatus antequam tempus quod competit appellanti, elabatur, omnia ſupradicta peragere, ac incapſata commiſſione emiſſa citatione contra commiſſionem citare coram Signatura Juſtitiæ per acta Notarii Judicis a quo = *qualiter inſtans intendit conficere extractum in cauſſa, de qua agitur, ideo cit. Idem ad dicendum contra proteſtationem, & dec. &c. ad p. d. Inſt. N. &c. N. Notarius* = & in termino, die ſcilicet, qua cadit ci-

 ta-

tatio, proteſtatur in actis de omnibus expenſis, & damnis, atque his ſive ab una, ſive ab altera parte peractis, pars illa, quæ acta fecit, ad Notam transferri, debet Adverſarium ita citare = *R.P.D.N = Romana, ſeu &c. Citetur N. ad dicendum contra jura producta, & repetita videndum jurare Teſtes ſuper illorum recognitione, quatenus opus ſit admitti, committi, mandari reſtitui dim. cop. col. ad p. d. Inſt. N.* = *Rota Notarius*, in cujus termino fit ſequens repetitio = *Pro N. contra N.* = *In officio N. Procurator & in termino citationis contra jura ad docendum &c. facto repetiit proceſſum, ſeu proceſſus actorum jam tranſportat. commiſſionem, & acta geſta omni &c.* = deindeque ut cauſſa poſſit in Rota proponi, ad ejus inſtantiam, cujus magis interſit, debet partem ad concordandum de dubio, ita citare = *R.P.D.N. Romana &c. citetur N. ad comparendum coram Domino &c. hora N. & concordandum de dubio, alias videndum ſubſcribi infraſcriptum ad p. d. Inſt. N. principali ſive &c. Rota inſtantibus &c. Dubium &c.* v. g. *an ſit exequendum mandatum A. C.* vel aliud ſimile juxta facti contingentiam, eaque citatio tamquam actus extrajudicialis non eſt perſonaliter exequenda; in hujus autem citationis termino Ponens aditur, eique allatis duabus copiis prædicti dubii tenoris ſequentis = *Reverendiſſimo P. D. N. Romana* = *Dubium* = *An &c.* eaſdem Judex, ſi pars citata non compareat, aut aliquid in contrarium non habeat, ſubſcribit, ac ſubtus utramque fit ſequens intimatio, alteri parti tranſmittenda, & altera a Curſoribus rehabenda = *Reverendiſſimo P. D. N. Romana &c. Intimetur N. qualiter Illuſtriſſimus D. ſubſcripſit præinſertum dubium, & proponet cauſſam in Rota in-*

Intimat. Inſt. N. principali ſive &c. = *Rota* = cui quidem dubio ſi pars intimata conſentit, cùm Auditor Rotæ voluerit cauſſam in ſacra Rota proponere, per biliectum Curialibus ambarum partium id denunciabit, eàndemque denunciationem altera intimatio per illam partem, cujus magis intereſt, ſubſequetur, ut infra = *R. P. D. N. Romana ſeu &c. Int. &c. N. qualiter D. in Rota diei N. omnino proponet cauſſam, ſeu dubium alias tranſmiſſum, ideo citetur ad informandum quatenus alias &c. Inſt. N. principali ſive &c.* = *Rota* =

17. Si vero pars citata ut ſupra ad concordandum de dubio compareat, & concordare noluerit, Ponens remittit partes ad Rotam ſuper concordatione, & fit ſuper hoc per Auditorem verbum in Rota, eoque caſu audito Ponente, qua die in ſacra Rota cauſam referre voluerit, facienda eſt parti adverſæ hæc intimatio, videlicet = *R. P. D. Romana &c. intimetur N. qualiter Dominus &c. in Rota diei N. omnino faciet verbum ſuper dubio dando, ideo citetur idem ad informandum, quatenus informare intendat, alias &c. Inſt. N. principali ſive &c.* = *Rota* = Intimatione autem contra partem adverſam exequuta, ac Rota ſeu quatuor Correſponſalibus ſcriptis in Turno impreſſo, hinc inde, vel ab altera tantum parte, ſcripto, & verbo informatis, ſolent dd. Auditores dubium eis beneviſum decernere, eoque caſu d. Ponens abſque alia intimatione dubium ſibi a Rota injunctum ſubſcribit, illudque a parte, quæ obtinuit, alteri parti, ut ſequitur, intimatur = *R. P. D. N. Romana ſeu &c. intimetur N. qualiter Illuſtriſſimus D. ſubſcripſit inſertum dubium, & illud proponet in ſecunda, vel àlia proxima Rota, ideo citetur idem ad informandum, alias &c. Inſt. N.*

 prin-

deciſiones factas nihil relevans exadverſo deducatur.

19. Hoc autem caſu facto verbo in Rota, ut ſupra, parte intimata ſuper expeditione ſoletRota eandem decernere, & D. Ponens de ordine Rotæ ad expeditionem procedit ſervatis prius ſolitis terminis ſubſtantialibus, ut ſequitur = *R. P. D. N. Romana ſive &c. N. ad libellandum ad primam, articulandum ad octavam, dicendum contra articulos, producendum omnia, dicendum contra producta, nec non jurandum de calumnia in terminis ſubſtantialibus ad p. d. Inſt. N. principali ſive &c.* = *Rota* = & datur Notario, qui poſt exequutam citationem die prima juridica, diebus ſcilicet Lunæ, Mercurii, & Veneris, quibus cadere ſolēt citationes in Tribunali Rota, decretum deſcribit, ut ſequitur = *repetiit jura hodie in broliar. producta, & repetita, & petiit, & obtinuit ſervari, ut ſupra admitti ſi & in quantum*, in cujus termino, die nempe ſupradicta fit ſequens repetitio = *Pro N. contra N. in Officio N. Procurator & facto repetiit omnia jura producta, & acta geſta in parte, & partibus petens &c. omni &c.* & die immediate ſequenti citatur ad ſententiam ut infra = *R. P. D. N. Romana ſive &c. cit. N. ad videndum reiterari omnes & ſingulos terminos ſubſtantiales male forſan, nulliter, & inculcate tentos, habitos, atque ſervatos in vim quarumcumque facultatum, abſolvi inſtantem a cenſuris ad effectum &c. deferri juramentum in ſupplementum plenæ probationis concludendum, concludique mandari videndum in cauſſa, & audiendam ſententiam definitivam in forma Inſt. N. principali ſive &c.* = *Rota* = & prima die juridica per medium Notarii habito in citatione ſolito pro ſervato, ac edita deinde ſententia uniformi deciſioni jam emanatæ (alias enim omnia

eſſent

eſſent infecta, ut notat Ridolphin. (a)), eandem ſententiam Ponens ſubſcribit, antequam tranſeat terminus proſervato, à quà ſententia, ſi quis ſe gravatum crediderit priuſquam expediatur *d. proſervato* debebit appellationem in Curia interponere in cauſſa ſua natura appellabili, ſin minus plenam Signaturam adibit citando ad videndum mandari ſuperſederi ad primam Signaturam confecta alia commiſſione, de qua Ridolphin.& (b), modo, & ordine, quem in praxi de Signatura Juſtitiæ notabimus, aditaque plena Signatura, vel ea negat appellationem, vel illam concedit; ſi concedit, denuo accepta ſupradicta commiſſione, ac referendariata, ut ſupra diximus, iterumque audito a Ponente, quando cauſſam voluerit proponere, & parti intimata propoſitione, cauſſa tandem reſolvitur.

20. Quoniam vero cum Auditorio Rotæ Tribunal plenæ Cameræ plurimum convenit, maximaque inter utrumque affinitas, & ſimilitudo intercedit, licet tam ratione perſonarum, quæ hos Magiſtratus componunt, quàm ratione materiarum, quæ hinc inde definiuntur, & demum ratione modi, quo ad expeditionem cauſſarum proceditur, invicem differant, operæ hinc pretium eſt, ut abſoluto tractatu *de Auditorio Rotæ*, ad plenam Cameram tranſeamus.

TI-

(a) *Part. 3. cap. 5. n. 138.* (b) *Part. 3. cap. 5. n. 141.*

TITULUS XXXIX.

De Tribunali Cameræ .

INnuimus alias, nempè in Inſtitutionibus Criminalibus (*a*) , Summum Pontificem gravioribus totius Pontificatus curis detentum , ideoque œconomicis Principatus negociis vacare impeditum , Fiſci adminiſtrationem , quæ primis Eccleſiæ temporibus Archidiacono fuerat tributa, in Cardinalem Camerarium , Auditorem Cameræ , & Theſaurarium tranſtuliſſe, eo prorſus modo, quo publicas aut privatas cauſas gratiam vel juſtitiam reſpicentes , vel in Conſiſtorio cum Cardinalibus, vel per Capellanes a ſe electos reſolvere conſuevit , ut ſupra (*b*) advertebamus ; Ut igitur Cardinalis hic Camerarius commodius , & maturius poſſet Fiſci , & Cameræ Apoſtolicæ negocia cognoſcere , Præſules quidam fuerunt ab eodem Romano Pontifice adjuncti , quaſi ejus Conſiliarii , eoſdemque Cameræ Apoſtolicæ Clericos dicimus , eidem Cardinali Camerario tanquam Præſidi , & Præfecto ſubordinatos . Eorum vero munus præſtantiſſimum judicatur , & nonniſi Præſulibus emeritis , & undique qualificatis concredi conſuevit , præſertim quia non ſolùm Gubernator Urbis, Auditor Cameræ, & Theſaurarius ex eorum cœtu plerumque ſeliguntur, ſed etiam quia Principaliores Præſidentiæ Annonæ , Graſciæ , Viarum , Carcerum , Riparum , & Zecchæ iiſdem Præſulibus committi conſueverunt , a quorum Judicum ſententiis ad Plenam Cameram pro-

(a) *Sub tit. de Auditore Cameræ .* (b) *In tit. de Conſiſtorio, & de Auditorio Rotæ .*

provocatur, ut pariter ſupra in ſuis reſpective horum Judicum tractatibus prænotavimus.

2. Meritò autem diximus, duo Tribunalia Rotæ, & Cameræ plurimum convenire, & plurimum quoque ſecum differre. Conveniunt enim quoad Præſulum numerum; Indeterminatum quippe, & a voluntate Pontificum dependentem eorum numerum licet ad ſeptenarium redegiſſet Eugenius IV. *Conſtitutione* 13. *incip. Inter cætera*, eundemque numerum alii Pontifices confirmaſſent, ut conſtat *ex Conſtitutione* 1. *Calixti III.* & *Conſtit.* 88. *Pii IV.* Leo tamen X. aucta negociorum mole ad inſtar Auditorum Rotæ ad duodenarium Clericorum numerum auxit, atque ampliavit *Conſtitutione* 24. *incip. Licet*, & bis in hebdomada Cameram convocari præcepit, unde ſecunda & ſexta feria Clerici Cameræ in Palatio Apoſtolico conveniunt, excepto menſe Martio, quo feria quarta Camera fit, licet Rota feria ſexta juxta ſolicitum fiat. Conveniunt item hæc duo Tribunalia, nam ſicuti in Rota unus eſt Ponens, qui ſtatum cauſſę refert, & oretenus informationes non tamen collegialiter ac ſingulis, biduo ante reſolutionem Cauſarum pręmittuntur, ita idem ordo in Camera adhibetur, exceptis dumtaxat cauſis Fiſcalibus, in quibus Commiſſarius Camerę, & Advocatus Fiſci communicationem informationum a Partibus exigunt, antequam ipſi reſpondeant. Conveniunt demum, quod Camera & Rota Sede Vacante a cognitione Cauſarum ęque ſe abſtinent, eorunque Judicum juriſdictio ęque quieſcit.

3. Differunt verò his non obſtantibus plurimum inter ſe; nam primo ſolemnitates illę diſputationum, & viſitationum, quę a cooptatis in Rotam

tam requiruntur, minimè poſtulantur in Clericis Cameræ, excepto juramento muneris exactè adimplendi. Inſuper ſecreti lege minimè adſtringuntur Clerici Cameræ, eorumque ſtudiorum Auditores, ut de Auditoribus Rotæ aſſeruimus. Præterea materiæ Camerales ad cauſas Appaltuum, vel jurium Fiſci privative rediguntur, imo nonniſi in gradu appellationis a ſententiis Theſaurarii, vel Præſidum eaſdem Tribunal cognoſcit, niſi de conſenſu Partium, vel mandato Papæ, vel ratione qualitatis Cauſarum aliud fieri debeat, ut in devolutione Feudorum accidit, quæ in prima etiam inſtantia a Plena Camera diſcutiuntur. Adhæc Ponens Cauſæ in Camera votum habet, cùm in Rota minimè ſuffragetur, ut pariter diximus. Soli itidem Auditores Rotæ ſuffragium promunt in cauſis ad Rotam pertinentibus, cùm in Camera Cardinalis Camerarius, ſi vult, Gubernator Urbis tanquam Vice-Camerarius, Auditor Cameræ, & Theſaurarius, una cum Advocato Fiſci, Advocato Pauperum,& Commiſſario Cameræ in circulari menſa ultra Clericos adſiſtere ſoleant, licet Camerales iſti a Clericis Cameræ diſtincti non habeant votum deciſivum, & ad turnum ſi ſuffragentur,unum votum deciſivum auctoritate & nomine Card. Camerarii,ſi abſit a Camera,conflare dicantur,ut notavit Card. de Luca (*a*); qui ultra enunciatas differentias, alteram, quod plerumque, a Tribunali Signaturę Juſtitię, de quo infra,cauſę ad Rotam remittuntur, cum cęteroquin Camera,ut practici dicunt, habere dicatur Signaturam in ventre, & a Decano, ſeu Seniore Clericorum cauſę ad alios Clericos remittantur in plena Camera referendę,

[a] *Diſcurſ.* 33. *in relat. Curiæ.*

unico excepto caſu, quo dubium occurrat de cauſarum pertinentia, quo quidem caſu Signatura eſt adeunda, ut de pertinentia cognoſcat. Ut vero nihil inde Bono publico, & juſtitię adminiſtrationi detractum remaneat, ipſummet Camerę Tribunal, quoties in partibus de fumo gravaminis doceatur, decernere ſolet ſuperſeſſoriam, donec in plena Camera cauſa diſcutiatur ſub dubio *an, & quomodo ſit inhibendum*, ex iis, quæ latè inter alios exponunt Advocatus Ferdinandus de Valentibus *in allegationibus Fiſcalibus*, & Coſmus Conſtantinus *in appendice ad vota deciſiva Franciſci Mariæ ejus patrui nuper novis typis impreſſa, variiſque additionibus exornata*, ubi paſſim de cauſis Cameralibus agunt. Sed quoniam utiliſſimum fore credimus praxim hujus Tribunalis diſtinctius attingere, ut in examine Tribunalis Rotę pręſtitimus, id incunctanter agere aggredimur.

4. Poſtquam igitur alter ex Clericis Camerę in aliqua cauſa pronunciavit, ſi pars, quæ ſuccubuit, gravatam ſe ſentiat, aditur Decanus Cameræ, ut ſuperſeſſoriam, ſeu appellationem ſuſpenſivam indulgeat, idque ſequenti formula fieri ſolet: *Decano Cameræ Cit. N. ad videndum mandari ſuperſederi ad primam poſt proximam Cameram, & inhiberi in forma, & decretum &c. ad primam diem Inſt. N. principali ſive &c.* ac ſubtus notatur *Menſarius*, Notarius ſcilicet, qui citationes illius menſis legere ſolet; adductiſque rationibus gravaminis coram eodem Decano, vel ejus Auditore, ſi is credat inſtantem a primo Judice gravatum fuiſſe, mandat proponi cauſam in prima poſt proximam Cameram, alias enim concedit tres, aut quinque dies dilationis ad ſolvendum, ſi de cauſa pecuniaria tractetur,

tur, aut alio ſimili modo circumſtantiis inſpectis Decretum pronunciat. Ante Cameram vero deſtinatam a Decano neceſſum eſt propoſitionem cauſæ diſponere eo qui ſequitur modo: *Decano Cameræ: Romana ſeu &c. N. C. N. committi cauſam appellationis a ſententia Domini N. cum clauſulis opportunis, & facultate inhibendi, omni &c.* factiſque duabus copiis in quarto Folii ad inſtar commiſſionum in plena Signatura, de quibus in praxi d. Tribunalis agemus, citatio alterius litigantis ita concipitur = *Cit. N. ad dicendum cauſam quare propoſitio, quæ tranſmittitur proponi non debeat in Prima proxima Camera*, exequutaque, ſeu tranſmiſſa una ex dictis duabus copiis uni ex partibus, altera datur profert, Notario, ſeu Menſario qui eam, ipſaque in plena Camera, ad Dominum N. ex Clericis Cameræ ſelectum eandem remittit, & immediatè debet ità citari: *Illmo Dño N.* Clerico ſcilicet deſtinato a plena Camera: *Romana ſeu &c. Cit. N. ad dicendum contra decretum Cameræ, & videndum illud admitti, ac juxta illius formam, & tenorem mandari procedi, & inhiberi ad p. d. Inſt. N. principali, ſive &c. N. Notarius*, & fit hoc modo decretum: *Repetiit Decretum Cameræ ſub die N. factum, & petiit, & obtinuit, ut ſupra, & inhiberi omni &c.*

5. His peractis Appellans gaudet biennio a die dictiDecreti computando, quod antequã elibatur vero ab eodem extractum fieri debet, & tranſportatũ per medium Novitii Notarii cauſæ ad alterum ex tribus aliis Notariis, ſeu Secretariis Cameræ, a plena Camera in decreto Cameræ deputandum, citatur contra jura eo, qui ſequitur modo = *Illmo D. N. Cit. N. ad dicendum contra jura producta, & repetita, videndum jurare Teſtes ſuper illorum recognitione,*

V u 2 *qua-*

quatenus opus ſit admitti, committi, mandari, reſtitui dim. cop. coll. ad p. d. Inſt. N. principali, ſive &c. N. Notarius; in cujus citationis termino, ſeu prima die juridica ſit repetitio in Broliardo coram d. Clerico d. extractus jam tranſportati, deindeque is, cujus magis intereſt, citat ad concordandum de dubio ſimili formulà: *Illmo D. N. Romana ſeu &c. cit. N. ad comparendum coram Illmo Dño hora N. & concordandum de dubio alias videndum ſubſcribi infraſcriptum ad p. d. Inſt. N. principali ſive &c. ſtantibus = dubium = An ſit confirmanda, vel infirmanda ſententia &c.* in ejuſque citationis termino Ponens aditur, eique allatis duabus copiis d. dubii eaſdem copias d. Ponens, quoties Pars citata non compareat, aut nil in contrarium opponat, poſt aliquot dies ſubſcribit, & a tergo utriuſque ſit intimatio, una quidem Parti tranſmittenda, & altera rehabenda tenoris qui ſequitur = *Illmo Dño N. Romana ſeu &c. cit. N. qualiter Illmus Dñus ſubſcripſit præinſcriptum dubium Inſt. N. principali, ſive &c.*, cui quidem dubio ſi Pars intimata aſſentitur, neceſſaria eſt alia intimatio: *deſtinari Cameram*, eaque deſtinata, ſi Pars non comparuit, eſt, ut ſequitur, intimanda: *Illmo Dño N. = Romana ſeu &c. intimatur qualiter Illmus D. in Camera diei N. omnino proponet dubium, alias tranſmiſſum, ideo cit. ad informandũ alias &c. Inſt. N. &c.*

6. Si vero Pars citata ut ſupra ad concordandum de dubio comparet, & de dubio non concordat, neceſſum eſt fieri ſuper hoc per D. Ponentem verbum in plena Camera, ſi hujus rei cognitionem, ut fieri mos eſt, ad eandem Cameram Ponens remittat, eoque caſu facienda eſt Parti Adverſæ hæc intimatio, *Illmo Dño Romana ſeu &c. Intim: qua*

qualiter Illmus Dñus omnino faciet verbum ſuper dubio dando, *ideo cit. idem ad informandum* , *quatenus informare intendat*,*alias &c. Inſt. N. principali ſive &c.* Exequuta vero intimatione contra Partem adverſam,Plenaque Camera in voce , & in ſcriptis informata,nempe per ſcripturas vel impreſſas , vel manuſcriptas factum, & jus enarrantes , & cuilibet ex Cameræ Clericis per tres dies ante Cameram diſtributas,ſolent Judices dubium eis de jure bene viſum præſcribere , quo caſu citatur coram Ponente ad videndum ſubſcribi dubium ; eoque ſubſcripto,citatur iterum deſtinari Cameram ; eaque decreta,denuò per tres dies ante diſtribuuntur ſcripturæ , ut ſupra diximus , & capta reſolutione , qui eam favorabilem habuit,audito prius cauſæ Ponente , quando vult , eandem cauſam prò obtinendo = *expediatur* = proponere debet intimari altera Pars hoc modo = *Illmo Dño. N. Romano &c.* = *intimetur N.qualiter Illmus D in Camera diei &c. faciet verbum in Plena Camera pro expeditione. Ideo &c. Inſt. N.* = & tribus diebus ante d. Cameram diſtribuuntur ſcripturæ hinc indè maximè ex illa parte quæ ſuccubuit,deducendo rationes & nova jura pro obtinenda nova audientia , ac pro deneganda Parti Adverſæ expeditione;ut capta reſolutione,aut Camera concedit novam audientiam , & Pars cujus magis intereſt, quando vult Ponens iterũ proponere , debet intimare propoſitionem cauſæ alteri Parti,& alia peragere,ut ſupra innuebamus; aut negat novamaudientiam reſcribendo = *expediatur* = & tunc Pars quę obtinuit,debet citare ad terminos ſubſtantiales,& deinde ad ſententiam,quorum tenor habetur in praxi Auditorii Rotę in fine ; ac expedita cauſa, Pars quæ ſuccubuit,poterit citare coram De-

ca-

cano Cameræ ad videndum mandari ſuperſederi uſque ad primam poſt proximam Cameram & alia peragere, ut ſupra diximus, & hoc quidem, ſi cauſa non eſt de ſui natura appellabilis, ſcilicet quando ſententia a qua vult appellari eſt revocatoria alterius, vel quando agitur de aliqua cauſa ordinaria requirente tres ſententias conformes & hujuſmodi; tunc enim ſufficit interponere appellationem in actis producta cedula appellationis, de qua in praxi A. C. ſermonem habuimus.

TITULUS XL.

De Judicibus Commiſſariis.

QUamquam primo rerum obtutu prætimeri poſſe videatur, ex ampliori Judicum, & Magiſtratuum numero Juſtitiæ adminiſtrationem, a qua ſalus Reipublicæ præcipue pendet, retardari, atque impediri, experientia tamen didicimus, & quotidie comprobamus, ad meliorem potius, accuratioremque trutinam cauſſas redigi, defenſioniſque ſubſidium, ſive a Judicantium malitia, ſive ab ignorantia, ſive ab immaturitate, & præcipitantia gravatis, oppreſſiſque, melius, & ſalubrius ita præberi. Hoc igitur cùm probe, optimeque intelligerent Romani Juris, ſeu Praxeos conditores, provide ſtatuerunt, poſt iteratas cauſſarum propoſitiones in Tribunalibus actas, exceptis tamen Congregationibus Cardinalium, & Camera, ac Curia Capitolii, poſſe a Signatura Juſtitiæ, de qua infra, tanquam ſupremum Principem repræſentante, alicui Prælato cauſſas committi, quem ratione ſpecialis commiſſionis Judicem Commiſſarium vocare conſuevimus.

2. Illud vero de his Judicibus ſanxit Bened. XIV. in

Digitized by Google

in Conſtitutione *Romanæ Curiæ*, edita 6. Nonas Octobris 1746. quam aliàs allegavimus, & præſertim cum de Auditorio Rotæ tractaremus, quodque profecto eſt primo loco advertendum, nempe graviores cauſſas neciſtis Judicibus, imo nec Rotæ Auditoribus uti Prælatis poſſe committi, cujuſmodi ſunt, *in quibus de Juriſdictione, exemptione, adoptione, filiatione, ſponſalibus, legitimitate, praeeminentiis, præcedentiis, patronatu, aliiſque honorificis Juribus nominandi, eligendi &c. vel matrimonialibus, beneficialibus, in quibus redditus 24. ducatos auri excedit, Profeſſionis Religioſæ, aliiſque prophanis, & pecuniariis tum Citramontanis, tum Ultramontanis, illis quidem ſummam 500. ſcutorum auri, his vero mille ſcutorum auri attingentibus*. Quamobrem cauſſæ dumtaxat minus graves iiſdem Judicibus Commiſſariis erunt committendæ, cujuſmodi ſunt pecuniariæ, & prophanæ, quarum valor ſcuta auri 500. citra montes attingit, ultra montes vero 1000. ſimilia. Beneficiales item, in quibus redditus 24. ducatos minime excedit, niſi fortaſſe expreſſus partium conſenſus accedat, quo quidem caſu, exceptis cauſſis matrimonialibus, & nullitatis profeſſionis, graviores etiam Prælatis, & minus graves Auditorio Rotæ poſſunt committi, ut in eadem Conſtitutione cavetur.

3. Advertendum inſuper eſt, Judices Commiſſarios ex declaratione Congregationis particularis deputatæ a Clemente XI. & ab eodem confirma (*a*) in cauſſis omnibus, in quibus vigore unius Commiſſionis procedunt, nonniſi unicam propinam exigere poſſe, juxta taxam præſcriptam in Reformatione Pauli V. ab Innoc. XI. & XII. confirmatam, etiamſi for-

(a) *Conſt. 222. edita 22. Junii anno 1715.*

forſan in Commiſſionibus diverſa fuerint credita expreſſa, ſeu diverſa bona, actiones, perſonæ, aut res ſimiles nominatim incluſę, vel diverſa etiam dubia ſeorſim diſcuſſa, ac definita. Imo in cauſſis, in quibus in aliqua certa ſumma in Monitorio petita favore unius prodiit Reſolutio, in alia tamen inſtantia diſcutienda, non quidem a tota ſumma, in Monitorio, ſeu Commiſſione expreſſa, ſed a rata in ſententia definita, ſportulæ, ſeu propina exigetur; prout unica erit propina, ſi Creditorum concurſum cauſſa reſpiciat. Neque demum, vel minima propina erit exigenda, ſi vel liti fuerit renunciatum, vel de paupertate unius ex collitigantibus conſtet.

4. Advertendum poſtremo, illud in principio cauſſarum coram Judice Commiſſario agendarum requiri, ut Commiſſio citata parte in Regeſto Actorum, quod Broliardum vocant, exhibeatur, quod quidem merito inſtitutum eſt, tum ut Commiſſarii Judicis Juriſdictio firmata remaneat, tum ut communis utrique parti commiſſio reddatur. Hac autem commiſſione exhibita, ſeu præſentata, quid coram eodem Judice agendum ſit, mox expendendum.

5. Poſtquam igitur Reus contrariam ſive in Urbe, ſive in partibus ſententiam reportaverit, & obtinuerit a plena Signatura cauſſam committi alicui ex Romanæ Curiæ Prælatis, qui Judex Commiſſarius, ut innuimus, dicitur, duos habet annos, alterum ad tranſmittendam Commiſſionem, alterum ad conficiendum extractum. Porro commiſſio data in plena Signatura tranſcribitur in medio folii, & deinde affertur ad referendariandum Præſuli illi, qui eam in Signatura propoſuit, aut, eo abſente, Decano Signaturæ, ſicque referendariata datur Curſoribus, ac prævia ſolutione obulorum quinquaginta; per dictos

ctos Curſores, ut inquiunt, incapſatur, & antequam elabatur annus, citatur coram Judice, cui directa extitit Commiſſio per Acta Archivii, eoque ut ſequitur modo citatio peragitur - *R. P. D. N. Judice Commiſſario Romana &c. Citatur N. ad dicendum contra commiſſionem in actis primo loco præſentat. &c. & juxta illius formam, & tenorem mandari procedi, & decretum &c. Inſt. N. Archivium*, eaque citatio, prout affirmandum eſt de omnibus aliis, quæ coram Judicibus Commiſſariis exequuntur, perſonaliter exequi debet.

6. Incapſata vero commiſſione, ac reproducta citatione, appellans habet, ut diximus, alterum annum ad conficiendum extractum, illumque tranſportandum, qui quidem duo anni dicuntur fatalia, ac limitantur, ſi appellatus extractū conficiat, cauſamque committat, poteſt enim poſt menſem a die reſolutionis plenæ Signaturæ cauſam committere, ac propriis ſumptibus, quos in fine litis vincendo recuperat, proceſſum conficere, citando coram Signatura, quod *inſtans intendit conficere extractum in cauſa, de qua agitur, ideo citatur idem ad dicendum contra proteſtationem, & decretum &c. ad p. d. Inſtante N.* & in termino, die ſcilicet, quo cadit dicta citatio, fit proteſtatio de expenſis, & damnis &c.. Idemque eſt afferendum, ſive ab una, ſive ab altera parte extractus omnium actorum coram Judice, a quo appellatur, geſtorum conficiatur, eo autem anno expleto, Juvenis Notarii, ubi acta fuerit cauſa, illum tranſportat ad Notarium Archivii, per cujus acta cauſæ coram Judicibus Commiſſariis agitantur; deinde citatur contra jura, & repetitur jam translatus, ſeu, ut barbare dicitur, tranſportatus proceſſus, & pars, cujus magis intereſt cauſam definire, ſive ſit di-

diſputandum, num ſententia debeat confirmari, an infirmari, ſive una, vel altera pars ſuper aliquo articulo decretum aliquod a Judice debeat obtinere, ſufficit, ut eidem Judici informationes facti, & juris, ac ſummaria jurium exhibeat, eundemque in voce juxta facti contingentiam informet citata parte ad informandum die &c. = *qua Judex vult partes audire, alias &c.* Cum autem hæc citatio ſit mere extrajudicialis, ſat eſt, ut exequatur domi dimiſſa copia cũ cętero quia alię ſint perſonaliter exequẽdę.

7. Cauſa vero ad Examen redacta, pars, quæ ſenſum Judicis ad ſui favorem obtinuit, debet citare pro certa die ad terminos ſubſtantiales, & in illius termino productionem in actis emittere, eo, qui ſequitur, modo = *R. P. D. N. Judice Commiſſario cit. N. ad libellandum ad primum, articulandum ad octavam, dicendum contra articulos, producendum omnia, dicendum contra producta in terminis ſubſtantialibus ad primam diem Inſtante N.-Archivium* - in cujus quidem termino fit ſequens repetitio in Broliardo, ſeu libro productionum in Archivio exiſtent - *Pro N. contra N. In Officio N. Procurator, & facto repetiit omnia, & ſingula jura, & acta geſta in cauſa in parte, & partibus &c. petens &c. omni &c.* quibus omnibus actis oportet ad ſententiam citare, ut infra - *R. P. D. N. Judic. Commiſſ. cit. N. ad videndum reiterari omnes, & ſingulos terminos ſubſtantiales male forſan, nulliter, & inculcate tentos, habitos, atque ſervatos, in vim quarumcumque facultatum Inſtantem abſolvi a cenſuris ad effectum &c. deferri juramentum in ſupplementum plenæ probationis, quatenus opus ſit, concludendum, concludique mandari videndum in cauſa, & audiendam ſententiam definitivam in forma Inſt. N. prin-*

Digitized by Google

principali, ſive &c. - Archivium - qua citatione reproducta, & obtento *pro ſervato*, termino ſcilicet decem dierum, in iis Judex poteſt ſententiam proferre, cujus formula traditur a Ridolphin. (*a*).

8. Pronunciata tandem a Judice Commiſſario ſententia, aut eſt præcedentis confirmatoria, aut revocatoria? ſi revocatoria, ſufficit appellationem in actis coram eo Judice, a quo appellatur ſolemniter, ac juridice interponere, cujus appellationis tenorem in praxi A. C. ſatis innuimus, & amplius profert Ridolphin. (*b*); Si vero ſit confirmatoria, ac reus per rem judicatam ex duabus, ſi locum ſibi vindicet ſtatutum de duabus, vel ex tribus conformibus ſententiis, ad formam juris communis, ſuccubuerit, eo quidem caſu citare debet coram Auditore Signaturæ ad videndum mandari ſuperſederi *ad primam poſt proximam Signaturam*, & alia peragere, quæ in praxi Tribunali Signaturæ quod eſt in Urbe celebratiſſimum, fuſius nunc exponantur.

TITULUS XLI.

De Signaturis Juſtitiæ, & Gratiæ.

QUoniam negocia omnia, quæ ad Urbem deferuntur, atque in Romana Curia tractantur, vel juſtitiam, vel gratiam concernere ſolent, duo idcirco provido, opportunoque plane conſilio inſtituta ſunt Tribunalia, quorum unum Principem, ſeu Romanum Pontificem repræſentat, ejuſque nomine agit, & Signaturæ *Juſtitiæ* vocatur; In altero vero, cujuſmodi eſt Signatura *Gratiæ*, Pon-

(a) *In praxi part. 3. cap. 2. n. 138. & 139.* (b) *In prax. d. part. 3. cap. 13. n. 2. & ſeq.*

Pontifex præeſt, & quid concedendum, quidque negandum ſit, ipſemet ſignat atque reſcribit. Tribunal porro Signaturæ Juſtitiæ magis committit aliis Judicibus, quam quod decidat controverſias, & cauſas, quæ circa res Eccleſiaſticas ex toto Orbe, circa verò prophanas ex Statu Eccleſiæ in Curia proponuntur, vel ſi de aliis Principatibus extent, caſu quo vel partium conſenſus accedat, vel circa perſonas Eccleſiaſticas eædem cauſæ verſentur, vel demum ſi ab ipſis Judicibus, ſeu Principibus laicis fuerint ad Romanam Curiam remiſſæ; Hoc tamen non obſtante cùm bonum, vel malum jus cauſſarum plurimum conferat, ut vel ulterior commiſſio concedatur, vel denegetur, hoc quoque jus in Signatura Juſtitiæ attingi conſuevit.

2. Conſtat vero Signatura Juſtitiæ ex duodecim Prælatis, qui a ſuffragio quod dant, *Votantes* dicuntur, item ex nonnullis Referendariis, qui cauſas proponunt, & *Ponentes* vocantur, & demum ex Cardinali Præfecto, qui quando voluerit accedere, nonniſi in diſcordia, & æqualitate votorum ſuffragatur, ut faciliorem cauſæ exitum habeant. Quoniam verò Tribunal Signaturæ eſt unum ex præcipuis Romanæ Curiæ Tribunalibus cauſſarum copia celebratiſſimum, præſtat, ut de ejus origine, privilegiis, facultatibus, modo, ſeu forma cauſas aliis Judicibus committendi, aliiſque hujuſmodi rebus ſcitu digniſſimis aliqua uberius proferamus.

3. Et primo quidem quod ſpectat ad Signaturæ originem, nullum fortaſſe eſt in Urbe Tribunal, quod hujus antiquitatem excedat. Quamvis enim Innocentius VIII. primus extitiſſe credatur, qui e Referendariorum numero quoſdam elegerit (*a*), ut Pon-

(a) *Conſtitutione incip. Officii noſtri anno* 1491.

Pontificis nomine precibus in materia juſtitiæ ex univerſo pene Orbe Apoſtolicæ Sedi porrectis, prout juris foret, reſponderent, unde Votantes Signaturæ dicuntur, ut ſupra innuebamus, ſi tamen Referendarios Signaturæ ſpectemus, Præſules nempe illos, qui olim Pontifici eaſdem preces tenebantur referre, non immerito aliqui aſſeruerunt hujus Tribunalis inſtitutionem ipſimet Principatui eſſe coævam (*a*). Cùm Signatura in genere Principis audientiã deſignet, Signaturam merito dictam, quia in ea Princeps ſignat, atque ſubſcribit, ut advertit Gonzalez (*b*).

4. Nihil autem eſt veroſimilius, quam quod exemplo omnium Nationum, apud quas extare, & eligi perpetuo conſueverunt, qui Principi aliorum ſupplicationes referrent, imo etiam exemplo aliarum Eccleſiarum, penes quas eundem morem invaluiſſe non dubitatur, ut egregie oſtendit Franciſcus Antonius Vitale in Opere nuper edito *De jure Signaturæ Juſtitiæ in ordinem reducto cap.* 1. etiam Romana Eccleſia id ipſum eo rationabilius agere debuerit, quo graviora, & ampliora negocia ad ipſam deferebantur. Quæ quidem circa hujus Tribunalis originem attigiſſe ſat eſt. Illudque dumtaxat addemus, quod, quemadmodum Innocent. VIII., ut diximus, e Referendariorum numero quoſdam elegit, ut in cauſſis prout de jure reſponderent; Ita Alexander VII. peculiari Conſtitutione Signaturæ reformationem indixit, erigendo Collegium, atque mandando illud ex duodecim votantibus cum Cardinali Præfecto ex cœtu Referendariorum electis repræſentari, itaut antiquior eorum in Officio, Decanus dice-

(a) *Fattinellus de Referendariorum & Votantium Signaturæ Juſtitiæ Collegio cap.* 1. (b) *Super Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 60. *§*. 53.

diceretur, quam quidem Alexandrinam Conſtitutionem ſubinde Innoc. XII. Conſtitutione incip. *Inter graviſſimas* tertio decimo Kalend. Auguſt. 1695. revocavit, Summorum Pontificum arbitrio Votantium electionem undique remittendo.

5. Probe verò optimeque animadvertentes iidem Pontifices, iſtorum Judicum operam Chriſtianæ Reipublicæ eſſe perutilem, quamplurima privilegia tam Signaturæ Votantibus, quàm Referendariis conceſſere in compenſationem quandam laborum ab iis ſublatorum. Et primo quidem Paulus III. Conſtitut. 41. *in Bull. novo tomo* 1. exemplo Leonis X. & Clementis VII. nedum eos Nobiles, ſuoſque familiares declaravit, verum etiam facultatem indulſit creandi Notarios, legitimandi, lauream doctoralem conferendi necnon beneficia, exemptiones a quavis Ordinariorum juriſdictione, aliaque hujuſmodi, quæ tamen, vel a Concilio Tridentino, aut poſterioribus Apoſtolicis Conſtitutionibus fuerunt revocata, vel ad terminos juris redacta, vel in deſuetudinem abierunt, ut ad rem notarunt cit. Vitale (*a*), & Calcagninus (*b*).

6. Ceteris vero Conſtitutionibus prætermiſſis ad Referendarios æque, ac Votantes directis, peculiaria ſunt, quæ Innoc. XII. Clemens XI. & ſucceſſores iiſdem Votantibus conceſſere. Nam prædictus Innocen. XII. anno Pontificatus ſui V. iis facultatem conceſſit, ut in omnibus Congregat., cæteriſque actibus publicis, vel privatis etiam coram Summo Pontifice, Rocchettum palam deferrent, illudque publice geſtarent, nec non Cappis magnis tam in Cappella Pontificia, quam in Signaturæ Juſtitiæ congreſſu induerentur. Ulterius ab omni ſolutione publico.

(a) *Dict. cap.* 1. (b) *Par.* 1. *obſerv.* 3. *n.* 63. *& ſeqq.*

blicorum onerum eoſdem exemit, ad quem effectum annua ſcuta quinquaginta pro quolibet a Rev. Camera Apoſtolica perſolvi mandavit, ut res omnes tam eorum, quàm familiæ uſibus deſtinatæ prædictis oneribus deinde ſubjicerentur. Ad hæc præ. via abolitione Præfecturæ Congregationis Confinium Collegio votantium ſcuta mille, & biſcentum quotannis aſſignavit menſtruatim inter ipſos dividenda. Clemens pariter XI. Indultum transferendi penſiones annuas ſuper fructibus beneficiorum uſque ad ſummam ſcutorum centum eiſdem conceſſit, etiam in mortis articulo, coram Notario, & teſtibus, & cum perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ interventu, eodemque jure etiam dimiſſo officio uti poſſe mandavit (*a*). Pecuniarum pariter ab Innocentio XII. aſſignatarum ſummam deinde Benedictus XIII. ad ſcuta annua tria millia octingenta, munifice adauxit e redditibus Dohanarum Urbis detrahenda, ita tamen ut ſcuta quingenta Decano, & annua tercenta cuilibet prævio ordine Decani initio cujuslibet menſis perſolveretur; idemque Benedicti Chirographum Clemens XII. peculiari Conſtitutione firmavit (*b*). Idem præterea Pontifex Benedictus XIII. (*c*) uſum Galeri violacei iiſdem indulſit, quem Clemens XII. ad uſum Mantelli magni, ac pilei Pontificalis in ſolemnibus equitationibus adhibendi porrexit (*d*).

7. Poſtremo præcedentiam ipſis competere inter alios Curiæ Prælatos uſum Rocchetti, & Cappæ Magnæ non habentes, ex Indulto eodem intelli-

(a) *Conſtitutione incip. Creditæ nobis* 12. *Auguſti* 1701.
(b) *Tom.* 1. *pag.* 333. (c) *Conſtitutione* 91. *die* 12. *Julii* 1727. (d) *D. Conſtitution. incip. Creditæ nobis, ſub die* 25. *Januarii* 1731.

telligitur. Quod ſi Votantes Signaturæ Juſtitiæ, & Gratiæ in functionibus, quæ non pertinent ad Collegium Referendariorum repræſentatum per duodecim Signaturæ Juſtitiæ votantes, inſimul forte conveniant, ſervanda erit Conſtitutio Bened. XIV. (a), qua provide ſanxit, convenientibus uno, vel pluribus ex utroque Tribunali Votantibus, antiquioritatem admiſſionis in Tribunali eſſe ſpectandam, niſi forſan eadem die uterque fuerit admiſſus, quo quidem caſu antiquior in Prælatura præcedet. Reliquum modo eſt, ut ad facultates huic Tribunali competentes deſcendamus.

8. Inter has autem primo ſeſe offert illa judicandi in omnibus cauſis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus totius Catholici Orbis, in quibus Princeps ſit adeundus, ad effectum committendi cauſas appellationis, vel reſtitutionis in integrum, & quoruncunque gravaminum, ſicut etiam ſi ſuper præſcriptione, vel competentia fori ſit diſceptandum, quo ſane caſu aditur Auditor Signaturæ, qui poteſt inſuper, ut melius inferius exponemus, Judices omnes ſuſpectos removere, alioſque ſubrogare, niſi forte de Cardinali Vicario, Gubernatore, aut A.C. pertractetur, ad quos privative de cauſis ſuſpicionum ſubalternorum Judicum cognoſcere ſpectat, eoque unico caſu ad Signaturam recurritur, quo iſti Judices de gravamine recognoverint, & partes non acquieverint. Prout etiam Signatura in foro Capitolino haud quaquam ſe ingerit, cùm vel ad Senatorem, vel ad Capitaneum appellationum, vel demum ad Aſſeſtamentum recurrere oporteat ex reformatione Innocentiana; & ex Urbis ſtatuto Judicum quoque ſententias ex defectu Juriſdictionis, vel citationis Signa-

(a) *Incip. Militanti, Eccleſiæ ditas die 7. Junii 1746.*

Signatura circumſcribit,& alteri cauſas delegat,necnon inhibitiones a judicibus injuſte datas moderatur, & e contra ſi eas perperam Judices moderati fuerint, reintegrandas injungit. Præventionum quoque cauſas declarat, & ad Judices competentes remittit, atque ſi unus ex litigantibus prematur inopia, alimentorum, & ſumptuum litis ſubminiſtrationem demandat, & demum, ſi ita graves circumſtantiæ fieri poſtulent, aliquando ab uno judice, tamquam ſupremum Principem repreſentans, cauſam avocat, & ad alium remittit (*a*).

9. Cæterum hujus Tribunalis facultates non eo extenduntur, ut in cauſis S. Officii, vel ejus miniſtrorum, vel in cauſis a Congregationibus Cardinalium reſolutis, vel demum in cauſis Congregationis Viſitationis ſe immiſceat, quas alibi diximus eſſe iiſdem reſervatas; eodemque jure, nec in cauſis Cameralibus, nec munitis clauſula *ſublata*, *&* *Decreto irritante*, nec in quibus Summus Pontifex manus appoſuerit, aut quæ ex peculiari privilegio alteri Judici competunt, ut eſt Cardinalis Epiſcopus Veliternus, qui per medium Præſulis in Auditorem aſſumpti non ſolum in tribus inſtantiis judicat, duabus nempe in civitate Veliterna, ejuſque Diœceſi, tertia in Urbe, ſed ulterius tamquam Præfectus Signaturæ cauſas committit ex Indulto Pii IV. renovativo aliorum Pauli II. & IV. de quo Cardinalis De Luca (*b*), quodque Benedictus XIV. in Conſtitut. *Quantum* a nobis ſupra relata *in titulo De Archipresbyteris* expreſſe præſervavit. Quoniam vero ne copia negociorum Votantes hujus Tribunalis plus æquo defaticentur, deputatur Auditor Signa-

(a) *Late citatus Vitale dicto cap. 1.* (b) *De judiciis diſc. 47. n. 57. & ſeqq. & alibi.*

gnaturæ, cujus præſertim munus eſt, ſuperſeſſorias, ſeu ſuſpenſiones ſententiarum a judicibus editarum concedere, vel denegare, prout etiam circa incidentia omnia cauſarum indiſtincte decreta interlocutoria proferre; Hinc quæ, & quanta ſit hujus Auditoris facultas, operę pretium eſt inquiramus.

10. Munus porro Auditoris (qui licet olim Auditor eſſet Cardinalis Præfecti, quia tamen alium penes ſe Præfectus idem domeſticum Auditorem habet, qui in cauſis, in quibus ab Auditore Signaturæ ad Pręfectum recurritur, judicat, Auditor Signaturæ vocatur) non ſolum eſt, ut innuimus, ſuperſeſſorias indulgere, aut denegare, ut plena Signatura deinde adeatur, ſed revocare etiam attentata omnia, quæ in ſpretum ſuperſeſſoriæ fortaſſe patrantur. Remittit item cauſas ad partes in prima inſtantia, ſi vel decretum definitivum non ſit, vel de levi ſumma tractetur, inhibitioneſque ab Auditore Cameræ datas, vel ad partium inſtantiam reintegrat, vel moderatur. In Judicio pariter ſuſpicionis fugæ cautiones coram illo admittuntur, & interim inhibetur; Præterea audientiam, ſive facultatem redeundi in Signatura etiam poſt emanatas reſolutiones concedit, addita tamen clauſula *facto depoſito*, (circa quod quidem Depoſitum in Congregatione Signaturæ habita die 17. Septemb. 1756. ſequens prodiit reſolutio - *Deciſum fuit per viam declarationis decretorum Collegii DD. Votantium Signaturæ, depoſitum intrare, quoties provocatur ad Signaturam adverſus decretum D. Auditoris conceptum non cum clauſula* - niſi - *ſed cum verbo* - ſuperſederi - *etiamſi non interceſſerit alterum conforme decretum Eminentiſſimi Præfecti, quo ſimul concurrente, depoſitum intrare, nulla facta diſtinctione,*

ctione, *an dilatio conceſſa fuerit potius cum dicto verbo*, *quam cum dicta clauſula*, *& ut in decretis prædictis Collegii Dominorum Votantium cavetur*. Quam declarationem Signatura ratam habuit die 8. *April.* 1757. & omnino ſervari mandavit, multoque magis ſi recurratur directe a Decreto Auditoris, qui nullam ſuperſeſſoriam ad effectum adeundi Signaturam à ſuo Decreto conceſſit) atque indiſcriminatim in cauſis non appellabilibus, ſeu quæ ſcutorum quinquaginta ſummam non excedunt, quæque idcirco recurribiles appellantur, decreta pronunciat, quando nempe plena Signatura ſit adeunda; ea vero differentia eſt inter recurribiles, & appellabiles cauſas, quod recurribiles per acta ejuſdem Notarii ſine ſolutione regeſti, & propinæ abſolvuntur, quod in cauſis appellabilibus fieri non ſolet; Apoſtolica demum Sede vacante citationes omnes, ac recurſus, qui coram Auditore defuncti Pontificis pendebant, coram Auditore Signaturæ definiuntur ex Conſtitutione Clementis XII. (*a*), quam allegavimus ſupra, cùm de iis, quæ peragenda ſunt Pontificis obitu ſecuto diſſeruimus.

11. Cæterum quia cauſſæ, ſeu judicia a commiſſionibus incohantur, præſtat, ut de commiſſione aliqua proferamus, quæ aliud non eſt, niſi ſupplicatio Signaturæ porrecta, & gravamina continens, a quibus recurritur, ut opportune provideatur. Cùm vero univerſa Judicia alia ſint ordinaria, alia poſſeſſoria, alia exequutiva, ut alibi innuimus (*b*), Commiſſiones etiam cauſſarum inſpecto judiciorum diſcrimine diſtinguuntur. Unde in Judiciis ordinariis bis appellare permittitur; imo ex diſpoſitione aliquorum Statutorum municipa-

(a) *Incip. Apoſtolatus officium*, *ſub die* 15. *Octobris* 1732. §. 19. (b) *In tit. de Auditore Cameræ*.

cipalium ſemel tantum appellandi jus eſt. In iiſdemque hinc cauſis, in quibus vel commune, vel municipale jus appellationem indulget, Præfectus Signaturæ commiſſiones cauſarum ſimpliciter ſignat, proindeque in foro commiſſiones iſtæ ſub banca expediri dicuntur, ad quas ſermonem haud quaquam in præſenti dirigimus, cùm in re undique plana non videatur inutili verborum apparatu immorandum, ſed potius ad eas commiſſiones tranſeundum eſt, quibus juris cenſura, vel contrahentium facta reſiſtunt, atque hinc in plena Signatura ſunt omnino proponendæ. Antequam autem de diverſitate commiſſionum, ſeu de formulis reſcribendi diverſis cauſis reſpondentibus agamus, operæ pretium eſt, ut de methodo, & forma inſtituendi cauſas in Signatura practice aliqua innuamus.

12. Quoties igitur Reus per contrariam ſententiam, ſeu per ſententias ſuccubuit, non obſtante aliqua relevante exceptione a Judice præcedentis Inſtantiæ non admiſſa, cùm cauſa ſit ſummæ appellabilis (ſi enim ſit recurribilis, ordo ſervandus habetur in praxi A. C. cùm de cauſis executivis diſſeritur) & cauſam proſequi intendit, debet citare coram Auditore Signaturæ, ut ſupra diximus, pro habenda ſuperſeſſoria ad effectum adeundi plenam Signaturam, eo qui ſequitur modo - *Signatura Juſtitiæ Præfecto ſive &c.- Citetur N. &c. ad videndum mandari ſuperſederi ad primam poſt proximam Signaturam, & inhiberi in forma, & decretum &c. ad primam diem Inſt. N. &c.- N. Notarius-* & expoſito in Judicis audientia aliquo rationis fundamento Judex *ſuperſederi ad primam Signaturam* decernit, & quoties agatur de cauſa, in qua obligatio Cameralis concurrat, in decreto ſolet adjicere - *facta decla-*

declaratione in actis de habendo ſuperſeſſoriam loco termini, ne Reus poſt obtentas dilationes ſuperſeſſoriæ, actorem vexando, terminum 30. dierum ſuſcipiat, de quo in praxi Trib. A.C. aliqua protulimus.

13. Adventa vero die in ſuperſeſſoria præſcripta, iterum debet citari ad *videndum mandari prorogari ſuperſeſſoriam*, *& inhiberi in forma*, *& decretum &c. ad p. diem &c.* & Judex mandat prorogari ad alteram primam Signaturam, *& amplius*, hoc eſt, quod non poſſit iterum citari ad prorogationem habendam, niſi ab eodem Auditore ſubſcribatur citatio, cum *poterit legi*; citatione autem ad videndum prorogari ita ſubſcripta, & executa, Judex decernit *in proxima futura Signatura cauſam proponi*, atque in Decreto utitur formula *per totam diem NN.* cujus quidem decreti vis eſt, ut per 10. dies ante Signaturam commiſſio tranſmittatur; Idque inhærendo reformationi anni 1744. qua cautum eſt, ut die Lunæ hebdomadæ ante Signaturam eædem commiſſiones tranſmittantur. Iis vero commiſſionibus tranſmiſſis, unus ex Romanæ Curiæ Prælatis utriuſque Signat. referendariis rogatur, ut cauſſam in plena Signat. proponat, eoque acceptante, deinde factis duabus copiis commiſſionis cum appoſitione nominis Procuratoris a tergo, in parte ſuperiori, cujus commiſſionis formula mutatis mutandis ita concipitur-*Bme P.-Dignetur Sanct. veſtra cauſam, & cauſas appellationis, & appellationum, ac nullitatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis, & notoriæ injuſtitiæ intra legitima tempora interpoſit. pro parte Sanctitatis veſtræ Oratoris N. a mandato executivo ab A.C.N. relaxato in ſcutis &c. pro integra prætenſa ſatisfactione &c. ad favorem N. Adverſarii rebuſque aliis &c. in actis cauſæ, & cauſarum hu-*

juſ-

juſmodi latius deductis, ad quæ &c. necnon attentatorum, & innovatorum quorumcumque, ac reſtitutionis in integrum, prout de jure, una cum omnibus ſuis inciden. dependen. emergen. adnexis, connexis, totoque negocio principali, ac clauſula quam, & quas &c. Prælato (& quando appellatio ad Rotam poſtulatur, exprimitur) *alicui ex ſacri veſtri Palatii cauſſarum Auditoribus, ſeu Locumtenenti audien. cognoſcen. deciden., ſineque debito terminan. committere, & mandare cum facultate citan. & inhiben. quos, quibus, quoties, ubi, & quando opus fuerit, ſingulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem Dei feriatis, etiam per edictum publicum, conſtito de non tuto acceſſu, & in præmiſſis circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna &c. Conſtitut., & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Palatii, & Curiæ, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis &c. pro plene &c.* deinde a tergo ſequens citatio tranſcribitur - *Signatura Juſtitiæ - Citetur N. ad dicendum cauſam, quare &c. commiſſio, cujus copia ſibi originaliter tranſmittitur, proponi, & ſignari non debeat in proxima Signatura, quæ erit die N. &c. ideo &c. alias &c. Inſt. N. &c.* - citatio abſque nomine alicujus Notarii conficitur.

14. Utraque vero commiſſionis copia Curſoribus datur, qui unam parti tranſmittentes, de facta executione deponunt. Quibus peractis, obtentoque ab electo Præſule in Ponentem *proponam die &c.* ſeu deſtinatione diei, in qua cauſa ſit proponenda, eaque intimata, præmiſſa Scripturarum per ſex dies ante Signaturam omnibus Votantibus diſtributione, & facta informatione in voce, tandem Signatura in cauſa reſcribit juxta formulas mox exponendas a cau-

cauſis poſt tres ſententias propoſitis auſpicantes.

15. Quoties igitur proponuntur commiſſiones poſt tres ſententias, ſi ſunt validæ, & juſtæ, reſcribitur cum clauſula *S. P.*, ſeu *S. P. rei judicatæ*, ſi forte fuerint in auctoritatem Rei judicatæ prolapſæ. Rurſus poſt quartum Judicatum non aliter quam cum clauſula = *Parito judicato* =, quæ totalem executionem ſententiarum etiam per reſtitutionem fructuum, & expenſarum importat, niſi tamen petens reſtitutionem in integrum poſſideret rem controverſam, & pauper foret, quo quidem caſu antiquitus Signatura recedere ab hujuſmodi rigore, & concedere reſtitutionem in integrum conſuevit cum clauſula = *Dimiſſa poſſeſſione tantum, & reſervatis juribus, & expenſis in fine litis, conſtito de Oratoris paupertate* = ut notavit Veſtr. (*a*).

16. Hodie tamen juxta recentiorem Stylum, conſtito de notoria Sententiarum Juſtitia, etiamſi prius reſcriptum fuiſſet *S. P. trium*, vel etiam = *Parito* =, reſcribitur = *Alteri, qui ad legitimam &c.* Eaque vero differentia inter clauſulam = *Parito judicato*, & alteram *S. P.* communiter eſſe judicatur, quod quando cauſa fuit commiſſa cum clauſula = *Parito judicato*, Judex, *ad quem*, non poteſt procedere ad cognitionem cauſæ, niſi prius conſtito de integra exequutione judicati, ut mox explicavimus; At quando commiſſa extitit cum Clauſula *S. P. rei judicatæ, vel trium conformium*, Judex, a quo poteſt ſolummodo procedere ad exequutionem Sententiarum circa negocium principale, non vero circa reſtitutionem expenſarum, eodemque tempore, quo Judex a quo, ad exequutionem negotii principalis procedit, Judex *ad quem*, ſeu ap-

(a) *In praxi lib. 8. cap. 3. num. 12.*

appellationis procedere valet ad cognitionem cauſæ ſibi commiſſæ, quod non æquali jure procedit in cauſis commiſſis cum dicta Clauſula = *Parito judicato* =, in quibus totalis exequutio rei præcedere debet, antequam cognitio cauſæ fiat.

17. Aliquando tamen etiam tres ſententiæ, vel duæ in caſu ſtatuti, non omnes inter ſe conformes exiſtunt, ſed in aliquibus concordant, in aliquibus differunt, atque diſcordant, eoque caſu cùm adſit res judicata in parte conformi, ſaltem reſcribi ſolet *S.P. duarum in ea parte, in qua ſunt conformes, in reliquis conſtito de duabus*, atque hunc recentiorem eſſe ſtylum Practici dicunt; Utrum autem per hujuſmodi reſcriptum præſervata ſit judici a quo, facultas exequendi duas Sententias in parte conformi, an in illa fuerit delegata Judici ad quem, non levis eſt controverſia, & ſæpe ſæpius de hoc fuit in Signatura dubitatum: nihilominus fere ſemper prævaluit opinio, quod cognitio ſuper hujuſmodi Sententiarum conformitate ſpectare debet ad judicem a quo, non vero ad judicem ad quem, maxime cum conformitas in quantitate numerica dumtaxat verſatur, atque conſiſtit.

18. Porro cum ſimilibus clauſulis reſcribi ſolet, quando conſtat de validitate, & juſtitia trium Sententiarum, vel duarum in caſu ſtatuti præſcribentis duas vim trium habere. At ſi juſtitia Sententiarum eſt undique dubia, vel conſtat de illarum injuſtitia, tunc in caſu trium Sententiarum antiquitus reſcribebatur = *De reſtitutione in integrum, prout de jure*, quæ formula reſcribendi exequutionem judicati, vel trium conformium ſuſpendebat omnino, donec, & quouſque judex ad quem, an reſtitutio in integrum indulgenda, vel deneganda eſſet, cognoſcere poſſet, cum de jure, pendente cogni-

gnitione, an ſit concedenda, nec ne reſtitutio in integrum, in exequutione rei judicatæ ſit ſuperſedendum.

19. Hodie vero paſſim in ſimilibus caſibus ſi conſtat de injuſtitia trium Sententiarum, reſcribitur = *Conſtito de tribus*, *vel Alteri*, *qui ad legitimam*. Quæ quidem clauſulæ pariter ſuſpendunt exequutionem Sententiarum, & judicati, donec Judex ad quem opportunè cognoſcat, num conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, an potiùs ſit locus exequutioni rei judicatæ, & ita explicantur, ut ex vi hujuſmodi clauſularũ cenſeatur commiſſa cognitio Sententiarum alteri judici, cui ſi conſtiterit, validas, & juſtas Sententias exiſtere, illas exęquatur, ſin minus, cauſã appellationis cognoſcat, & utroque modo Judex ad quem ſuper reſtitutione in integrũ, juxta ſtylum inveteratum Curiæ Sententiam non profert; ſed ſi cognoſcit Sententias eſſe undique injuſtas, pronunciat = *Bene appellatum*, *&* *male judicatum* =. Et demum ſi cognoſcit illas validas, & juſtas exiſtere, eaſdem exequitur, relaxat mandata, & expenſas ad formam commiſſionis ſibi directæ præſcribit.

20. Merito autem diximus, in caſu trium Sententiarum juxta diſpoſitionẽ juris communis, & pariter in caſu ſtatuti de duabus conformibus idem eſſe affirmandũ, cum potuerint ſtatuentes præſertĩ inter conſanguineos, & ad cauſas quantocyus abſolvendas decernere, quod duę Sententiæ tribus æquivaleant. Quod ſi hujuſmodi Sententiæ ſint injuſtæ, vel alias ſuper hoc dubium exurgeret, reſcribi ſolet cum clauſula = *Conſtito de duabus* = Sin minus *cauſam appellationis Judex cognoſcat*, prout etiam aſſerendum eſt de alia clauſula = *De cauſis reſtitutio-*

nis in integrum, addita etiam clauſula *ſine præjudicio rei judicatæ*; quando exequutio jam cœperit. Verum ſuper hac formula reſcribendi plures autumarunt, eſſe novam formulam reſcribendi, & contra ſtylum inveteratum Curiæ, cùm in caſu, in quo adſit Cauſę deſertio ob non interpoſitam, & proſequutā appellationē intra tempus a jure ſtatutum, ſemper reſtitutio in integrum cum clauſula *De præfixione termini, quando exequutio Sententiæ, vel Sententiarum non fuit cæpta* = concedi conſueverit.

21. Hæc autem clauſula = *de præfixione termini* per Regentem Cancellariæ ita ſolet extendi = *Alteri judici, qui terminum ad dicendum de appellatione, ejuſque legitima perſequutione, nec non de cauſis reſtitutionis in integrum figat*, quoquidē elapſo, ſi nihil relevans fuerit deductum, conſtito de re judicata, vel quod alias exequutioni locus ſit = *Exequatur*, ſin minus cauſam appellationis, ſeu reſtitutionis in integrum opportunè cognoſcat. Eaque formula *de præfixione termini* magis juri, & æquitati conſona fuit dijudicata, rejecta altera formula = *de cauſis reſtitutionis in integrum*, & merito quidem; nam quando a Sententia non fuit appellatum; vel cauſa appellationis intra legitimum tempus non fuit proſequuta, quamvis intret res judicata, tamen non eſt ita exploratum, an ex aliqua cauſa evitari nequiverit, prout in caſu ignorantiæ Sententiæ latæ, vel abſentiæ illius, contra quem fuit pronunciata: Unde cùm poſſint plures caſus contingere, in quibus deſertio incurri non potuerit, conſequenter vera formula reſcribendi in hujuſmodi caſu eſt illa *de præfixione termini*, nempe ut Judex ad quem inquirat, an adfuerint nec ne cauſæ ſuf-

ſufficientes pro incurſu rei judicatæ evitando. At vero recentior praxis eſt, ut ſic reſcribatur, ubi fuiſſet appellatum, & deſerta appellatione, ſententia transmiſſa in auctoritatem Rei judicatæ: ſecus in oppoſito caſu non interpoſitæ appellationis, quo quidem in caſu reſcribitur = *De cauſis* =

22. Non ſic autem procedit in caſu trium Sententiarum, vel duarum in caſu ſtatuti *de duabus*, quia latis tribus Sententiis, vel duabus in caſu ſtatuti ſine dubio intrat res judicata, illoque caſu reſcribitur cum clauſula connotante rem judicatam. Cęterum poſtquam ſemel fuerit conceſſa reſtitutio in integrum adverſus rem judicatam reſultantem in aliquo ex caſibus ſuperius relatis, tunc amplius concedi non ſolet reſtitutio in integrum, ne detur reſtiſtitutio reſtitutionis, quæ in jure eſt nimis exorbitans; niſi forte injuſtitia Sententiarum eſſet patentiſſima, quia tunc, ſed raro, conſuevit Signatura juſtitię iterum reſtitutionem in integrum impertiri, reſcribendo *alteri, qui ad legitimam*.

23. Conceſſa igitur ſemel reſtitutione in integrum, vel ad ſummum bis in caſu evidentiſſimæ injuſtitiæ, Si Judex cui commiſſa fuit cauſa reſtitutionis in integrum, Sententias eſſe validas, & juſtas advertit, illas exequi, expenſaſque præſcribit; & iſto caſu ſi iterato petatur commiſſio reſtitutionis in integrum, nec conſtet de evidentiſſima injuſtitia, reſcribitur = *S. P. rei judicatæ*, poſteaque *Parito*, & in quibusdam cauſis, quibus proprie non congruit lapſus Sententiæ, ſeu decreti in auctoritatem Rei judicatæ = *Nihil*, *&* *ab exceſſiva tantum* = Ex qua quidem clauſula denegata remanet ulterior reſtitutio, & ſolummodo indulgetur appellatio ab exceſſu

 taxa-

taxationis expenſarum , quæ ſemel tantum a jure permittitur .

24. Verùm ſi appellans poſtquam a Sententia contra ipſum lata interpoſuit appellationem , & committere fecit cauſam , citando etiam ad dicendum contra commiſſionem , adhuc ſteterit per biennium abſque translatione , ſeu tranſportatione actorum ; tunc appellatus debet obtinere comiſſionem eidem Judici appellationis directam , vigore cujus præfigere debet terminum unius menſis appellanti ad transferenda , ſeu tranſportanda acta , quibus intra terminum non tranſportatis,obtinere debet moderationem inhibitionis conceſſæ in prima commiſſione eidem Judici Appellationis directam , & ſi intra tempus præfixum appellans acta prioris inſtantiæ non transportaverit , & Judex appellationis ad moderationem inhibitionis devenerit , in iſto ſane caſu appellans debet Signaturam adire , ut reintegrationem dictæ inhibitionis obtineat , eoque caſu reſcribitur = *Rota, vel talis Judex transportatis actis , & refectis expenſis reintegret inhibitionem* = Refectio autem expenſarum in hoc caſu intelligitur ſolummodo de expenſis moderationem inhibitionis concernentibus . Hæc de commiſſionibus in Judiciis Ordinariis dixiſſe ſat eſt .

25. Nunc ad judicia poſſeſſoria tranſeundum,quę tria ſunt , videlicet *retinendæ*, vigore cujus datur manutentio , alterum *adipiſcendæ* , quod eſt immiſſionis , & tertium *reintegrandæ* , vigore cujus datur Sententia reintegrationis , ſeu mandaſum de reintegrando, ut etiam innuimus cum de A. C. diſſereremus. Porro in Judicio retinendæ , ſeu manutentionis,cum de levi prejudicio tractetur , utroque jure inſpecto,prohibita eſt appellatio, adeoque a mandato ,

dato de manutenendo regulariter reſcribi ſolet cum clauſula *S.P.* quæ quidem conceſſionem appellationis in devolutivo,non autem in ſuſpenſivo unicè importat , itaut Judici a quo juriſdictio exequendi ſuum mandatum, & Judici ad quem conceſſa facultas cognoſcendi cauſam ſuper meritis, undequaque remaneat .

26. At quando mandatum de manutenendo eſt injuſtum, tunc Signatura Juſtitiæ reſcribere ſolet : *Alteri cum facultate manutenendi* , *quæ de jure* : & ex vi hujus clauſulæ ſuſpenſa remanet executio mandati de manutenendo , donec Judex ad quem illud exequi mandet , vel novum concedat . Fuit quidem alias dubitatum, an ubi ex una tantum parte , & non è contrario etiam ex parte altera petitur Manutentio , reſcribendum ſit cum clauſula prædicta = *Alteri cum facultate manutenendi quem de jure* , quando concurrit injuſtitia mandati? Et ratio dubitationis fuit , quia clauſula prædicta videtur locum ſolummodo habere , quum uterque litigantium poſſeſſionem ſuper eadem re habere prætendit , ſecus vero quando unus tantum ex illis habere poſſeſſionem affirmat , cùm illa verba : *quem de jure* tam ad appellantem,quam ad appellatum directa videantur , quo circa olim conſuevit Signatura iſto caſu , licet raro , reſcribere cum clauſula - *Si quid exequendum* . Hodie tamen praxis eſt, ut non aliter reſcribatur, quam - *Alteri &c.* , & ratio eſt , quod qui ab initio non petit manutentionem, eam poſtea , & quandocunque petere poteſt & in ſua poſſeſſione , ſeu quaſi poſſeſſione perſiſtere .

27. Ea vero , quæ in Judicio manutentionis ſervanda eſſe aſſeruimus , pari profectò jure procedunt in Judicio reintegrandæ & adipiſcendæ , in qui-

quibus attenta conſtitutione Ægidiana non admittitur appellatio in hujuſmodi Judiciis poſſeſſoris, & conſequenter quoties proponitur commiſſio a Sententiis, & reſpective mandatis de immitendo, ſeu reintegrando, ſemper reſcribitur cùm clauſula - *S.P.* Quod tamen eſt intelligendum, cum bona ſuper quibus fuit conceſſa immiſſio, ſeu reintegratio, ſunt laicalia; Nam ſi bona ſint forte Eccleſiaſtica, vel litigantes, ſeu unus ex his ſit perſona Eccleſiaſtica, vel Sententia in Tribunali Eccleſiaſtico fuerit lata, tunc ab hujuſmodi ſententia datur commiſſio, & ſignatur cum clauſula = *De appellatione* = Cardinalis enim Ægidius tempore, quo fuit Legatus a Latere in Provincia Marchiæ Anconitanæ, Conſtitutionem promulgavit, quæ ab ejus nomine Ægidiana fuit nuncupata, in qua abrogando diſpoſitionem Juris Canonici permittentis appellationem in omni Judicio poſſeſſorio, diſpoſuit, per unicam Sententiam poſſeſſorium abſolvi juxta terminos Juris Civilis prohibentis appellationem in hujuſmodi Judiciis; Ideoque cum hæc conſtitutio exorbitans a jure Canonico viſa fuerit odioſa, interpretationem uſque ab initio habuit reſtrictivã ad cauſas mere laicales, etiamſi poſtmodum hujuſmodi Conſtitutio fuerit à Sixto IV. confirmata, & a Paulo III. per totam Ditionem Eccleſiaſticam extenſa, cum neque in extenſione, neque in confirmatione ulla mentio Clericorum fuerit habita. Iſtaque de facto fuit conſtans opinio, quam ſemper Curia retinuit; Et quamvis non ſine fundamento aliquando, & præſertim a 30.annis fuerit in eadem Curia dubitatum, an Cardinalis Ægidius, & Legatus in temporalibus cum poteſtate Legati a Latere, facultatem ſuper Eccleſiaſticis exercere potuerit, ita ut recognitis diploma-

ma-

matibus Apoſtolicis non fuerit hæſitatum, quin facultates eidem conceſſæ fuerint ampliſſimæ, & etiam ſuper Eccleſiaſticos delegatæ; Nihilominus ab ea opinione non fuit receſſum, cui favet ratio ſuperius adducta, quod Conſtitutio tanquam odioſa, nec expreſſam mentionem faciens de Clericis, & cauſis Eccleſiaſticis, ſit potius reſtringenda, quam amplianda. Præterea ſicuti ab antiquo ſemper fuit conſtans opinio, Cardinalem Ægidium haud ſuper Eccleſiaſticos juriſdictionem habuiſſe, ita ne omnia litibus involverentur, merito in particularibus circumſtantiis & præſertim in variis Deciſionibus Rota Rom. ab antiqua opinione recedere noluit, cui alia etiam Tribunalia pari conſenſione adhæſerunt.

28. Cæterum in cauſis mere Laicalibus, conſtito de validitate, & Juſtitia Sententiæ in poſſeſſorio latæ, reſcribitur cum clauſula præſcripta = *S. P.* - aut ſi conſtat *de nullitate*, & injuſtitia, vel ſaltem de hoc dubitatur, reſcribi ſolet cum clauſula - *Conſtito, quod ſit locus Ægidianæ* = vigore cujus ſuſpenditur exequutio mandati, ſeu Sententiæ, donec Judex ad quem, cognoſcat, an ſit locus dictæ conſtitutioni, & quatenus dictam conſtitutionem locum habere animadvertat, mandat exequi præfatam ſententiam, ſeu mandatum, ſin minus cauſam appellationis cognoſcit pronunciando *bene appellatum, & male judicatum*, & ſequentibus verbis id explicatur - *Alteri, qui conſtito, quod ſit locus Ægidianæ exequatur, ſin minus cauſam appellationis cognoſcat.*

29. Non eſt tamen ommittendum, quod a multo tempore, quando in Judiciis manutentionis& reintegrationisSignatura reſcribit, non quidem utitur clauſula *conſtito quod ſit locus Ægidianæ*, ſed potius = *alteri cum facultate manutenendi &c.* invaluit enim opi-

opinio,quod eadẽ Conſtitutio ad Judicia ſummariiſſima non extendatur,quæ exequutivis æquivalent, ideoque etiamſiClerici velEccleſię miſceantur,appellationẽ *ſub banca* minime admitt ſupra ad vertebamus (*a*).

30. Non ſolùm autem ſignanda eſt commiſſio cum clauſula - *De Appellatione* - quando ſententia ſuper poſſeſſorio fuit lata in cauſa Eccleſiaſtica,verũ etiam in cauſa mere laicali, quoties ſententia poſſeſſorii cum petitorio miſcetur, cùm etiam de jure civili iſto caſu permiſſa ſit appellatio. Ideoque non obſtante dicta Conſtitutione erit concedenda, quia dicta Conſtitutio eſt ſolummodo moderatoria juris Canonici, illud reducendo ad terminos juris civilis, & conſequenter interpretationem recipit a jure civili, & eaſdem exceptiones, & limitationes, quas jus civile recipit, admittere debet.

31. Explicatis clauſulis, cum quibus ſignari ſolent commiſſiones in Judiciis ordinariis, & poſſeſſoriis, reliquum eſt, ut ad judicia executiva, & quæ celerem exequutionem exigunt,tranſeamus,prout ſunt cauſæ penſionum Eccleſiaſticarum, Salarii, & ſimilium, in quibus ſi fuerit relaxatum mandatum, & ab eo proponatur commiſſio in Signatura, conſtito de validitate, & juſtitia, illa non erit ſignanda niſi cum clauſula - *S. P.* vigore cujus præſervatur Judici, a quo Juriſdictio exequendi ſuum mandatum, quamvis cauſa eodem tempore diſcuti poſſit coram Judice ad quem, ut ſuperius eſt explicatum, & in devolutivo, non autem in ſuſpenſivo commiſſionem importat.

32. Quandoque autem indiſcriminatim rejicienda eſt commiſſio,nec etiam ſignanda in devolutivo cum clauſula *S.P.* quando ſcilicet cauſa adhuc non eſt abſo-

(a) *In tit. de Auditore Cameræ.*

ſoluta, ſeu definita, & Judex aliquod decretum proviſionale pronunciat, ut ſi eligit peritos pro habenda veritate cauſæ coram eo vertentis, vel aliquod mandatum in cauſam declarandam relaxat, eoque caſu ſi ab hujuſmodi decretis proviſionalibus petatur commiſſio ſuſpenſiva, & cauſa juſta, & valida videatur, tunc non admittitur appellatio in devolutivo, ſed abſolute reſcribitur - *Nihil*; & merito quidem; ne cauſa adhuc indeciſa ad Judicem, ad quem, devolvatur, nam clauſula - *S. P.* - licet non ſit ſuſpenſiva judicati, attamen totum negocium principale ad Judicem ad quem immediate devolvit.

33. Verùm ſi mandatum injuſtum extiterit, conſuevit olim tribus modis commiſſio ſignari, vel *de appellatione*, vel *S. Q. E.* vel *alteri*, *qui ad legitimam*. Signabatur commiſſio cum clauſula *de appellatione*, cùm nempe injuſtitia mandati eſſet evidentiſſima, & hinc non ſolum retardabatur exequutio, donec Judex ad quem in cauſa cognoſceret, ſed cauſa efficiebatur appellabilis, itaut quamvis Judex ad quem decretum Judicis a quo confirmaret, adhuc permiſſa eſſet nova appellatio, donec tres ſententiæ enumerarentur, prout in Judiciis ordinariis fieri ſolet: Hodie tamen nunquam in hujuſmodi Judiciis ſignatur commiſſio cum clauſula - *de appellatione* - ne cauſa fiat ordinaria, & ut lites celeriorem exitum habeant.

34 Quinimmo cùm Judex in hujuſmodi Judiciis exequtivis injuſte contra actorem, de cujus bono jure alioquin conſtat, pronunciavit, ne remaneat deſtitutus remedio exequutivo, olim ſignabatur commiſſio - *Alteri ex integro*; ſed hæc quoque praxis receſſit ab aula. Præterea a Signatura quandoque com-

municātur facultates A.C. quod cum Judice commiſſario ſeu delegato fieri ſolet, quoties coram iſto pendet aliquod Judicium ordinarium dependens, & connexum cum aliquo Judicio exequutivo promovendo, tunc enim ne continentiæ cauſarum dividantur, aut ne ſententia contra ſententiam oriatur, & ut actor habere poſſit viam exequutivam, quam celeriter coram A. C. potuiſſet intentare, opportune reſcribitur - *Rota*, vel *talis Judex procedat cum facultatibus A. C.*

35. Cum clauſula autem *S. Q. E.* ſignatur commiſſio adverſus mandatum exequutivum, quoties illud injuſtum apparet, ſeu de illius injuſtitia vehementiſſimum dubium exurgit, eademque clauſula viam exequutivam non vulnerat, ſed exequutionem Judici ad quem transferre dicitur, & mandatum ſuſpendit, donec a Judice ad quem non fuerit recognitum, an illud ſit exequendum, necne, explicaturque ſimilis clauſula amplioribus verbis, nempe - *Alteri Judici, qui ſi quid exequendum viderit, exequatur, ſin minus, cauſam appellationis cognoſcat.*

36. Signatur inſuper commiſſio in hujuſmodi cauſis cum clauſula - *Alteri, qui ad legitimam* - quoties mandatum non ſolùm fuerit relaxatum, ſed ettiam exequutum, & illud appareat injuſtum, vel ſaltem valde de illius juſtitia dubitetur; quæ pariter clauſula retardat ulteriorem exequutionem, explicaturque làtius ſimilis clauſula - *Alteri Judici, qui ad legitimam exequutionem procedat, ſin minus, cauſam appellationis cognoſcat.*

37. Poſtquam vero ſemel a mandato exequutivo fuit cauſa commiſſa cum clauſula vel *ſi quid exequendum*; vel *alteri, qui ad legitimam* - regulariter ulterior appellatio denegatur, quin imo a jure

re expreſsè prohibitum eſt appellare ab exequutione; unde ſi denuo appellans petat ſignari commiſſionem in ſuſpenſivo, non auditur, ſed ſignari ſolet cum clauſula - *S. P.* - niſi tamen conſtet denuo de injuſtitia ſimilis mandati, quæ quidem debet eſſe evidentior, quia tunc adhuc cum alia clauſula ſuſpenſiva commiſſio ſignatur. Unde ſi prima vice ab hujuſmodi mandato reſcribitur cum clauſula - *S. Q. E.* - & Judex ad quem exequi juſſit, dein ſi altera vice ſignanda ſit commiſſio in ſuſpenſivo, reſcribitur - *Alteri qui ad legitimam* - & ſi deinceps - *Alteri ad ulteriorem, quæ* - licet exequutionem ſuſpendat donec alter Judex ſuper ea cognoſcat, viam tamen exequutivam non tollit.

38. Connumerari etiam poſſunt inter judicia exquutiva ſententiæ latæ ſuper exequutione Literarum Apoſtolicarum, ſed tamen cum aliqua diſtinctione, quia a ſententia lata ſuper exequutione Literarum Apoſtolicarum, ſi fuerit juſta, ob earum obſequium & reverentiam reſcribitur - *Parito literis* - Quæ quidem clauſula operatur, ut cauſa in gradu appellationis cognoſci non poſſit, niſi integra exequutio earumdem Literarum Apoſtolicarum præcedat. Sed hic quoque reſcribendi modus evanuit, & in cauſa extra Rotam reſcribitur - *S. P.* - nempe S.P. executionis Literarum Apoſtolicarum.

39. At ſi exequutio Literarum Apoſtolicarum partem gravavit, & de injuſtitia, & invaliditate ſententiæ præcipue conſtat, tunc illarum exequutio arbitrio Judicis ad quem, omnino reſervatur, iſtoque caſu, ſi cauſa eſt Rotalis, itaut excedat valorem ſcutorum 500. auri de Camera, vel illius annuus redditus ſit ſcutorum 24. pariter auri de Camera, tunc arbitrium dirigitur Rotæ, a qua hujuſmodi cauſæ

ſunt decidendæ, ut in titulo *De Auditorio Rotæ* advertebamus. Si verò non excedat ſummas prædictas, vel ſit alicui Judici delegato in partibus, aut in Curia committenda, tunc non ſolet reſcribi modo prædicto, ſed cum alia clauſula reſcribitur, videlicet-*Alteri cum facultate exequendi Literas Apoſtolicas* - & ratio eſt, quod arbitrium congruit Tribunali Collegiali potius quàm alter Judici, licet Curiæ Romanæ Prælato.

40. Conſuevit etiam Signatura, inhærendo *Clem. unicæ de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* in beneficialibus ſequeſtrum apponere; Unde ſi ſententia ſuper poſſeſſorio beneficii lata fuerit, a qua petatur appellatio, & ea lata fuerit in Curia, ſive in Rota, ſive extra Rotam, & ſit appellabilis ſub banca, vel propter ejus injuſtitiam, ſolet Signatura ſequeſtrum apponere, reſcribendo ſecundum naturam cauſarum vel *Parito Literis arbitrio Rotæ appoſito ſequeſtro*, vel *alteri cum facultate exequendi literas Apoſtolicas appoſito ſequeſtro*.

41. Apponi etiam quandoque ſequeſtrum in beneficialibus extra caſum dictæ *Clem.* conſuevit, & tale ſequeſtrum potius proviſionale, & Judicis arbitrium vocatur, multumque differt a ſequeſtro poſito vigore *d. Clem.* quod pleniorem cauſæ cognitionem expoſtulat, & tale ſequeſtrum proviſionale eo præſertim caſu ſolet decerni, quo ſententia lata extra Curiam nulla ſit, vel attentata recognita, vel Judex a quo ſine juriſdictione, vel pendente illius recuſatione, vel poſt inhibitionem proceſſit, vel alio quocumque caſu nullitatem, & attentatum inducente, quo caſu pariter in commiſſione cauſæ, vel in circumſcriptione ſententiæ clauſula- *Appoſito Sequeſtro* ſolet ſuperaddi. Æquali autem Jure ſolet apponi

poni ſequeſtrum, cùm poſſeſſio beneficii eſt vacua, vel poſſeſſio collitigantium adeo turbida, ut incertum ſit, quis vere poſſideat, vel quando a ſententia lata in cauſis beneficialibus appellatio de jure competebat, ex quo ex. gr. agebatur de inſtitutione judiciali facta ab Ordinario, vel alio quocunque Judice Eccleſiaſtico, a quo regulariter appellatio conceditur (quidquid ſit in inſtitutione extrajudiciali) vel ſi in ſpretum appellationis interpoſitæ, vel intra decennium ad appellandum fuerit capta beneficii poſſeſſio; iſtis enim omnibus caſibus ſolet Signatura cauſam cum clauſulis ſuſpenſivis committere, addita clauſula - *Circumſcripta poſſeſſione, & appoſito ſequeſtro*-Si vero beneficium eſt Parochiale ſeu habens adnexam curam animarum, Signatura loco illius verbi - *Sequeſtro* - ſolet aliud verbum apponere, videlicet - *Oeconomo* - & reſcribere - *Appoſito œconomo* - ad differentiam caſus, quo beneficium non eſt Parochiale, tunc enim ſimpliciter, & indiſtincte reſcribit - *Appoſito Sequeſtro*.

42. Quæ vero diximus de ſequeſtro apponendo in beneficialibus, non æqua lance ad cauſas profanas extendenda ſunt, in quibus ſequeſtrum non ita de facili eſt apponendum, cùm juris regula doceat, *a ſequeſtro non eſſe incipiendum*. Attamen etiam in materia profana illud apponi a Judice, & a Signatura Juſtitiæ aliquando conſuevit, vel quando bona ſita ſunt in Principatu, quorum fructuum recuperatio poſt abſolutam litem ſolet eſſe difficilis, vel quando adeſt probabilis timor dilapidationis, quia in iſtis, vel aliis ſimilibus caſibus ſequeſtrum etiam a Signatura Juſtitiæ ſolet decerni.

44. Judiciis porro executivis etiam accedit ſententia lata ſuper ſolutione penſionis Eccleſiaſticæ, a

qua,

qua, ſeu a mandato relaxato in cauſſis hujuſmodi, regulariter ſolet reſcribi cum clauſula - *Sine præjudicio non retardata ſolutione penſionis* - Quæ quidem clauſula operatur, ut non poſſit in gradu aplationis iterum cauſſa cognoſci, niſi ſolutis terminis penſionis decurſis, & etiam in futurum reſpective decurrendis, & ampliſſimis verbis explicatur - *S.P. Literarum Apoſtolicarum, interim non retardata ſolutione penſionis* - Solet autem reſcribi cum tali formula, quoties penſio fuit a Papa reſervata, non autem in penſionibus ab Epiſcopo reſervatis, quia magis honeſtum eſt, quod penſio aſſignata de mandato Papæ efficaciter perſolvatur, ut notat Gomez (*a*). Sicque in cauſis penſionum ab Epiſcopo reſervatarum non ſolet apponi clauſula - *Non retardata*. Cum eadem vero clauſula reſcribitur, quoties penſio eſt valida, & conſtat de juſtitia mandati relaxati in hujuſmodi cauſis penſionum, quia ſi e converſo de injuſtitia evidenti conſtaret, & ex ventre Literarum Apoſtolicarum invaliditas penſionis appareret, tunc transferenda eſſet exequutio, & ſignanda commiſſio cum clauſula - *Alteri cum facultate exequendi literas Apoſtolicas, vel Parito literis arbitrio Rotæ* - vel alia ſimilis clauſula juxta naturam Judiciorum, ſuper quibus certa regula tradi non poteſt.

44. Inter Judicia pariter exequutiva ſolet adſcribi judicium aſſociationis, quod licet quandoque fuerit dubitatum, an eſſet poſſeſſorium, ex quo proſequitur rem, & ad acquirendam poſſeſſionem naturalem ab habente civilem dirigitur; nihilominus in Signatura ſemper prævaluit opinio, quod exequutivum, & ſummarium exiſtat, ideoque in hujuſ-

(a) *In compend. utriuſque Signaturæ*.

juſmodi Judicio ſemper conſuevit reſcribi, prout in aliis Judiciis exequtivis, vel cum clauſula - *S.P.* - quando mandatum fuit validum, & juſtum, vel cum clauſula - *S. Q. E.* - ſi fuerit injuſtum, nec fuit facta exequutio, quia ſi exequutio fuerit facta, & capta poſſeſſio, in hoc ſtatu commiſſio ſignatur *Alteri*, *qui ad legitimam*. Hactenus ſane deducta ad tres expoſitas judiciorum ſpecies ſpectant, circa quas commiſſiones plerumque ſignantur. Quoniam vero in aliis etiam materiis, ut ſupra innuimus, Signatura ſe ingerit, præſtat, ut reſcribendi formulas etiam in illis proferamus.

45. Solent igitur aliquando in Signatura Juſtitiæ commiſſiones proponi ſuper laceratione, vel reformatione commiſſionum, cùm enim multoties ſub tabulis commiſſiones appellationum ſimpliciter, vel cum aliqua clauſula præſervativa exequutionis appoſita a Reviſore commiſſionum expediantur, de quibus amplioribus verbis loqui nolle ſupra præmiſimus, itaut neceſſe ſit ad plenam Signaturam pro illarum laceratione, vel reformatione recurrere; idcirco ſi petitio lacerationis, vel reformationis non ſit juri undique conſona, reſcribitur - *Nihil* - At ſi petitio ſit juſta, & commiſſio reformatione indigere videatur, non eſt reſcribendum pro laceratione, ſed pro reformatione cum aliqua clauſula a jure, & a ſtylo non diſformi; quia verbum *lacerari* eſt nimis incongruum, nec bene ſonat, commiſſiones hujuſmodi, quæ de mandato, vel in præſentia Pontificis ſignantur a Cardinali Præfecto, & quæ proinde commiſſiones, & Brevia Apoſtolica nuncupantur, lacerari debere, cùm tale verbum ſit contumelioſum, multumque dignitati Sedis Apoſtolicæ derogare videatur.

46. Quan-

46. Quandoque etiam proponuntur commiſſiones ſuper reformatione, vel reintegratione inhibitionum A. C. qui cùm ſit Judex, ad quem devolvuntur appellationes, quæ ad Sedem Apoſtolicam interponuntur, ut alias diximus, ideo appellationes hujuſmodi admittit, & appellationes concedit, aliaſque inhibitiones, & vigore Eugenianæ, & legis unicæ, *quando Imperator &c.* & alias ſimiles impertitur. Igitur ſi coram eo fiat forſan inſtantia pro moderatione ſimilium inhibitionum, & ipſe renuat illas moderari, vel quatenus illas fuerit moderatus, renuat illas reintegrare, tunc utroque caſu ſolet ad Signaturam Juſtitiæ recurri, vel pro illarum moderatione, vel reintegratione; & ſi ex juribus hinc inde deductis conſtiterit, inhibitionem, quam A. C. renuit moderari, eſſe moderandam, reſcribitur - *A. C. moderetur* - Vel alia ſimilis clauſula juxta naturam inſtantiæ, & judiciorum apponitur. Et ſi demum A. C. ſuam moderatus fuerit inhibitionem, quæ tamen non erat moderanda, & illam renuat reintegrare, tunc ſi Signatura juſtitiæ cognoſcat eſſe reintegrandam, reſcribit - *A. C. reintegret* - Et demum ſi eidem Signaturæ conſtiterit, eundem A. C. rite, & recte moderatum eſſe ſuam inhibitionem, vel juſta ratione illam moderari recuſaſſe, utroque caſu rejicienda erit inſtantia, & reſcribendum - *Nihil* -

47. Similiter proponi ſolent in Signatura ſupplicationes pro purgatione attentatorum, vel quia fuit innovatum poſt obtentam ſuperſeſſoriam ad effectum adeundi Signaturam, vel quia proceſſum fuit coram Judice a quo, poſt commiſſam cauſam appellationis, vel alio quocumque modo fuerit inhibitioni Judicis Superioris contraventum; quando autem proponuntur

tur hujuſmodi inſtantiæ pro purgatione attentatorum, & attentata fuerunt poſt obtentam ſuperſeſſoriam commiſſa, tunc in commiſſione cauſæ juxta naturam Judiciorum cum clauſulis neceſſariis addi ſolet = *Purgatis attentatis per Eminentiſſimum*; cujus majeſtas fuit læſa =ſeu *ad Emum & Reverendiſſimum D. pro purgatione attentatorum*, ſicque vigore hujuſmodi reſcripti non poteſt Judex Commiſſarius procedere, niſi prius purgatis integre attentatis. Si verò dignitas Emi Præfecti non fuerit læſa, ex quo inhibitio, quæ non fuit executa, non erat ipſius Emi, ſed alterius Judicis, & attentata ſint undique clara, ſolet reſcribi cum clauſula *Purgatis attentatis* - dempta alia - *Per Emum* - cum əius majeſtas læſa non fuerit.

48. Poſtremo ſi attentata non fuerint clara, imo turbida, & ſatis implexa, tunc loco clauſulæ - *Purgatis attentatis* - reſcribi ſolet cum clauſula - *Cum facultate purgandi attentata* - nempe in primis, & ante omnia quatenus adſint, & tunc Judex ad quem procedit in cauſa appellationis, & primo loco ſuper attentatis cognoſcere debet, prout etiam ſi attentata non adſint, vel non ſint ante litis ingreſſum purganda, tunc reſcribi ſolet - *rejectis attentatis*, vel *reſervatis in fine litis*, quando illorum purgatio in principio cauſæ inanem circuitum importaret, ut contingere ſolet in cauſis ſuper nunciatione novi operis, nam ſi in ſpretum Judicis inhibentis v.g. fuerit Fabrica erecta, omnis æquitas exigit, ut huiuſmodi attentatum ſit ſolummodo in fine litis purgandum, quia ſi illud in principio purgaretur, utique Fabrica ante omnia eſſet demolienda, & tamen fortaſſe ex bono jure, quod habet ædificans, de novo eſſet poſteà reædificanda.

49. Deputari etiam in Signatura Juſtitiæ conſueverunt Judices in Curia, vel extra Curiam, quos A. C. deputare recuſavit, nam ſi coram A. C. fuerit ſuſpectus allegatus aliquis de Locumtenentibus, vel alius Judex ab eo deputatus, & idem A. C. renuat in locum illius alium ſubſtituere, tunc haberi ſolet recurſus ad Signaturam, quæ ſi juſtam, ac juri, & reformationi conſonam petitionem exiſtimet, reſcribere ſolet cum clauſula - *A.C. alium deputet*; Et ſi cauſa jam reperiatur inſtructa, ſolet etiam addere clauſulam *In ſtatu, & terminis*: Proût ſi e converſo inſtantia non ſit undique juſta, ex quo fuerit conteſtata lis, & terminus ad proponendam hujuſmodi exceptionem elapſus, tunc rejicienda eſt inſtantia reſcribendo - *Nihil*.

50. Prætereà ſolet Signatura quandoque remittere aliquam cauſam ad unum Tribunal, in quo ſit altera cauſa principalis ab iſta dependens, nam quando una cauſa habet connexionem, ſeu dependentiam cum altera, vel quando periculum eſt, quod poſſit ſententia contra Sententiam oriri, merito Signatura remittit cauſas hujuſmodi ad illud Tribunal, in quo pendet cauſa connexa, & principalis, reſcribendo - *Omnia ad Rotam, vel A. C. &c.*

51. In genere tamen eſt opportunè notandum, quod hujuſmodi inſtantiæ pro remiſſione cauſarum ad aliquod Tribunal, vel pro deputatione Judicum, vel purgatione, ſeu rejectione attentatorum, ſive etiam pro moderatione, ſeu reintegratione inhibitionum A. C. ob non tranſportationem actorum, prout etiam circa communicationem facultatum A. C., coram Domino Auditore, ut ſupra jam diximus, primùm ſunt proponendæ, cujus decreta in hujuſmodi cauſis vim reſcriptorum Signaturæ juxta edicta ſub die 23. Julii 1692. habere dicuntur.

52. Qua-

52. Quatenus tamen Auditoris decreta non videantur Juri conſona, poterit ad Signaturam Juſtitiæ recurri, cui ſi conſtiterit decretum Auditoris prædicti in hujuſmodi cauſis eſſe undique injuſtum, reſcribit *juxta petita*, vel alias prout juris fuerit, & ſi decretum ſit juſtum, reſpondere conſuevit: *Nihil, & ſervetur decretum*, & tunc Pars quæ recurrit, tenebitur ſcuta quatuor ad tenorem præfatorum edictorum alteri Parti ſubminiſtrare.

53. Adverſus item Sententias, contumaciales, ſeu per contradictas latas ſolet quandoque ſupplicatio in Signatura proponi, quæ conſuevit committere cognitionem eidem Judici, qui Sententiam tulit, ut *iterum audiat refectis expenſis*: Eodemque jure conſuevit reſcribere eidem Judici a quo, *ut iterum audiat*, quoties poſt latam ab eo Sententiam fuerunt repertæ novæ Scripturæ, ex quibus evidentiſſime injuſtitia Sententiæ reſultet; nam ad parcendum litigantium expenſis, & ut lites celeriter expediantur, reſcribitur - *A. C. vel alius Judex &c. iterum audiat*. Et hæc formula reſcribendi non quidem circumſcriptionem Sententiæ ejuſdem judicis, ſed quandam ſuſpenſionem Sententiæ ejuſdem cauſæ importat; Ad differentiam alterius caſus, quo Signatura reſcribat - *Iterum audiat ex integro*, quia tunc remanet Sententia ejuſdem Judicis undique firma. De recenti vero introducta praxis eſt, ut reſcribatur *circumſcripta Sententia A. C.*, v. g. *Zeladæ*, *Partes utantur jure ſuo*, quoties nullitas oritur ex defectu citationis ad Sententiam, quia ſic ſalvantur acta prius geſta, quæ ſunt in reliquis valida.

54. Quemadmodum verò optandum eſt, ut lites univerſim qua fieri poteſt celeritate abſolvantur, ita

Signatura circumſcribere ſolet Sententias Judicum, quoties laborant aliqua nullitate reſultante ex defectu juriſdictionis , Citationis , vel Mandati , ideoque ſi Judex a quo nullam juriſdictionem in cauſa, in qua pronunciavit, habere deprehendatur , prout eſt A. C. in cauſis beneficialibus , vel in matrimonialibus , quando controverſia verſatur ſuper diſſolutione fœderis Matrimonii , vel illius Sententia ſine Citatione , vel ea non legitime exequuta fuit forte prolata , in quibus omnibus caſibus Signatura hujuſmodi Sententias circumſcribere conſuevit reſcribendo *iterum audiat ex integro* .

55. Sublatis autem hujuſmodi nullitatibus ex defectu juriſdictionis, citationis, & mandati, non ſolet eadem Signatura alias nullitates attendere ad effectum Sententias circumſcribendi ; & tantum reſcribit *Judici &c. ut iterum audiat*, ſi forte agatur de Sententia præpropere,& ut barbare dicunt,præcipitanter edita, aut quæ interveniente pecunia jactitetur prolata, ne dicamus, per ſordes,adminiſtrari juſtitiam,quod ſane inCuriaRomana nefas eſt ſuſpicari, attenta integritate judicum,& aliorum Romanæ Curiæ Prælatorum,inſpectiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus id rigidè,& ſub pœnis graviſſimis prohibentibus, qũs nos in inſtitutionibusCriminalibus allegavim̃s(*a*).

56. Ad parcendum pariter expenſis , & ut lites celerius abſolvantur , ſi A. C. vel alius Judex admiſſionem articulorum alioquin admittendorum denegavit , vel illos admiſit , quoties rejicere debebat , tunc ſi proponatur cauſa in Signatura , & de gravamine conſtet , ſolet reſcribere - *A. C. admittat articulos* , vel *A. C. procedat rejectis articulis* . Et hæc formula reſcribendi a recentiori tempore fuit

(a) *Libro* 2. *In tit. De Crimin. Repetundarum* .

fuit introducta ; nam conſtito de gravamine admiſſionis, vel rejectionis articulorum, ſi ab eo committeretur cauſa appellationis , totum quoque negocium principale devolveretur , unde ne lites fiant immortales,introducta provide fuit hæc praxisJudici cauſæ in ſimilibus caſibus reſcribendi , *ut admittat*, *vel rejiciat articulos* , prout in ſimili , quod *procedat electo Perito* ſæpe etiam fieri ſolet .

57. Pro obtinenda inſuper faciliori commiſſione appellationis allegare ſolent Pragmatici , vel quod in cauſa Judex variavit in reponendo , aut revocando ſuum decretum , vel quod manutentio , ſeu reintegratio deliberationem juris ordine ſervato factam infringat , vel quod præſumptio ſolutionis debiti ex lapſu temporis intret , aliaque his ſimilia deducuntur , ac jactitantur ; Verum cautè , & circumſpecte eſt procedendum , quoties ſimiles caſus evenerint; nam Judici non eſt prohibitum reponere a ſuo Decreto , & mandatum ab eo relaxatum revocare , & quidquid variaverint inter ſe Doctores , verior , & magis communis videtur opinio Bart. (*a*) , Qui cum diſtinctione procedendo admittit , eundem Judicem poſſe ſuam interloquutoriam revocare , quoties illa non habeat vim definitivæ , nec id faciat ceſſare Officium Judicis , ut fuſius nos in inſtitutionibus Canonicis advertebamus (*b*) .

58. Et quamvis dubitari poſſit,an Sententia judicis, qua v.g. Inſtrumentum exequutioni demandandum eſſe decernit, definitivam includat, & ex ea dicatur judicium abſolutum nec ne:attamen cùm inJudiciis exequutivis ceſſet litis conteſtatio, aliaque ſolemnia judicii deficiant , conſequenter pronunciatio ſu-

(a) *In L. quod juſſit n. 9. ff de re judicata*. (b) *Lib. 3. tit. de ſent. & re judicata*.

ſuper exequutione Inſtrumenti non habet vim definitivę, & ſine vitio nullatis, & injuſtitiæ Judex reponere poteſt, prout in dies ſervat inconcuſſa praxis A.C., & totius Curiæ, & per conſequens ab hujuſmodi decretis repoſitariis, & revocatoriis non eſt admittenda appellatio in ſuſpenſivo, niſi aliunde injuſtitia concurrat.

59. Similiter non omne decretum infringens deliberationem eſt per ſe ſufficiens, ut ſuſpenſiva appellatio admittatur, nam ſi deliberatio fuit evidenter nulla, vel ſpoliativa, & hoc patentiſſime conſtat, tunc idem Judex, vel alius in gradu appellationis concedere debet manutentionem, vel reintegrationem ei, qui in tali deliberatione ſuccubuit; et ſi aliunde de nullitate, vel injuſtitia mandati de manutenendo, ſeu reintegrando non conſtet, vel ſaltem non adſit probabilis dubitatio, nunquam permiſſa erit appellatio ſuſpenſiva ex hoc ſolo capite, quod mandatum hujuſmodi deliberationem judicialiter factam infringat.

60. Quamviſque demum in jure caveatur, ex ſolo lapſu temporis induci ſolutionis debiti præſumptionem, niſi tamen aliunde concurrant conjecturæ hujuſmodi ſolutionem, vel compenſationem ſuadentes, non eſt de facili contra creditores judicandum, cum ſolutio inducatur quidem ex præſumptionibus, ſed illæ debent eſſe concludentes, nec ſola dilatio temporis eſt per ſe ſufficiens ad hujuſmodi præſumptionem in favorem ejuſdem debitoris, qui allegare non poteſt ignorantiam ſolutionis, quam ſi feciſſet, utique quietantiam reportaſſet. Nihilo tamen minus de ſtylo Signaturæ tam in uno, quam in altero Caſu indulgetur Commiſſio ſuſpenſiva. Idque libentius fit, quoties debitor obiit, & man-

mandatum fuit relaxatum contra hæredem, in quo ignorantia ſolutionis a ſuo auctore forſan factæ præſumitur, vel etiam quando agitur contra eundem debitorem, & inter ipſum, & creditorem probantur diverſa computa dati, & recepti hinc inde interceſſiſſe, vel quando ex parte ſe conſtituit debitorem ejuſdem debitoris ex diverſa cauſa, vel quando creditor erat negotiator, qui ſuas pecunias otioſas diu retinere non ſolet, vel demum ſi concurrant aliæ ſimiles conjecturæ, quæ in ſe aliquam juris, & facti probabilitatem habere videntur, cùm ſuper his certa, & indubitata regula aſſignari non poſſit, dum quandoque experientia nos doceat, unam conjecturam, quæ reſpectu unius creditoris, & juxta facti circumſtantias eſſet concludentiſſima, in alio eſſe ſatis debilem, & frivolam, & ſæpe ſæpius deductam ad extorquendam commiſſionem in ſuſpenſivo, pro qua licet Pragmatici allegare ſoleant regulam, *quod in dubio ſit pro commiſſione inclinandum*, tamen potius in dubio pro mandato, ſeu Sententia Judicis, a quo judicandum, & reſpondendum videatur.

61. Atque hæc de Tribunali Signaturæ Juſtitiæ ſatis ſuperque dixiſſe nobis blandimur. Propoſueramus quidem animo commiſſiones ipſas juxta diverſitatem materiarium tranſcribere, atque hìc pro uberiori Juvenum præſertim commodo exhibere. Sed plurimum debemus Franciſco Antonio Vitale, qui nuper, nempe anno 1756. Romæ Typis de Rubeis *in commentario de jure Signaturæ Juſtitiæ* laborem hunc noſtrum erudite, & diſerte prævenit, unde abſoluto tractatu de Signatura Juſtitiæ, ad Signaturam Gratiæ properamus.

62. Si forte igitùr contingat, commiſſiones aliquas in Si-

Signatura Juſtitiæ fuiſſe rejectas, non ideo datur recurſus ad Signaturam Gratiæ, cùm non ſit Signatura ſupra Signaturam, & una ab altera differat tantum ratione ſubjectæ materiæ. Attamen quandoque volente Pontifice, ejuſque Auditore, reproponuntur *Commiſſiones* in Signatura Gratiæ; Unde licet ex inſtituto duo eſſe deberent Referendariorum genera a duabus qualitatibus *Gratiæ*, *&* *Juſtitiæ* deſumpta, quod ad Alexandro VI. ſancitum autumat Gomeſius (*a*); Referendariis tamen Signaturæ Juſtitiæ a Summis Pontificibus indulgeri ſubinde conſuevit, ut ſimul iidem ſint Referendarii & in Signatura Gratię referrent, Unde hodie non eſt Referendarius, niſi in utraque Signatura. Ad eandem vero Signaturã Gratiæ ſpectant graviores quædam materiæ, quæ raro conceduntur, vel illæ, quarum deciſio, & reſolutio ob ſui dubietatem, vel gravitatem, ut mox innuebamus, Pontificium Oraculum poſtulant, ex Conſtitutione Pauli IV. 51. & Conſtitutione Pauli V. incip. *Univerſi* 71.

63. Conſtat quidem Signatura Gratiæ ex duodecim Votantibus ipſius, & ex Cardinali Præfecto, qui tamen magis ad honorem, quam pro muneris exercitio deputatur, cùm in rei veritate ipſemet Pontifex, qui præeſt, Pręfectus videatur. Conſtat inſuper ex nonnullis Cardinalibus electis a Papa, & ex Pœnitentiario, Secretario Brevium, Datario, Auditore Cameræ, Theſaurario, uno Auditore Rotæ, Locumtenente in civilibus Cardinalis Vicarii, Regente Cancellariæ, aliiſque hujuſmodi Perſonis in Urbe, & Curia qualificatis, qui non tam accedunt ad ſuffragandum, quod munus ſpectat ad duodecim Votantes ex numero Præſulum ſelectos, ſed ut magis Pontificem certiorem

(a) *In proœmio tractatus Signaturæ.*

Digitized by Google

rem reddant, ſi forte occurrat de iis, quæ in reſpectivis Tribunalibus contigerunt. Tres ulterius ſuperaccedunt Prelati ſimplices Referendarii, qui ad menſam, cui Pontifex aſſidet, latino ſermone ſtatum cauſarum, quæ duodenarium numerum noſtris temporibus non ſolent excedere, quæque inter eoſdem Præſules diſtribuuntur, referunt, auditiſque Relatorum, & Votantium ſuffragiis, aut Papa denegat, quod petitur, reſcribendo ***nihil***, aut ſupplicationem ſignat cum clauſulis, quas opportuniores crediderit.

64. In pluribus vero differunt hæ Signaturæ; Primo in materia, nam, ut diximus, res dumtaxat Juſtitiam concernentes in Signatura *Juſtitiæ* expediuntur, altera vero *Gratiæ* amplius ſe extendit pro arbitrio Pontificis. Ulterius quoad Votantes: In Signatura enim Gratiæ votum conſultivum, in altera autem Juſtitiæ votum deciſivum Præſules habent. Tertio quoad tempus, nam ſingulis feriis quintis, niſi quid obſtet, Signatura Juſtitiæ convocatur, pro arbitrio tamen Pontificum fit altera Signatura Gratiæ, & quamquam feria tertia ad hoc deſtinari conſueverit, pendet tamen a voluntate Pontificis. Tandem quoad exitum, nam reſolutæ cum fuerint cauſæ, ſeu Cauſarum commiſſiones in Signatura Juſtitiæ, poſſunt in eadem Signatura iterum proponi, ſi duo ſaltem Votantes ſteterint contra reſcriptum, aut etiam de ſpeciali licentia Cardinalis Præfecti, ubi vota fuerint conformia; at quoties fuerint in Signatura Gratiæ deciſæ, amplius proponi eædem non poſſunt.

65. Conveniunt hoc non obſtante hæ Signaturæ, quod utraque tempore Sedis Vacantis conquieſcat ex Conſtitutione Pii IV. 36. incip. *In eligendo*. Reliquum modo eſt, ut pro Coronide hujus Tractatus *De Romana Curia*, *ejuſque*

Digitized by Google

Tribunalibus, de Procuratoribus, & Advocatis, qui in enunciatis, expoſitiſque Tribunalibus cauſas agere ſolent, aliqua proferamus.

TITULUS ULTIMUS.

De Procuratoribus, & Advocatis.

QUamquam a nonnullis Procuratoris, & Advocati nomen promiſcue accipi ſoleat, revera tamen plurimum hæc vocabula diſtinguntur. Procurator enim eſt, qui facti ſeriem, & circumſtantias ex proceſſu erutas diligenter exponit, Advocatus e contra, qui ea omnia Judici profert, quæ ex diſpoſitione, & cenſura juris ſtatuuntur, & ſi quæ fuerint ab altera parte æquivoca forſan ſuggeſta, cohærenter ad eandem juris cenſuram ingenioſe diſſolvit, ut fuſius advertimus in Inſtitutionibus Canonicis (*a*).

2. Prætermiſſis autem variis Procuratorum ſpeciebus, quas in iiſdem Inſtitutionibus (*b*) expoſuimus, illa præſertim ad praxim pertinere videtur, per quam Procuratores Judiciales, qui ex Stylo Curiæ Procuratorum nomine intelliguntur, vel ſunt Collegiales, vel Rotales, vel nec Collegiales, nec Rotales, ſed ſimplices. Sane quod ſpectat ad Procuratores Collegiales, qui communiter *de Collegio* vocantur, ſcilicet de Collegio Patronorum Cauſarum Palatii Apoſtolici, ambigi nequit, eos primatum quendam inter Procuratores omnes Romanæ Curiæ perpetuo habuiſſe, ut latiſſimè inter alios oſtendit celeberrimus olim Procurator, & deinde Ad-

(a) *Lib.* 3. *tit.* 2. (b) *Eodem tit.* 2. *Lib.* 3. *num.* 4.

Advocatus Franciſcus Maria Conſtantinus (*a*). Quamvis autem quo præciſe tempore ordo iſtorum Procuratorum Collegialium incœperit, ignoretur, probabilius tamen, & veroſimilius exiſtimatur, contemporaneum illum eſſe præclariſſimo ordini Advocatorum Conſiſtorialium, de quibus amplius infra tractabimus, & utrumque ſimul fuiſſe ad formam Collegii redactum ex proviſione, ſeu ordinatione Benedicti XI. alias XII. de anno 1340. quo quidem tempore, ut notiſſimum eſt, Sedes Apoſtolica pedem fixum habebat in Avenionenſi Civitate, ut tradit inter alios Camill. Fanucc. (*b*).

3. In cœtu enim ſeu claſſe Patronorum cauſarum, ſive Procuratorum, & Curialium non quidem in ſenſu amplo & latiſſimo, quo ſenſu omnes, qui Curiam ſequuntur, & in Urbe ratione præſertim alicujus Officii morantur, Curiales dici conſueverunt, ut alibi advertimus (*c*); ſed proprie, & ſtricte *Curialium*, qui cauſas in Curia patrocinantur, atque defendunt, fuit antiquitus quædam diſcretio, ſeu differentia inter Conſiſtoriales, & non Conſiſtoriales, primis quippe tantum licebat Conſiſtorium ingredi, atque cauſas Conſiſtoriales peragere, Cauſas ſcilicet contentioſas graviores, quas olim Pontifex examinabat, & decidebat per ſe ipſum cum voto Cardinalium, & cum interventu Advocatorum, & Procuratorum etiam in contradictorio informantium. Quamvis vero uſus diſputandi cauſas contentioſas in Conſiſtorio ceſſaverit, & dicti Cauſarum Patroni dici Conſiſtoriales, & habere ingreſſum, & locum in Conſiſtorio amplius non ſoleant, iſtamque

(a) *In appendice vot. tom. 4. pag. 293. Edition. Rom. an. 1745.*
(b) *Apud Conſtantinum loco citato n. 38.* (c) *In primo libro hujus tractatus.*

que prærogativam ſoli Advocati Conſiſtoriales retinuerint;firmum tamen remanſit eorundem Patronorum Collegium, & Collegiales ſeu Cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici,& de CollegioPatroni vocari continuarunt, atque hoc quidèm nomine a cæteris non Collegialibus diſcriminari, ex quo ipſi ſoli ad tuendas cauſas, quas Papa definiebat in ſua Cappella cum voto, & conſilio ſuorum Cappellanorum, quales propriè appellantur Auditores Rotæ, ut in titulo *De Auditorio Rotæ* notavimus, admitterentur.

4. Adaucta autem negociorum copia, & exiguo Patronorum, ſeu Curialium de Collegio numero prorſus impare omnibus cauſis agendis, evanuit hæc privativa iiſdem attributa facultas defendendi cauſas in Palatio, & in Rotæ Auditorio, & ad alios fuit Procuratores non Collegiales extenſa, quadam tamen eorumdem Procuratorum Collegialium retenta juriſdictione. Nam non alias iidem Procuratores non Collegiales fuerunt ad ſcribendum in Rota, & voce informandum admiſſi, quàm prævio ſingulorum examine coram Rm̃o Decano Rotæ peragendo per duos antiquiores de dicto Collegio cauſarum Patronos, & ſuper idoneitate ad munus exercendum, & ſuper morum probitate, atque integritate, proindeque ad id approbati, dici cœperunt Procuratores Rotales, & alterum ordinem diverſum a reliquis non Rotalibus efformarunt.

5. Redeundo tamen ad Procuratores Collegiales, eorum ſane merita & qualitates præ oculis habens Paulus III. *anno* 1548. motu proprio eiſdem Collegio, & Cauſarum Patronis conceſſit pro duobus de eodem Collegio pro tempore deputatis locum in Cappella Pontificia immediate poſt Advocatos Conſiſtoriales; In cæteris vero actibus publicis, & ſun-

functionibus extra dictam Cappellam toti Collegio, & omnibus Procuratoribus ejuſdem Collegii in unum collectis, ut patet ex laudato motu proprio, cujus tenor eſt penes Conſtantin. (*a*). Imo jus & facultatem iis competiiſſe nominandi ad Archipresbyteratum S. Mariæ Martyrum, vulgo *Rotundæ*, & Cappellam publice habendi in contigua Eccleſia Sancti Euſtachii, teſtatur Cardinalis de Luca (*b*). Præcipuaque Cameræ Apoſt. munera in qualitate Procuratorum ab iis ad noſtra uſque tempora exercita fuiſſe novimus (*c*), quamvis ex recentiori Chirographo ſub die 31. Decemb. 1743. Bened. XIV. quem innuimus cum de Theſaurario ageremus, eadem officia fuerint nuper abolita, unicumque illud Procuratoris, ſeu Commiſſarii Cameræ, alterumque præſidentiæ vacationibus per obitum in Dataria huic Collegio remanſerit, ut pariter de Dataria tractantes advertimus.

6. Cùm autem hujuſmodi Collegium, vel eſſet a ſua primævâ erectione, vel temporum injuria receptitium evaſiſſet, Paulus V. per motum proprium anni 1617. illud effecit numeratum, ſcilicet viginti quatuor tantum Patronorum qualitates in dicto motu proprio deſignatas habentium, cum reformatione ejus Statutorum, opera, & ſtudio Joannis Baptiſtæ Coccini tunc ſacræ Rotæ Decani, de voto aliorum Coauditorum, adjunxitque Collegialibus uſum mantelli, atque bireti, aliaſque prærogativas adjecit, & executorem dictorum privilegiorum deputavit Sacræ Rotæ pro tempore Decanum, ac Vicedecanum, qui pro illorum defenſione adſiſtere deberent, aliaque plura honorificentiæ ſigna idemPontifex

(a) *Loco citato poſt num.* 44. (b) *In Relat. Romana Curiæ diſc. ult.* (c) *Ex Conſtit. Clementis XII. edita* 14. *Julii* 1735.

tifex ſtatuit, quæ in dicto ejus motu proprio leguntur, & repetuntur *in deciſ. 772. n. 5. & ſeqq. coram Molines tom. 3.* Cujus quidem honoris intuitu ab Apoſtolica Sede huic Collegio attributi, ne dum aliis omnibus Procuratoribus, ſeu Curialibus præcedunt, ad patrocinandas Servorum Dei cauſas habiles declarantur(*a*), & nonniſi prævio eorum examine Notarii in Urbe admittuntur (*b*), ſed ulterius ad inſtar Advocatorum a Judicibus, aliiſque Magiſtratibus Urbis tractantur, eademque honoraria in cauſis exigunt.

7. Cæterum vacante loco alicujus ex iſtis Curialibus de Collegio per mortem, vel per promotionem ad Statum diverſum, & cum illo incompatibilem, non illico ſolet alter ſubſtitui, ſed expectantur plurium locorum vacationes, & poſtquam aliquis notabilis numerus adſit, tanquam per ſpeciem promotionis, ab ipſomet Collegio abſque alia auctoritate fieri ſolet beneviſa cooptatio aliorum, qui inter plures ex iis, qui deſuper preces porrigunt, per ſecreta ſuffragia eliguntur, eaque admiſſio, & cooptatio, ita præſcribente novo Statuto Collegii cap. 2. fieri ſolet prævio diligenti examine non ſolum ſuper idoneitate, ſed magis ſuper vitæ, ac morum probitate, & præſertim ſuper integritate circa profeſſionis exercitium, ac etiam ſuper Natalibus Nobilibus, vel ſaltem in propria Patria maxime honeſtis, nullatenus admittendo eos, qui legitimorum natalium defectu forſan laborent; minuſque ſi eos omnino habeant legitimos, ſed quidem plebejos, vel aliqua macula, & labe notatos.

De-

(a) *Ex decreto Reform. a Ven. Innoc. XI. confirmato, & impreſſo apud Ubert. de citat. tit. de Notar. §. Et quoniam.*

[b] *Rota ex Decreto Ven. Innoc. XI. apud Zaulum ad Statutum Faventinum lib. 3. Rubrica 55.*

8. Debent vero ulterius admittendi adCollegium in utroque jure in aliqua publica Univerſitate lauream doctoralem recepiſſe , & per integrum ſaltem triennium in cauſis Rotalibus eſſe verſati, ita ut Clientelis , & Ordinis hujus honorificentiis non ſint undique indigni; ſecutaque electione collega Secretarius Collegii eam refert ſacræ Rotæ Decano , cui nunciat nomina , & cognomina eorum , qui pluralitate ſuffragiorum fuerunt prælecti ; qua quidem relatione habita, deſtinatur per eundem Decanum dies , & hora examinis peragendi , eoque expleto , ſi Decanus , & examinatores , electos in jure , & in praxi idoneos repererit, altera die arbitrio ejuſdem Decani deſignanda habetur in ejus ædibus Collegium , quo præſente , & Rotæ Decano præſidente , ad juramentum juxta formam in Statuto expreſſam , & ad oſculum pacis admittuntur ; Deſcribuntur item in albo Collegii , & in primo Collegio eis poſſeſſio loci in Collegio, renovato juramento tribuitur. Atque hæc ſpectant ad Procuratores Collegiales .

9. Quoniam vero diximus ſupra, eos omnes, qui in Auditorio Rotæ cauſas agere intendunt, coram Decano a duobus hujus Collegii Procuratoribus examinari debere, præſtat ut illud ſuperaddamus, ultra ſcilicet honeſtatem Natalium, vitæ integritatem , aptitudinem in ſcribendo , juriſque , & praxis peritiam, in Procuratoribus Rotalibus exigi Doctoratum in utroque Jure in Univerſitate , ſeu Academia Romana receptum, ex Conſtitutione Bened.XIV. incipien. *Inter conſpicuos* , quæ eſt *la* 4. *tom*. 1. *Bullarii* , adeo quidem ut Doctoratus in alia quavis Univerſitate poſt eandem Conſtitutionem receptus minime ſuffragetur .

9. Tertio tandem ordine ſuccedunt Procuratores

res ſimplices, qui nec inter Collegiales, nec inter Rotales adſcribuntur, ſed quoddam veluti Tyrocinium, ſive ad Collegialis, ſive ad Rotalis Procuratoris gradum obire videntur. Quamquam verò non ea Doctrinæ præſtantia in iis exigatur, quæ in primi, & ſecundi ordinis Procuratoribus concurrere debet, illud tamen omnino requiritur, ut a fraudibus & mendaciis abſtineant, neque mereantur, ut ſive privati de illorum induſtria cauſſas iis committendo diffidant, ſive Judices eorundem aſſertionibus deferendum eſſe aliquando, & rationabiliter ſuſpicentur. Communi porro vulgi opinione etiam ſollicitatores, & Agentes, in Curialium, qui nec collegiales ſint, nec Rotales, claſſe accenſentur. Perperam tamen, cum ſollicitatores dumtaxat illi jure vocari poſſint, qui vel apud Procuratores ipſos, vel apud Judices pro expeditione cauſarum urgere conſueverunt, vel operam aliquam in earundem cauſarum proſequutione quomodolibet præſtant. Prout Agentes dicuntur, quibus extrajudicialia tantum negocia committuntur. Circa quos quidem illud non præteribimus, quod ſcilicet licet in cujuſcumque privati voluntate repoſitum ſit, quem voluerit in Agentem deputare, & quoad Communitates Eccleſiaſticæ ditionis olim a Cardinali Præfecto Boni regiminis Pontificia auctoritate iidem Agentes pro arbitrio deputarentur, nunc tamen ex Conſtitutione Bened. XIV., quam citavimus cùm de Congregat. Boni Regiminis ageremus, iiſdem Communitatibus reſervatum eſt, poſſe quos voluerint in agentes deputare, cives tamen, vel originarios præferendo.

10. Cæterum cùm ultra Procuratores etiam Advocati in cauſis ſcribant, illi quidem in facto, iſti autem

tem

tem in Jure, ad eos eſt opportune properandum. Cùm vero in duas ſpecies iidem Advocati Romanæ Curiæ dividantur, in Conſiſtoriales ſcilicet, & ſimplices, de utroque eorum genere aliqua erunt proferenda. Porro quemadmodum certi, ſelectique Procuratores fuerunt deputati, qui in Palatio Apoſtolico graviores cauſas Pontifici, ejuſque Cappellanis referrent, cùm Pontifex ipſe per ſe ipſum, de ſuorum tamen Cappellanorum conſilio, eaſdem cauſas definire conſuevit, unde Procuratores Palatini, ſive cauſarum Sacri Palatii Patroni dicti ſunt, ut ſupra notavimus, idque exemplo Patronorum Præfecturæ Urbicariæ, de quibus mentio eſt *in l. petitionem*, *& in l. ad ſimilitudinem Cod. De Advocat. diverſor. Judic.* quibus iidem Procuratores ſucceſſiſſe videntur; ita cùm æquali jure olim fuerint aſſumpti, deſtinatique Advocati, ne omnibus indiſcriminatim ad dicendum coram Principe pateret acceſſus, cùmque inter eorum munera adſcriberetur in Conſiſtorio præſertim, quod ſæpiſſime, & ut plurimi cenſent, bis in hebdomada convocabatur, cauſas agere, Advocati Sacri Conſiſtorii dici cœperunt, in locum Juriſprudentum ſuffecti, qui antiquum Prætorii, ſeu Præfecturæ Prætorianæ Principis Collegium conflabant, de quibus mentio eſt *in l. cum Advocatio, l. Nemini, l. Jubemus Cod eod.*

11. Anceps autem, & dubia res eſt, a quo tempore iſtorum origo ſit depromenda. Rubeus enim, *qui ſub nomine Defenſoris Redivivi* de hujus Collegii origine, & præſtantia tractatum evulgavit editum Romæ Typis de Lazaris anno 1657. a quinto, vel ſexto ſæculo Advocatos Conſiſtorii invectos eſſe teſtatur, originem ſumens a ſeptem Regionariis Urbis defenſoribus, qui a S. Gregorio Magno pro

pauperum, aliorumque gravatorum, & oppreſſorum hominum Defenſione fuerunt inſtituti, idque arguendo, tum ex vocabuli identitate, cùm Defenſoris, & Advocati nomen idem importet, tum ex æqualitate numeri Septenarii, & demum ex ſimilitudine muneris, cùm pauperum, oppreſſorumque defenſio iſtis præſertim Advocatis commiſſa legatur. Quamviſque alii a Benedicto X. anno 1340. dum Pontifices Avenione morabantur, inſtitutum hoc Collegium exiſtiment, plures tamen opponit Rubeus hoc munere ante Bened. X. decoratos, & præcipue Bonifacium VIII. S. Raymundum de Pennafort Decretalium Compilatorem, alioſque. Adſtipulatur ſane huic opinioni exploratiſſima illa Occidentis obſervantia, qua ſcholaſticos defenſores ad inſtar defenſorum civitatis, de quibus frequens eſt in Codice mentio, Epiſcopi aſſumere conſueverunt, ut Eccleſiarum, & pauperum cauſas agerent, ut probat Thomaſſinus (*a*); eundemque uſum Romæ viguiſſe, ſatis inter alia monumenta eruitur ex S. Gregorio Magno, qui (*b*) *Defenſorum*, inquit, *Officium in cauſis Eccleſiæ, & obſequiis noſcitur laborare Pontificum*; eandemque defenſionis provinciam viris plane digniſſimis perpetuo ab Apoſtolica Sede collatam fuiſſe oſtendunt Chartarius (*c*), & P. Joſephus Caraſa olim Cler. Reg. Theatinus; nunc Epiſcopus Miletenſis (*d*), qui etiam advertit, olim Collegium hoc decem Juriſconſultis conſtitiſſe, tum jubente Sixto IV. ad duodecim auctum; quorum unus antiquiſſimo jure Bononienſis, alter Decreto Clem. VIII. Ferrarienſis, unus juſſu Pii IV. Mediolanenſis, alius

(a) *P. 1. lib. 2. cap. 97, de Veter. & nova Eccleſiæ Diſciplina.* (b) *Lib. 7. ep. 17.* (c) *In Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium.* (d) *De Gymnaſ. Rom. cap. 18. n. 10.*

alius de ordine Innoc.XII. Neapolitanus,& alter ex Etruria, demumque cæteri ex ditione Pontificia originem, vel allectionem debent habere, primuſque omnium,ſive antiquior eorum, qui Romæ ſunt, quique inter Prælatos non accenſetur, Decanatu Collegii perfruitur.

12. Dixi, *qui antiquior eſt omnium*; Anterioritas enim in hoc Collegio plurimum ſpectari conſuevit, nam licet quoad actus honorificos, & præeminentiales, tum etiam circa Jus orandi in Conſiſtorio, vel ad petenda pro Archiepiſcopis Pallia, vel occaſione Canonizationis Sanctor. vel ſi Cardinalis quiſquam (quod raro accidit) vellet Cardinalatum dimittere,omnes promiſcue conſiderentur, in ordine tamen Decanatus habendi, ſeptem dumtaxat antiquiores habiles judicantur, eademque ratio procedit in emolumentis, vel Doctoratuum, vel Rectoratus Archigymnaſii, ea quippe ſolis ſeptem antiquioribus tribuuntur.

13. Privilegia verò ampliſſima ſunt, quæ huic Collegio conceſſa reperiuntur.Iis quippe præclariſſima, & lucroſa munera Advocati Fiſci, Promotoris Fidei, & Advocati Pauperum reſervantur.Idque cohærenter ad leges ſupra citatas, in quibus ſignanter Ærarii Principis cura, ſive defenſio uni Advocatorum Præfecturæ PrætorianæPrincipis deferri jubetur, ut advertunt Cujacius (*a*), & Fulgoſius (*b*). Inſuper familiares Pontificum declarantur, portionemque panis, & vini habent iiſdem familiaribus dari conſuetam, item habitum quaſi Prælatitium, longum tamen, & nigri coloris deferunt, Oratorium privatum retinere poſſunt in propriis ædibus, eo-

Ddd2

(a) *In l. 2. §. 9. ff. de Jure Fiſci*. (b) *In l. ad ſimilitud. Cod. de Advoc. diverſ. Judic.*

eodem inſuper modo, quo Auditores Rotæ, ſervatiſque iiſdem ſolemnitatibus publicarum diſputationum ad gradum admittuntur, privative, auctoritate tamen Cardinalis Camerarii, ad utriuſque juris lauream promovent, aliiſque ſimilibus Juribus perfruuntur ampliſſime renovatis, & confirmatis a Bened. XIV. Conſtitut. incip. *Inter conſpicuos Ordines*, quam ſupra allegavimus; idemque Pontifex, ut ampliora in olim Collegas ſuos beneficentiæ argumenta præberet, ſedile in Cappellis Pontificiis ante ſcamnum Cubiculariorum, quos ad honorem vocant, iiſdem conceſſit, ut ipſe teſtatur (*a*).

14. Porro præter Advocatos Conſiſtoriales, altera eſt in Curia Advocatorum ſpecies, quos ſimplices dicimus, illudque ab illis præſtandum eſt, antequam Advocatorum munus aſſumant, ut nempe ultra doctoralem gradum in prædicta Conſtitutione *Inter conſpicuos Ordines* ſtabilitum, ſcribant in facto ſaltem pro una vice tanquam Procuratores in Rota, deindeque petita ab hujus Tribunalis Decano facultate, eaque poſt integritatis vitæ, & honeſtatis Natalium documenta exhibita obtenta, ſcribant in Jure, & Advocatorum titulum habeant. Illudque commune eſt etiam Advocatis aliis, qui in cauſis SS. vel criminalibus ſcribere intendunt, ut a Capite Tribunalium, vel ſcilicet Congregationis Rituum, vel Gubernatoris, vel Auditoris Cameræ facultatem obtineant. Quæ autem ab Advocatis ſcribendi ratio retinenda ſit, aliaque ad præclariſſimum hoc munus pertinentia latiſſimè profert Card. De Luca (*b*), ad quem Lectores remitto, ne plus æquo videar immorari.

15. An-

(a) *Tom. 1. de Servor. Dei Beatif. &c. cap. 18. n.4.*
(b) *In relat. Curiæ diſc. ultimo §. 2.*

15. Antequam vero ultimam huic tractatui manum imponamus, quoniam univerſa rerum hactenus expoſitarum ſeries circa Tribunalia, & Magiſtratus Urbis directa eſt, non abs re eſſe judicamus ſubnectere, ſumma cum veritatis injuria ab Hæreticis, vel iis omnibus, qui Apoſtolicæ Sedi infenſi ſunt, Romanæ Curiæ ſplendorem, qua verbo, qua ſcripto contumelioſe peſſumdari, vel de Tribunalium numero, vel de Romanæ Curiæ opibus occaſione Tribunalium, ut inquiunt, collectis, vel preſſius, & ſpecifice de prætenſa eorundem Tribunalium inutilitate calumnias effundendo.

16. Quod enim ſpectat ad Tribunalium numerum, ut de mendacio convincantur, qui eundem de ſuperfluitate redarguunt, animadvertant ſatis eſt negociorum copiam, & varietatem, quæ ex univerſo Terrarum Orbe ad Urbem, tamquam doctrinarum omnium, præſertim vero Juris Magiſtram undique confluit, quibus quidem negociis expediendis, nonniſi per varias Tribunalium erectiones debuit merito provideri; Neque ulterius dubitari poteſt, hanc ipſam Magiſtratuum inſtitutionem ab antiquo Romanæ Urbis ſyſtemate fuiſſe deprompttam, ut in hac Praxi in ſuis reſpective titulis, atque in Inſtitutionibus etiam criminalibus ampliſſime demonſtravimus; Congruum autem, juſtumque fuit, ut cùm nihil de vetuſtæ Nobilitatis, amplitudinis, & magnificentiæ majeſtate ex mutatione Religionis Curia Urbis amiſerit, imo *cum latius*, ut inquit S. Leo (*a*) *nunc præſit Religione divina*, *quam olim dominatione terrena præſideret*, non deterioris inſimul foret in exercendis Magiſtratibus, ſeu Tribunalium numero conditionis.

17. Vix

(a) *Lib.* 1. *ſerm.* 1. *de Natal. Apoſtolor. Petri, & Pauli.*

17. Vix autem, ac ne vix quidem audiri poſſunt eæ Acatholicorum querelæ, quæ circa jactitatam occaſione cauſarum, & negociorum, opulentiam Romanæ Curiæ proferuntur. Certa namque, & explorata in facto res eſt, longe minus, atque incomparabiliter longe Romanum Pontificem, qui Caput eſt ejuſdem Romanæ Curiæ, ab univerſo Chriſtiano Orbe recipere, quam Summus Sacerdos legis veteris a Levitis olim exigere conſueviſſet; quippe quia decima pars omnium reddituum a Levitis Summo Sacerdoti præſtabatur, cùm cæteroquin ne milleſimam quidem partem Romanus Pontifex, amplioribus licet oneribus prægravatus, quique a Fidelibus, in quorum gratiam militat, eſt ſuſtentandus juxta Apoſt. (*a*) exigere ſoleat, ut concludit Boſſius (*b*).

18. Neque profecto ſubſiſtit, ſuperfluas eſſe erectiones Tribunalium in Urbe, ex quo omnia ſint per Epiſcopos expedienda; vel enim agitur de gravamine ſubditis ab iiſdem Ordinariis forſan illato, & neceſſe eſt, quod iidem ſubditi ſuperiorem Judicem habeant, qui gravamen agnoſcat, factumque eorundem Ordinariorum ad viam juris opportune reducat, inter quos quidem Judices aptior aſſignari non poteſt, quàm is, qui a Papa in Urbe, & Curia, juxta diverſitatem cauſarum fuit deputatus, ut eſt Cameræ Apoſtolicæ Auditor, ſeu alter in particularibus negociis eligendus; aut vero de gravioribus cauſis pertractatur, quæ Apoſtolicæ Sedi privative ex Conciliorum Generalium Sanctione, & ex Eccleſiæ ſenſu reſervatæ reperiuntur; & cùm nemo præter ipſam Apoſtolicam Sedem poſſit quidquam deſuper innovare, oportuit pari Jure Romæ Judices

(a) 1. *ad Cor. cap. 9. verſ. 7.* (b) *De ſignis Eccleſiæ tom. 3. lib. 10. ſign.* 87.

ces eligi, qui in gravioribus iiſdem materiis Romanum Pontificem conſulerent, & in peculiaribus circumſtantiis de expreſſo, aut tacito ejuſdem Pontificis mandato, & oraculo reſponderent: *Quæ enim ſolæ Romanæ Sedi conceſſa ſunt, nullus uſurpare ſine ejus conſenſu præſumere poteſt, qui non vult honore Eccleſiaſtico indignus, aut contemptor judicari*, ut inquit S. Damaſus (*a*).

19. Graviora porro ſunt, & quæ honeſto viro ſtomachum movent, convicia, quæ Proteſtantes, vel qui livore quodam, & æſtu in Romanam Sedem effervent, contra Apoſtolicam Datariam, & Cancellariam evomere ſolent, jactitantes per Annatas, per Archiepiſcopalia Pallia, per diſpenſationes matrimoniales, per alias itidem diſpenſationes in irregularitatibus, in Votis, in Matrimoniis, per Coadjutorias pariter, per Reſignationes beneficiorum, aliaſque hujuſmodi gratias, Chriſtianum Orbem emungi, & Papalem Fiſcum, ſeu ærarium augeri, prout etiam per Congregationem S. Inquiſitionis animarum carnificinam invectam fuiſſe; Inſuperque per Congregationem Rituum ſuperſtitionibus viam, aditumque apertum; per Tribunal Fabricæ telonium expiſcandis aliorum pecuniis inſtitutum; per Congregationem Indicis, eruditioni, veræque doctrinæ januam occluſam, per Congregationem de Propaganda Fide Papale Imperium diffuſum, unoque verbo, ut cæteras, quas horret animus recenſere, blaſphemias ſilentio prætereamus, aliud non intendiſſe Pontifices per Congregationem, & Tribunalium erectiones, quàm juriſdictionis, & ærarii incrementum.

20. Graviora inquam ſunt hæc, hiſque ſimilia convicia, quæ tamen cum in Inſtitutionibus Canonicis,

(a) *Epiſtol. ad Stephanum.*

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

ABbreviatores utriuſque Parci. *pag.* 83.

A. C. met Auditor Auditoris Cameræ. *Toto Titulo xv.*

Advocati Romanæ Curiæ vel Conſiſtoriales, vel ſimplices. *pag.* 393. Conſiſtorialium origo. *ibid.* Officium. *pag.* 394. Sunt xii. ex variis Italiæ Provinciis. *ibid.* & *pag. ſeq.* Eorum Decanus. *pag.* 395. Privilegia. *ibid.* Advocatus Fiſci, Promotor Fidei, & Advocatus Pauperum ſunt ex hoc Collegio. *ibid.* Advocatorum ſimplicium qualitates. *pag.* 396.

Advocatus Populi Romani. *pag.* 160.

Agentes Communitatum. *pag.* 208. & *ſeq.* Eorum libera electio ex Conſtitutione Benedicti xiv. *ibid.*

Annatæ quæ ſint? *pag.* 72. & *ſeq.* Earum origo. *pag.* 74. ab Hæreticorum conviciis vindicatæ. *pag.* 75. & *ſeqq.*

Annona quid ſignificet? *p.* 167.

Archipresbyteri Cardinales, eorum juriſdictio in Baſilicis. *pag.* 179. Beneficia conferunt per turnum cum Capitulis. *pag.* 180. Eorum juriſdictio a Benedicto xiv. reſtricta ad jus correctionale. *ibid.* & *ſeq.* Pœnitentes diſpenſandos obſervant, *pag.* 182. Monita iis a Ben. xiv. data. *pag.* 183.

Aſſeſſor Agriculturæ. *pag.* 170.

Aſſeſſor S. Officii. *pag.* 229. Ejus juriſdictio. *pag.* 239.

Aſſeſſores Auditoris Cameræ in Criminalibus. *pag.* 121. Eorum facultates. *pag.* 124.

Aſſeſſores Gubernii in Criminalibus. *pag.* 152.

Aſſeſſoris Magiſtrorum Viarum Officium ab Innocentio xii. ſuppreſſum. *p.* 172.

Auditor Cameræ ad ſublevandum Card. Camerarium conſtitutus. *pag.* 121. Ejus munia, & prærogativæ. *ibid.* Ejus poteſtas pro toto Orbe. *pag.* 122. Et in Contractibus obligatione Camerali munitis. *pag.* 123. Ejus Miniſtri. *pag.* 121. Eorum facultates. *pag.* 124. Quomodo procedant in Judiciis? *pag.* 125.-127. Praxis hujus Tribunalis. *pag.*

*pag.*128. ad *pag.*151.

Auditor Papæ, ejus munus olim a Magiſtro S. Palatii exercebatur. *pag.*53. Ejus præſtantia. *pag.*54.

Auditores Rotæ XII. ex variis Nationibus. *pag.* 317. & *ſeq.* Eorum privilegia. *pag.* 319. & *ſeq.* Emolumenta. *pag.*321. Sunt Prælati. *pag.* 322. Jurant de ſecreto. *ibid.*

Auditoris domeſtici Gubernatoris Urbis officium amovibile. *pag.*152.

Auditoris Signaturæ munus. *pag.*353. & *ſeq.* Quomodo procedat? *pag.* 355. & *ſeq.*

Auditorium Rotæ. *Vide* Rota.

B.

Beatificatio, & Canonizatio Sanctorum in Congreg. SS. Rituum expenduntur. *pag.*242. & *pluribus ſeq.* Ab Hæreticorum calumniis defenſæ. *pag.*245. Non confundendæ cum Gentilium Apotheoſi. *pag.* 246. Taxantur expenſæ. *pag.*250. Ritus in iis peragendis. *pag.*251.

Benedicti XIV Conſtitutiones. *pag.*100.117.156.165.180. 183.208.220.233.248.250. 292.309. & *alibi paſſim*.

Breviarii Romani reformatio a Benedicto XIV. tentata. *pag.*250.

Bulla Pii IV. contra Infeudationes. *pag.*42. & 43.

C.

Cameræ Apoſtolicæ Tribunal ex quibus Perſonis componatur? *pag.*335. Cum Tribunali Rotæ convenit. *pag.* 336. Sed in pluribus ab eo differt. *ibid.* & *ſeq.* Praxis hujus Tribunalis. *pag.*338. - 342.

Camerarius ſucceſſit Archidiacono. *pag.*90. Ejus munus priſcis temporibus, & noſtris. *pag.*91. Ejus præeminentiæ. *pag.* 92. & *ſeq.* Auctoritas Sede Vacante. *pag.*93. Facultas doctorandi. *ibid.*

Cancellaria Apoſtolica ab Hæreticorum dicteriis vindicata. *pag.*399. & *ſeq.*

Cancellariæ Miniſtri, Regens, Abbreviatores Parci majoris, & minoris, Jannizeri, Plumbatores, Regiſtratores, Scriptores Apoſtolici. *pag.*83. & *ſeqq.*

Capita Ordinum qui Cardinales ſint? *p.*23. & 94. Eorum facultates. *ibid.*

Capitaneus Appellationum. *pag.*155. Dicitur etiam Judex Maleficiorum. *pag.*158.

Cardinales Capita Ordinum. *Vide*. Capita Ordinum.

Car-

Cardinalis Decani Juriſdictio. *pag.*183.
Cardinalis Patronus, ejus munus ab Heterodoxorum conviciis vindicatur. *pag.* 41. In quo conſiſtat? *ibid.* & *ſeq.* Refrœnatum a San. Pio v. *pag.*42. Et ab Innocentio XII. *pag.*44.
Cardinalium creatio ſpectat ad Rom. Pontificem. *pag.* 216. & *ſeq.* Eorum numerus. *pag.*217.
Cardinalium juriſdictio in propriis Titulis. *pag.*178. & *ſeq.* Præſertim Cardinalium Archipresbyterorum. *pag.* 179. Beneficia conferunt. *ibid.* In Baſilicis tamen per turnum cum Capitulis. *pag.*180. Eorum juriſdictio a Benedicto XIV. reſtricta ad jus correctionale. *ibid.* & *ſeq.* Monita iis a Benedicto XIV. data. *pag.*183.
Coadjutores Epiſcoporum. *pag.*224.
Coadjutoriæ ab Hæreticorum dicteriis vindicatæ. *pag.*77.
Collegium Procuratorum conſtat ex XXIV. perſonis. *pag.*389. Eorum cooptatio. *pag.*390. Requiſita *pag.*.391.
Commiſſarius Annonæ. *p.*169.
Commiſſarius Armorum Cameræ Clericus præeſt militiæ Pontificiæ. *pag.* 174. Non verò præſidiariis Caſtri S. Angeli, nec Triremium, quibus præeſt Commiſſarius Maris. *pag.* 175. Utriuſque Commiſſarii juriſdictio. *ibid.* & *ſeq.*
Commiſſarius Maris diverſus a Commiſſario Armorum. *pag.*175. Ejus Juriſdictio. *ibid.* & *ſeq.*
Commiſſarius S.Officii.*p.*229.
Componendarum Præfectus. *pag.*63.
Compoſitio, ſeu remiſſio Miſſarum a quibus fiat? *p.*312. & *ſeq.*
Conceſſum, in quo hoc officium conſiſtat? *pag.*60.
Concilia Provincialia a Pontifice approbata an totam Eccleſiam adſtringant? *pag.*274.
Conclave a quo Pontifice primùm inſtitutum? *pag.* 20. Ejus Clàuſura. *ibid.* & *ſeq.* Ingreſſus Cardinalium in ipſum. *pag.*22. Octoejuſdem Rotæ. *pag.* 24. Ejus Gubernator. *ibid.*
Concordata inter S.Sedem, & Regem Sabaudiæ, Regem Utriuſque Siciliæ, & Regem Hiſpaniarum. *p.*309.
Confeſſarii complicum nomina expetentes in Confeſſione ſunt denunciandi. *pag.*236.
Confeſſarii Extraordinarii Monialium. *pag.*296.
Congregatio Avenionenſis quan-

quando instituta? *pag.* 46.
Congregatio Baronum à Clemente viii. erecta. *pag.* 165. An etiam pro exteris, & Forensibus? *pag.* 166. Pro satisfactione Creditorum Baronum erecta. *pag.* 210. Ejus facultates, & Ministri. *ibid.*
Congregatio Boni-regiminis. à Clemente viii. erecta, ejus munus. *pag.* 207. Et facultates. *pag.* 208. *& seq.*
Congregatio Computorum. *pag.* 165. *&* 212.
Congregatio Concilii Tridentini Interpretum a Pio iv. erecta, ut Conciliares dispositiones interpretaretur. *pag.* 270. *& seq.* Facultas eidem a S. Pio v. & a Sixto v. collata. *pag.* 271. Ejus Ministri, Decreta Sigillo munienda &c. *p.* 272. Ab Espenii censuris vindicata. *ibid. & seq.* Facultates variæ hujus Congregationis. *pag.* 273. *& seq.* Materiæ in ea expendendæ. *pag.* 275. - 286.
Congregatio Confinium ab Urbano viii. quare erecta? *pag.* 211.
Congregatio Consistorialis, ejus munia. *pag.* 223.-226.
Congregatio Disciplinæ Regularis ab Innocentio x. erecta, & a xii. restaurata, ejus inspectiones. *p.* 302. Facultates ejusdem intra Italiam, & Insulas adjacentes. *pag.* 303. Religiosorum numerum statuit. *ibid. & seq.* Et Licentias impertitur ad recipiendos Novitios. *pag.* 305.
Congregatio Episcoporum & Regularium a Sixto v. erecta. *pag.* 286. Triplex modus, quo procedit. *ibid. & seq.* Ejus Decreta Sigillo sunt munienda. *pag.* 288. Ut procedat contra Ordinarios? *pag.* 299. *& seq.* Variæ Regularium materiæ ab eadem inspiciuntur. *pag.* 290. - 301.
Congregatio Fabricæ a Clemente viii. erecta. *pag.* 310. Ejus Ministri. *ibid.* Ejus divisio pro causis contentiosis, & Œconomicis. *pag.* 311. Ejus facultates Œconomicæ. *pag.* 312. Remittit onera Missarum. *ibid.* A conviciis vindicatur. *pag.* 314. *& seq.*
Congregatio Firmana ab Innocentio xii., Nepotismo abolito, instituta. *pag.* 47.
Congregatio Gravaminum a Sixto V. erecta, ejus Ministri, & facultates. *pag.* 211.
Congregatio Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ ab Urbano viii. erecta. *pag.* 307. Summariè procedit. *ibidem*; Ministri. *pag.*

pag.308. Quas Cauſas agitet? ibidem, & ſeq.

Congregatio Indicis libros expendit. pag.251. Providè erecta. ibid. & ſeq. Licentias impertitur.pag.257. & ſeq. Quæ requirantur ad incurrendam excommunicationem a refractariis? pag.258. & ſeq.

Congregatio Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum a Clemente ix. erecta, & quare? pag. 261. & ſeq. Ejus cura. pag.263. Etiam circa Altaria privilegiata. pag.264.

Congregatio Lauretana, poſt ſubtractam S. Domum ab Epiſcopi juriſdictione, & Protectoris ſuppreſſionem, ab Innocentio xii. erecta. pag.48. & 49.

Congregatio Montium. p.164. & 212.

Congregatio particularis Concilii ad expendendos Status Eccleſiarum. pag.275.

Congregatio Propagandæ Fidei quando erecta? pag.267. Ejus ſcopus. pag.268. Synodos excipit, quæ in partibus Infidelium coguntur. pag.269.

Congregatio S.Conſultæ, ſeu potius Conſultationis, a Sixto v. inſtituta. pag. 264. Ejus juriſdictio ad tria capita reducitur. pag. 205. & ſeq.

Congregatio Sacrarum Reliquiarum. Vide Cong. Indulgentiarum.

Congregatio Sacrorum Rituum a Sixto v. erecta. pag. 241. In ea tractantur quæſtiones de præcedentiis Cleri Sæcularis, & Regularis, præſertim in ſacris functionibus, nec non dantur facultates celebrandi Miſſas, & Officia propria Sanctorum. p.242. Necnon expenduntur Cauſæ Sanctorum. ibid. Ejus Miniſtri. pag.243. Qui in ea ſuffragium ferant? pag.244. Ejus convocatio, & praxis. pag.245. & ſeq. Ab Hæreticorum calumniis vindicatur. pag. 245. & ſeqq. Conſtitutiones Benedicti xiv. circa Sacros Ritus. pag. 248. & ſeq. Decreta ſunt ſigillo munienda. ibid.

Congregatio S. Officii providè erecta. pag.227. Abſque Epiſcoporum præjudicio. pag. 228. Ejus exordia. ibid. In Tribunal redacta. ibid. Ejus Miniſtri. pag 229. Ejus Tribunal mitiſſimè procedit. pag.230. & ſeq. Circa quæ, & contra quos procedat? ibid. & ſeqq. Libros interdicit. pag.233. a Benedicto xiv. circa aliquot ordinatum. ibid. & plur.

plur. ſeq. Ter in hebdomada congregatur. *pag.*237.
Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ, repræſentat Pontificem ut Epiſcopum Urbis. *pag.* 196. *& ſeq.* A Clemente viii. erecta, & ab aliis Pontif. Facultatibus adaucta. *pag.* 198. Supplet Synodi Diœceſanæ officium. *pag* 199.
Congregatio Viſitationis Carceratorum, repræſentans Epiſcopum Urbis, a Paulo v. erecta. *pag.* 197. *&* 200. Qui in ea interveniant? *pag.* 200. *& ſeq.* Vel eſt ordinaria, vel minus continua, vel gratioſa. *pag.* 201. A Benedicto xiv. ordinata. *pag.*292. *& ſeq.*
Congregationes Cardinalium, & Prælatorum recenſentur. *pag.*189. Earum auctoritas in judicando. *pag.*190. Earum reſolutiones ut vim legis habeant, varia requiruntur. *pag.* 191. *& ſeq.* Non præjudicant Ordinariis. *pag.*193. Eas falſificantes non incurrunt pœnas in Bulla Cœnæ reſervatas. *ibid.* Praxis harum Congregationum. *pag.* 193. *& ſeq.*
Congregationes tempore Novendialium. *pag.*95. *& ſeq.*
Conſecratio Summi Pontificis, ſi non ſit jam Epiſcopus, vel ſaltem Benedictio a quibus, & quomodo per agatur? *pag.*35.
Conſervatores Urbis. *pag.*159. Eorum Miniſtri, Advocatus Populi Rom. Procurator Fiſcalis, & Scriba Senatus. *pag.*160.
Conſiſtorium quid ſignificet? *pag.* 213. In locum Synodi Epiſcoporum, & Cleri Romani. *ibid. & ſeq.* Conſiſtorium Cardinalium, vel extraordinarium, & ſolemne. *pag.* 215. Vel minus ſolemne, & ſecretum. *pag.*216. Quæ in iis expediantur? *pag.*216. - 222.
Conſules Agriculturæ qui? *pag.* 169. Sunt quatuor. *pag.*170.
ConſultoresS.Officii.*pag.*237.
Contradictarum Auditorium. *pag.*86. *& ſeq.*
Coronatio Romani Pontificis quo ritu fiat? *pag.*36. *&* 37.
Curiæ nomen multipliciter ſumitur. *pag.* 7. Sæpiſſimè pro Foro Laico. *pag.* 8. Vel pro Principis Aula. *pag.*9. Sumitur etiam pro exercendarum litium loco. *ibid.* Romana Curia ubicumque eſt Pontifex. *p.*11. Per antonomaſiam venit nomine Curiæ. *pag.* 12. Summo Pontifici inhæret. *ibid. & pag. ſeq.*
Curiæ Romanæ defenſio. *pag.* 397.

397. - 400.
Curiales qui propriè dicantur? pag.387.

D

DAtaria Apoſtolica contra hæreticos vindicata. pag.399. & ſeq.
Datarius dicitur a datando. pag.59. Ejus officium. pag. 60. Si fuerit Cardinalis, dicitur Prodatarius. p. 61. Ejus Officiales. pag. 62. & ſeqq.
Defenſor Matrimonii quis ſit? pag 282.
Diſpenſationes ab Irregularitate a S. Cong. Concilii dantur. pag.283. & ſeq.
Diſpenſationes Matrimoniales ab Hæreticis vindicantur. pag.69. & ſeqq.
Diſpenſationes Matrimoniales in Congreg. S. Officii quando concedantur? pag. 236. & ſeq.
Diſpenſationes Monialium circa electiones. pag. 296.
S.Dominicus primus Magiſter S.Palatii. pag.55.
Dotis diminutio pro puellis in Monaſterio profiteri volentibus. pag.295.

E

ELectio Romani Pontificis fit per Inſtitutionem, vel per Subſtitutionem, vel per ſic dictam Electionem. pag.15. Primo modo electus fuit D.Petrus a Chriſto Domino. ibid. Secundo modo ſecundùm aliquos ex falſa Decretali electi fuerunt SS. Clemens, & Linus a D.Petro. ibid. Pontifex ſucceſſorem commendare, non deſtinare poteſt. ibid. & pag. ſeq. S.Fabianus electus per Inſpirationem. pag.16. Electio ſic propriè dicta fit, vel per Adorationem, vel per Compromiſſum, vel per Scrutinium. ibid. Fiebat primis ſæculis a Clero, & Populo. p.17. A quinto ſæculo Confirmatio Imperatoris, vel Regis per uſurpationem accedere debebat uſque ad annum 684. ibid. & pag. ſeq. Fabuloſa eſt conceſſio Adriani I. Deſiderio Regi, & Ludovici Pii Renunciatio a Gratiano adoptata. p.18. Ab anno 1179. ſolis Cardinalibus fuit attributa. pag. 19. Etiam excommunicatis. pag. 21. Electio per Scrutinium. Vide Scrutinium. Tribus Seſſionibus conficiturElectio. a pag.25. ad 32. Conſenſus Electi requiritur. pag.32. Nominis aſſumptio, & Electionis publicatio. pag.33. Non re-

requiritur Confirmatio . *pag.*34. *&* 35.
Epiſcopatuum Erectiones . *pag.*225.
Epiſcopatuum Reſignationes. *pag.*226.
Epiſcopatuum Translationes. *pag.*225.
Epiſcoporum electio Romano Pontifici reſervata. *p.*217. *& ſeq.* Quæ ſint præmittenda? *pag.*218. *& ſeq.* A Benedicto xiv. electa Congregatio pro Epiſcoporum electione. *pag.*220. Eorum examen. *pag.*221.
Epiſcoporum Examinatores. *pag.* 221.
Epiſcoporum, & Beneficiatorum reſidentia. *pag.* 276.
Exfiliationes Regularium. *pag.*297. *& ſeq.*

F

Fabrica Baſilicæ S. Petri a Pontiff. promota *pag.* 309. *& ſeq.*
Fundationes Conventuum. *pag.*291.

G

Gubernator Conclavis. *pag.*24.
Gubernator Urbis eſt etiam Vice-Camerarius. *pag.*121. Ejus Miniſtri, duo Aſſeſſores in Criminalibus, Locumtenens Civilis, & Auditor Domeſticus. *pag.*152. Praxis ejus Tribunalis. *pag.*163. *& ſeq.*

I

Jannizzeri. *pag.* 84.
Index Librorum Prohibitorum. *pag.*253. Sub Benedicto xiv. reformatus.
Infeudationes locorum S. R. Eccleſiæ a Pio iv. vetitæ. *pag.*42. *&* 43.
Inhibitiones, & Monitoria Auditoris Cameræ. *pag.*125.
Judices Commiſſarii qui ſint? *pag.*342. Quas Cauſſas cognoſcant? *pag.*343. Eorum propina. *ibid. & ſeq.* Praxis. *pag.*344. - 347.
Judices particulares in Urbe facultatibus expoliati a Benedicto xiv. *pag.* 183.

L

Legati vel a latere, vel nati, vel miſſi. *pag.*184. Eorum juriſdictio. *ibid. & ſeq.* Præſertim Legatorum a Latere. *pag.*185. Legati miſſi non habent armatam familiam, præter quàm Neapoli. *pag.*186. Hi vocantur Nuncii Apoſtolici. *ibid.* Juriſdictio Legatorum a latere extra Pontificiam Ditionem. *ibid.* coercita. *pag.*

pag. 187. Legatorum Pontificiorum facultates. *ibid.* & *ſeqq.*
Legationes Avenionenſis, Æmiliæ, Bononiæ, Ferrariæ, & Urbini quando erectæ? *pag.* 187.
Legatus Avenionenſis, & Vice-Legatus. *pag.* 46.
Librorum impreſſio, reviſio, approbatio a Magiſtro S.Palatii; Et prohibitos legendi facultas ab eodem danda. *pag* 57. & 58.
Librorum examen, & prohibitio in Congreg. S. Officii. *pag.* 238. & *ſeq.*
Librorum prohibitio triplicis eſt generis, nam alii libri proſcripti ſunt primæ, alii ſecundæ, alii tertiæ Claſſis. *pag.* 254. & *ſeq.*
Literæ Pœnitentiariæ, & ejus Praxis. *pag.* 104. & *ſeqq.* Contra Eſpenium vindicata. *pag.* 105.
Livella Regularium. *p.* 297.
Locumtenens Civilis Gubernatoris Urbis. *pag.* 152.
Locumtenentes Civiles Senatoris Urbis. *p.* 155. & *ſeqq.*
Locumtenentes tres Auditoris Cameræ. *pag.* 121. Eorum facultates. *pag.* 124.

M

Magiſter S. Palatii olim Auditoris Papæ fungebatur officio. *pag.* 53. Quis olim erat? *pag.* 55. Concionator S.Palatii. *pag.* 56. Ejus, & Socii munia. *p.* 57. Ejus Juriſdictio circa Librorum impreſſionem. *ibid.* & *ſeq.* Tanquam Auditor Rotæ habetur. *pag.* 59.
Magiſtri Viarum. *pag.* 172. & *ſeqq.*
Matrimonia Conſcientiæ. *pag.* 111.
Matrimoniales Cauſæ in Sac. Congreg. Concilii agitantur. *pag.* 281.
Matrimonii Defenſor qui? *pag.* 282.
Miſſam celebrantes non Sacerdotes, & Confeſſiones excipientes ſine facultatibus a S Officio coercentur. *pag.* 235.
Miſſarum reductio fit a Sac. Congr. Concilii. *pag.* 277. Facultas ad id Ordinariis data. *pag.* 278.
Miſſis, Officium Datariæ. *pag.* 64.
Monaſteria Conſiſtorialia quæ? *pag.* 222.

N

Neophytorum cauſæ. *pag.* 118. Eorum privilegia. *ibid.* & *pag. ſeq.*
Nepos Pontificis. *Vide* Primus Miniſter. Cardinalis Patronus.

Notarii Auditoris Cameræ. *pag.*122. *&* *pag* 125.
Nullitas Profeſſionis Religioſæ in S. Congreg. Concilii expenditur. *pag.* 279. *&* *ſeqq.*
Numerus Religioſorum. *Vide* Congregatio Diſciplinæ Regularis.

O

OEconomus Rev.Fabricæ. *pag.*310.
Officia Capitolina an ſubjaceant Regulæ 64. Cancellariæ? *pag.*160. *&* *ſeq.*
Officiales Pœnitentiariæ. *pag.* 107. *&* *ſeqq.*
Officiales parvæ datæ. *p.* 63.
S.Officium, *Vide* Congregatio S.Officii.

P

POEnitentiarius major ſucceſſit Archipresbytero. *p.*90. Pœnitentiariorum munus. *p.*99. Pœnitentiarii minores. *pag.*106. Sede Apoſtolica Vacante, quonam jure procedatur? *pag.* 94. *&* *ſeq.* Pœnitentiarii Majoris facultates temporibus priſcis. *pag.* 99. Facultates a Benedicto xiv. ei attributę. *pag.*100. *&* *plurib. ſeq.*
Pallium Orientalibus Patriarchis a Pontiff. datum. *pag.* 270.
Patentati S. Officii. *pag.*238. *&* *ſeq.*
Per obitum, ejus officium. *pag* 62.
Plumbatores. *pag* 84.
Pontificis Miniſtri Palatini, Nepos, Secretarius Status, Secretarius Brevium, Præpoſitus Familiæ, Auditor, Magiſter S.Palatii, & Datarius: Non Palatini, Vice-Cancellarius, Camerarius, Pœnitentiarius. *pag.*40. Alii Miniſtri. *p.*78.
Poſſeſſio Romani Pontificis, & variæ ejus circumſtantię. *pag.*38. *&* *ſeqq.*
Præeminentiales quæſtiones inter Epiſcopos, & Prælatos inferiores a S. Cong. Concili diſſolvuntur. *pag.* 284. *&* *ſeq.*
Præfecti Palatio Apoſtolico Juriſdictio. *pag.*183.
Præfectus Annonæ; ejus antiquitas, & officium apud Romanos. *pag.* 167. In locum Ædilium Cerealium. *pag.* 168. Nunc eſt unus ex Clericis Cameræ. *ibidem.* Ejus juriſdictio. *ibid.* Ejus Miniſtri. *pag.*169. Inter quos quatuor Conſules Agriculturæ. *ibid.* *&* *pag.* *ſeq.*
Præfectus Archiviorum Clericus Cameræ, ejus inſpectio. *pag.*177. *&* *ſeq.*

Præfectus S.Palatii, ſeu Præpoſitus Familiæ Pontificiæ, quis olim erat apud veteres Romanos? *pag.*51. Quis nunc, & quas habeat facultates? *pag.*52. Duplicem habet Auditorem. *pag.* 52. *& ſeq.*
Præſes Graſciæ, unus ex Cameræ Clericis. *pag.*170. Ejus juriſdictio. *ibid. & pag. ſeq.*
Præſes Riparum Clericus Cameræ. *pag.*178.
Præſes Viarum Clericus Cameræ; ejus Juriſdictio. *pag.*171. Tribunal, Miniſtri, &c. *ibid. & ſeqq.*
Præſes Zecchæ, Cameræ Clericus, ejus inſpectio. *pag.*177.
Praxis Cancellariæ. *p* 85.-89.
Praxis Datariæ. *pag.*64.65. 66. Ab Hæreticorum calumniis vindicata. *pag.*67. *& plurib. ſeqq.*
Praxis Fori Capitolini. *pag.* 157.*& ſeqq.*
Praxis Judicum Commiſſariorum *a pag.*344. *ad* 347.
Praxis Pœnitentiariæ. *a pag.* 104. ad 111.
Praxis Romanæ Curiæ cur ab Auctore edita? *pag.*2. *&* 3. Ejus partitio. *pag.*4. *&* 5.
Praxis Romanæ Rotæ. *a pag.* 327. *ad* 334.
Praxis Tribunalis Auditoris Cameræ. *a pag.*128, *ad* 151.
Praxis Tribunalis Cameræ. *a pag.*338. *ad* 342.
Praxis Tribunalis Cardinalis Vicarii. *pag.*116
Praxis Tribunalis Gubernii. *pag.*153. *& ſeq.*
Praxis Tribunalis Signaturæ Juſtitiæ. *a pag.*355. *ad* 383.
Primus Miniſter Pontificis. *Vide* Cardinalis Patronus.
Procurator Fiſcalis Capitolii qui? *pag.*160.
Procuratores de Collegio primatum habent inter alios. *pag.*386. Eorum privilegia. *pag.*388.
Procuratores Judiciales vel ſunt Collegiales, vel Rotales, vel ſimplices. *p.*386.
Procuratores Rotales. *pag.* 386. *&* 391.
Procuratores ſimplices, eorum requiſita. *pag.*392.
Puellæ Educandæ in Monaſteriis. *pag.*294.

Q

Qualificatores S. Officii. *pag.*238.

R

Regens Cancellariæ. *pag.*83.
Regiſtratores. *pag.*84.
Regiſtratores xx. Supplicationum. *pag.*64.
Regulæ Cancellariæ. *p.* 89.

Vindicatæ. *pag.*90.
Regulares incorrigibiles quomodo plectendi? *pag.*300.
Regularium exfiliationes. *pag.* 297. Graduum conceſſio. *p.*298. Gravaminum cognitio. *pag.*299. Livella. *pag.* 297. Nullitates electionum. *pag.*301.
Reliquiæ Sanctorum in Cong. Indulgentiarum expendendæ. *pag.* 265. & *ſeq.* Earum cultus. *ibid.* Cuſtos earum. *ibid.*
Reviſor Diſpenſationum. *pag.*63.
Reviſores Datariæ. *pag.*63.
Romana Curia domicilium eſt Legum, cæterarum Curiarum magiſtra. *pag.* 2. *Vide* Curia Romana.
Romani Pontificis Electio. *Vide* Electio.
Rota, hujus Tribunalis præſtantia, & inſtitutio. *pag.* 317. Conſtat ex xii. Auditoribus. *ibid.* Ex variis nationibus. *pag.* 318. Quo conveniant, & quando? *Ibid.* & *ſeq.* Auditorum privilegia. *pag.*319. & *ſeqq.* Quomodo recipiantur? *pag.* 321. Emolumenta eorum. *ibid.* Sunt Prælati. *pag.*322. Jurant de ſecreto. *ibid.* Stylus hujus Tribunalis. *pag.*323. - 327. Taxæ cauſarum Rotalium. *pag.* 324. Turnus. *ibid.* Methodus referendarum Cauſarum. *pag.*325. Quæ ſint Cauſæ Rotales? *ibid.* & *ſeq.* Concordatio dubiorum per Ponentem. *pag.* 327. Reſolutiones. *ibid.* Praxis hujus Tribunalis. *pag.*327. - 334.
Rotæ Conclavis a quibus cuſtodiantur? *pag.*24.

S

Sacra Conſulta. *Vide* Congregatio S. Conſultæ.
Sacra Inquiſitio, *Vide* Congregatio S. Officii.
Schedulæ Scrutinii. *pag.* 25. Schedulæ Acceſſus. *pag.*30.
Scriba Senatus qui ſit? *p.*160.
Scriptores Apoſtolici. *pag* 84.
Secretarii S. Congregationis Indicis reſidentia. *pag.*257.
Secretarius Brevium, ejus munia. *pag.*50.
Secretarius Brevium ad Principes. *pag.*50.
Secretarius Cifrarum. *pag.*50.
Secretarius Status, ejus auctoritas. *pag.*46. Eſt Præfectus Congregationum Avenionenſis, Principatus Firmani, & S. Domus Lauretanæ. *Vide ſub earum nominibus.*
Senator Urbis vice antiqui Præfecti. *pag.* 155. Ejus auctoritas nunc major, nunc minor. *ibid.* A Benedicto xiv. ampliata. *pag.*

*pag.*156. *& ſeq.* Ejus miniſtri , duo Locumtenentes Civiles , & Capitaneus appellationum . *pag.*155. *&* 157. Praxis Fori Capitolini . *pag.*157. *& ſeq.* Senator Statutorum Urbis defenſor, & Notariorum Capit. deputator. *pag.*159.

Signaturæ Gratiæ , & Juſtitiæ quid denotent? *pag.*347.

Signatura Gratiæ conſtat ex xii. Votantibus , & ex Cardinali Præfecto . *pag.* 384. Alii Miniſtri . *ibid.* In quo conveniat , vel differat a Signatura Juſtitiæ ? *pag.*385.

Signatura Juſtitiæ conſtat ex xii. Votantibus , & aliquot Referendariis . *pag.* 348. Eſt Tribunal antiquiſſimum. *ibid. & ſeq.* Privilegia Votantium , & Referendariorum . *pag.*350. *& ſeq.* Facultates hujus Tribunalis . *pag.*352. Ad quæ non extendantur? *pag.* 353. Praxis hujus Tribunalis . *pag.* 355. - 383.

Sollicitatio ad turpia in Congregat. S.Officii coercetur. *pag.* 234. *& ſeq.*

Stupæ combuſtio in Coronatione Summi Pontificis . *pag.*36.*&*37.

Subdatarius , ejus officium . *pag* 62. Ejus Subſtitutus . *pag* 63.

Suburbicarii Epiſcopi non poſſunt Ordines in ſuis Capellis conferre abſque licentia Cardinalis Vicarii . *pag.*114. *& ſeq.*

Suffraganei Epiſcoporum in Congregat. Conſiſtoriali deputantur . *pag.*223.

Summiſtæ officium . *pag* 85.

Suppreſſio Conventuum. *pag.* 305. *& ſeq.*

T

Territorium ſeparatum , ſeu Nullius . *pag.*285.

Theſaurarius . Ejus muneris varia nomina . *pag.*163. Ad ſublevandum Camerarium inſtitutus . *pag.* 164. Ejus auctoritas in civilibus , & criminalibus . *ibid.* Eſt caput Congregationum Montium , Computorum , & Baronum . *ibid. & ſeq.* Conſtitutiones Benedicti xiv. circa munus Theſaurarii . *pag.*165. *& ſeq.*

Tonſores monetæ coerciti . *pag.*177.

Tranſitus de una ad alteram Religionem . *p.*292. Etiam Monialium . *pag.*293.

Tribunal Rotæ . *Vide* Rota .

Tribunal Viarum. *p.*172. Ejus facultates repreſſæ . *p.*173.

Tribunalium Romanæ Curiæ numerus vindicatus . *pag.* 397. *& ſeqq.*

Vi-

V

Vicarii Apoſtolici. *pag.* 289.

Vicarius Pontificis, ut Epiſcopi Romani; ejus poteſtas tam Criminalis, quàm Civilis. *pag.* 111. & *ſeq.* Facultates. *pag.* 112. & *ſeq.* Præeminentiæ. *pag.* 113. Etiam ſupra EpiſcoposSuburbicarios. *pag.* 114. Poteſt DiœceſanamSynodum convocare. *pag.* 115. Ejus Miniſtri. *ibidem*, & *ſeq.* Ejus facultates juxta Conſtitutiones Benedicti xiv. *pag.* 117. & *ſeqq.*

Vicecancellarius dictus Cancellarius, Bibliothecarius, Datarius. *pag.* 79. & *ſeq.* Ejus officium, & præeminentia. *pag.* 81. & *ſeq.*

BIBLIOTECA NAZ.

ER-

ERRORES.	CORRECTIONES.
Pag.7. lin.17. Prucuratores	Procuratores
pag 10. lin.6. Epiſcopis	de Epiſcopis
pag.16. lin.2. Pontificem	Pontifice
pag.27. lin.15. agero	agere
pag.75. lin.13. electio	electionem
pag.39. lin.7. Patrem	Patrum
pag.57. lin.32. ad	ab
pag.71. lin.37. gradum	graduum
pag.72. lin.16. alia	alii
pag.72. lin.20. ſuperadita	ſuperaddita
pag.72. lin.23. Fncylica	Encyclica
pag.75. lin.3 a Pontifice	Pontifici
pag.76. lin.28. crm	cum
pag.78. lin.11. ſuſtendandum	ſuſtentandum
pag 85. lin.18. taxantur	taxatur
pag.86. lin.14. Canapis	Cannabis
pag.89. lin.9. tertii, ſimplicis,	tertii ſimplicis
pag 91. lin.8. muuere	munere
pag.91. lin.17. ViceCancellarius	Vice-Camerarius
pag.93. lin.14. exprimendum	exprimendam
ead.pag. lin.35. ſelecti	ſelectis
pag.140. lin.3. ſatiſfaciant	ſatisfaciat
pag.146. lin.9. ordne	ordine
pag.149. lin.15. potens	petens
pag.154. lin.21. permitantur	præmittantur
pag.165. lin.1. quo	qua
ead.2. lin.18. providas	Apoſtolicas
pag.177. lin.32. recenſentur	recenſetur
pag.187. lin.28. Bononienſis	Bononienſem
pag.187. lin.29. Ferrarienſis	Ferrarienſem
pag.187. lin.30. Urbinatenſis	Urbinatenſem
pag 212. lin.19. Collectarum Apoſtolicarum	Collectorum Apoſtolicorum
pag 214. lin.1. illorum	illarum
pag.224. lin.31. cui	quibus
pag.230 lin.24. judiciis	indiciis
pag.232. lin.16. Sacientes	Facientes

pag.234. lin.33. abſit	adſit
pag.238. lin.25. dicat	dicant
pag.238. lin.31. referatur	referantur
pag.240. lin.13. commutativis	Communitativis
pag.242. non prærequiti	prærequiri
pag.244. lin.14. pæambula	præambula
pag.249. lin.23. aliaſque	aliaque
pag.252. lin.30. rex	res
pag.255. lin.20. quam	quam habent
pag.257. lin.23. Ado	Adonidis
pag.261. lin.11. qua	quam
pag.262. lin.17. invehatur	invehantur
pag.264. lin.12 dieim	dietim
pag.272. lin.6. ſubcribit	ſubſcribit
pag.295. lin.21. quæ	qui
pag.297. lin.13. permiſſa	permiſſæ
pag.298. lin.19. Priori	Priore
peg.298. lin.27. petiit	repetiit
pag.302. lin.4. Innocentii	Innocentii x.
pag.304. lin.16. decretu	decretum
pag.304. lin.25. Monaſterii	Miniſterii
pag.305. lin.2. erexrit	erexit
pag.308. lin.18. proſſint	proſint
pag.309. lin.9. conſenſions	conſenſionis
pag.318. lin.7. tribus	ex tribus
pag.330. l.n.3. Notam	Rotam
pag.336. lin.19. ſolicitum	ſolitum
pag.343. lin.29. confirma	confirmata
pag.346. lin.10. cæteroquia	cæteroquin
pag.346. lin.22. exiſtent	exiſtente
pag.363. lin.16. reſtiſtitutio	reſtitutio
pag.363. lin.26. exequi	exequitur
pag.365. lin.10. quæ	quem
pag.366. lin.2. poſſeſſoris	poſſeſſoriis
pag.368. lin.4. admitt	admittunt, ut
pag.382. lin.2. nullatis	nullitatis
pag.382. lin.5. repoſitariis	repoſitoriis
pag.384. lin.9. ad	ab

A. PANDIMIGLIO

Digitized by Google